


1007

17

PENTATEUCHUS

ANNOTATIONE PERPETUA

ILLUSTRAVIT

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLER,

THEOL. DOCT. ET LINGG. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.

VOLUMEN PRIMUM,

GENESIN CONTINENS.

EDITIO TERTIA, SIC AB AUCTORE RECOGNITA, EMENDATA ET AUCTA, UT NOVUM OPUS VIDERI POSSIT.

LIPSIAE,

SUMTIBUS JO. AMBROS. BARTHII.

MDCCCXXI.

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI,

THEOL. DOCT. ET LINGG. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA
IN
VETUS TESTAMENTUM.

PARTIS PRIMAE,

GENESIN ET EXODUM CONTINENTIS,

VOLUMEN PRIMUM.

EDITIO TERTIA, SIC AB AUCTORE RECOGNITA, EMENDATA ET AUCTA, UT NOVUM OPUS VIDERI POSSET.



LIPSIAE,

SUMTIBUS JO. AMBROS. BARTHII.

MDCCCXXI.



NOTITIA LIBRORUM,

QUI IN HOC OPERE, ET PRAESERTIM IN HAC PARTE PRIMA, PASSIM LAUDANTUR, ET ALIORUM, QUIBUS IN EJUS CONFECTIONE USUS SUM *).

A.

ABARBENEL (Rabbi Don Isaac), Ulyssiponensis-Lusitani, circa annum 1490. florentis, *Commentarius in Pentateuchum Mosis* ex edit. HENR. JAC. VAN BASHUYSEN, *Theol. Doct. ejusdemque ut et Philolog. Sacr. in Gymnas. Hanov. Professor. et Eccles. Reform. major. Pastor. et Consistor.* Hanoviae ex Typographia Editoris propria Orientali, 1710. Fol.

ABEN-ESRAE (Rabbi Abraham Ben Meir), Toletani-Hispani, circa annum 1149. florentis, *Commentarius in Pentateuchum.* Legitur in Bibliis Buxtorfianis, quae cum Commentariis Rabbinorum edita sunt Basil. typis Ludov. König, 4 Voll. in Fol. 1618. 1619.

ABULFEDAE (Ismaelis), Reguli, sive principis Hamathae in Syria, Geographi et Historici Arabici, nat. 1273, mort. 1343. *Chorasmiae et Mawaralnahrae, hoc est, regionum extra fluvium Oxum descriptio; Arabice et Latine opera Jo. Gravii, Lond.* 1650. 4. Extat etiam ejus versio Latina in *Geographiae veteris scriptoribus Graecis mi-*

*) Scripta minora, quibus singuli loci illustrantur, in Commentario suis quaeque locis sunt indicata.

noribus a Jo. Hudsono editis, Vol. III. Oxon. 1703. 8.

EJUSD. *Tabula Syriae, cum Excerpto Geographico ex Ibn Ol Wardii Geographia et historia naturali. Arabice nunc primum edidit, Latine vertit, notisque explanavit Jo. Bernardus Köhler, Prof. Publ. Extraord. Phil. et Histor. in Academ. Kiloniensi* (deinde Prof. Ord. Graec. et LL. OO. in Acad. Regiomont.) *Accessere Jo. Jac. Reiskii V. C. Animadversiones ad Abulfedam, et prodidagmata ad historiam et Geographiam Orientalem.* Lips. 1766. 4 maj. Edit. secunda priori emendatior. Lips. et Regiom. 1786.

EJUSD. *Descriptio Aegypti, Arabice et Latine. Ex codice Parisiensi edidit, latine vertit, notas adjecit, J. D. Michaelis, Goetting. apud Dietrich*, 1776.

AELIANI (Claudii), Praenestini, Historici, circa ann 225. viv. *Variarum Historiarum Libri XIV.* ex edit. Gronovii, Lugd. Batav. 1731. 4.

ALPINI (Prosperi), Marosticensis, Medici et Botanici Mastris Patavini, sub finem Sec. XVI florent., *de Medicina Aegyptiorum Libri Quatuor*, Venet. 1591. 4. Auctor ipse nonnullos annos in Aegypto versatus est.

EJUSD. *De Plantis Aegypti Liber, accessit etiam liber de Balsamo, Venet.* 1592. 4. Repetitus est typis hic liber *cum notis et observationibus* JO. VESLINGII, Patavinis 1640. 4.

AMAMAE (Sixtini) Professoris Litterarum Orientis Academiae Franequeranae, *Antibarbarus Biblicus*, Franequer. 1656. 4.

AMMIANI MARCELLINI, Antiocheni, docti militis, circa ann. 379. flor. *Rerum sub Impp. Constantio, Juliano, Joviano, Valentiniano et Valente per XXVI. annos gestarum Historia Libris XVIII. comprehensa, qui e XXXI. hodie super-*

sunt. Recensionis Ammiani *Valesio-Gronovianae* novum exemplum adjecto *Indice dignitatum et Glossario Latinitatis dedit* AUG. GUIL. ERNESTI, Lips. 1773. 8. maj. Quod locupletatum et auctum curis J. H. WAGNERI et C. G. A. ERFURDT iterum prodiit Lips. 1808. Voll. 4 in octon.

APOLLODORI, Atheniensis (circa a. 145. ante C. N. florent.), *Bibliothecae Libri tres.* Ad Codd. Mss. fidem recensiti a CHR. G. HEYNE, Goetting. 1782. 8. min. Edit. altera ibid. 1803. in octon.

Ad Apollodori Atheniensis Bibliothecam Notae. Auctore CHR. G. HEYNE, Partes tres, Goetting 1783. 8. min. Edit. altera auctior et emendatior ibid. 1803. Voll. 2. in octon.

AQUILA, Sinopensis Ponticus, interpres V. T. graecus, sed ἑβραΐζων, circa annum 123. p. Chn. n. florens, uti videtur. Ejus versionis reliquiae leguntur in Montefalconii Hexaplis infra recensendis.

ARRIANI (Flavii) Nicomediensis, Epicteti discipuli, Philosophi Stoici, ducis militaris et Historici, circa ann. 127. flor. Ἐπιστολὴ πρὸς Ἀδριανὸν ἐν ᾗ καὶ Περίπλους Εὐξείνου Πόντου. Legitur in HUDSONII *Scriptoribus Vet. Geogr. Graec. minoribus.* Vol. I. p. 1—25.

ARISTIDIS (Aelii), Adrianensis Bithyni, Rhetoris, circa ann. 176. viv. *Orationes LIII.* Novissima editio est SAM. JEBBII Oxon. 1722. 4. 2 Voll.

ARISTOTELIS, Stagiritae, circa ann. orbis conditi 3662. Olymp. CIX, 2. *Historiae de animalibus Libri X.* ex edit. Ph. Jac. Maussaci, Tolosae 1619, Fol.

D'ARVIEUX (Laurent.), *Memoires, contenant ses voyages à Constantinople, dans l'Asie, la Syrie, la Palestine, l'Egypte et la Barbarie, recueillés de ses originaux par* J. A. LABAT, à Paris 1735. 6 Voll. in 12 maj. Eques d'Arvieux Legatus fuerat regis Galliarum Constantinopoli extraordinarius

et nationis Gallicae Consul Aleppensis, Algeritanus et Tripolitanus, mortuus a. 1702. Ex schedis ipsius itinera ab eo suscepta descripsit Labatus. Mores Arabum Nomadum pulcre depinxit auctor, fide dignissimus, ex testimonio Niebuhrii, Descript. Arabic. p. 30. Usus sum hujus libri versione germanica, quae 6 Voll. in 8. prodiit Hafn. et Lips. 1753. Quae in opere illo ad mores Arabum Nomadum spectant nos seorsim vernacule reddita edidimus hoc epigraphe: *Die Sitten der Beduinen-Araber, aus dem Französ. des Ritters d'Arvieux.* Lips. 1789. in octon.

ASSEMANI (Josephi Simonis), Syri Maronitae, Theol. Doct. et in Bibliotheca Vaticana Linguarum Syriacae et Arabicae Scriptoris, *Bibliotheca Orientalis Clementino-Vaticana, in qua Manuscripti Codices Syriaci, Arabici, Persici, Turcici, Hebraici, Samaritani, Armenici, Aethiopici, Graeci, Aegyptiaci, Iberici et Malabarici jussu et munificentia Clementis XI. Pontificis Maximi, ex Oriente conquisiti, comparati, evecti, et Bibliothecae Vaticanae addicti, recensiti, digesti, et genuina scripta a spuriis secreta sunt, addita singulorum auctorum vita.* Tom. I. Romae 1719. Tom. II. 1721. T. III. Pars I. 1725. T. III. P. II. 1728. in Fol.

AUGUSTINI (Aurelii), Tagastini Afri, Episcopi Hipponensis, sub finem Sec. IV. viv. *Liber de Genesi ad Litteram,* in Tom. I. ejus Operum 1556. ab Erasmo in Fol. edit., et in T. III. Oper. edit. Benedict. Paris. et Antverp. 1700.

AURIVILLII (Car.), Professoris Lingg. Orientall. Upsal., *Dissertationes ad sacras literas et Philologiam Orientalem pertinentes.* Cum praefatione JO. DAV. MICHAELIS, Goetting. et Lips. 1790.

B.

BACHIÈNE (Wilhelm Albert), *Predigers des göttlichen Worts zu Mastricht* (mort. 1783.), *historische und geographische Beschreibung von Palästina, nach seinem ehemaligen und gegenwärtigen Zustande, nebst denen dazu gehörigen Landcharten. Aus dem Holländischen übersetzt, und mit Anmerkungen begleitet von G. A. M.* (*Maas,* Conrectoris Gymnasii Clivensis), *Cleve u. Leipz.* 2 Voll. in VI. singul. Partes div. 8. 1766—1775.

BARTHOLINI (Thomae), Professoris Medicinae Hafniensis, *de morbis Biblicis Miscellanea Medica,* edit. sec. correct. Francof. 1672.

BELLONII (Pet.) s. BELON, Cenomani, Medici et Philologi Parisiensis (1564. a latrone occisi), *Observations de plusieurs singularitez et choses memorables en Grece, Asie, Judée, Egypte et autres pays estranges, redigées en trois Livres.* Usus sum versione latina hujus libri, et quidem *altera, longe castigatiore et quibusdam scholiis illustrata,* quae prodiit *Antverp.* 1605. Folio. Quae in itinere per deserta Arabiae et Palaestinam observata descripsit, vernacule reddita leguntur in *der Sammlung der merkwürdigsten Reisen in den Orient* etc. von H. E. G. PAULUS, T. I. p. 203. seqq. et T. II. p. 1. seqq.

BERTHOLDT (Leonh.), Theologi Erlangensis, *historisch-kritische Einleitung in sämmtliche canonische und apokryphische Schriften des alten und neuen Testaments,* Erlang. 1812 — 1818. oct. Voll. 6.

BIBLIA SACRA POLYGLOTTA, *complectentia textus Originales Hebraicos, cum Pentateucho Samaritano, Chaldaicos, Graecum, Versionumque antiquarum Samaritanae, Graecae LXXII. Interpretum, Chaldaicae, Syriacae, Arabicae, Aethiopicae, Persicae, Vulg. Lat., quicquid com-*

parari poterat. Cum textuum et versionum Orientalium translationibus latinis, ex vetustissimis MSS. undique conquisitis, optimisque Exemplaribus impressis summa fide collatis. Quae in prioribus editionibus deerant suppleta, multa antehac inedita de nova adjecta, omnia eo ordine disposita, ut textus cum versionibus uno intuitu conferri possint. Cum apparatu, appendicibus, tabulis, variis lectionibus, annotationibus, indicibus. Opus in sex Tomos tributum. Edidit BRIANUS WALTONUS, S. T. D. Lond. 1657. Fol.

BIEL (Jo. Christ.), Past. ad div. Ulric. et Joann. Brunsuic. (mort. 1745.), *Novus Thesaurus philologicus sive Lexicon in LXX. et alios Interpretes et scriptores Apocryphos Veteris Testamenti. Ex Beati Autoris Manuscripto edidit ac praefatus est* E. H. MUTZENBECHER, *V. D. Min. Eccles. Luth. Haganae.* Pars prima, Hagae Comit. 1779. secunda, 1779. tertia, 1780. 8.

BOCHARTI (Sam.), Antistitis Sacrorum Reformatorum Cadomi in Francogallia (mort. 1667.), *Geographia Sacra in duas partes divisa, quarum prima, Phaleg inscripta, seu de dispersione gentium; secunda, Canaan, seu de coloniis et sermone Phoenicum,* Cadomi, 1646. Fol.

EJUSD. *Hierozoicon, sive bipertitum opus de animalibus Sacrae Scripturae, cujus Pars Prior Libris IV. de animalibus in genere et de Quadrupedibus, Viviparis et Oviparis: Pars Posterior Libris VI. de Avibus, Serpentibus, Insectis, Aquaticis et fabulosis animalibus agit. Cum Indice septuplici.* Londini 1663. Nova editio, animadversionibus nostris aucta, in lucem emissa est tribus Voll. in quatern. Lipsiae 1793. seqq.

BONFRERII (Jac.), Dionantensis Eburonis, Sacerdotis Jesuitae, *Pentateuchus Mosis Commentario illustratus,* Antwerp. 1625. Fol.

BRAUNII (Joh.), Theologiae Doctoris et Professoris Groningensis, בגדי־כהנים, *id est*, *Vestitus Sacerdotum Hebraeorum. Sive Commentarius amplissimus in Exodi Cap. XXVIII, ac XXXIX. et Levit. Cap. XVI. aliaque loca Sacrae Scripturae quam plurima. Cum Indicibus locupletissimis. Altera Editio priori auctior et emendatior.* Amstelodami, 1698. 4.

BREIDENBACH (Bernhard von) *Reiſs ins heilige Land und zum Berg Sinai im Jar* 1483 in Collectione itinerariorum Feyerabendiana, infra recensenda.

BROCARDI, S. BROCHARDI (Bonavent.), Argentoratensis, ordinis Praedicatorum, qui Palaestinam a. 1280. invisit, *Terrae sanctae regionumque finitimarum ac in eis mirabilium descriptio*, literis consignata a. 1283., et primum edita Venet. 1519. 8. min., et saepius deinceps, novissime a Jo. Clerico ad calcem *Onomastici urbium et locorum S. Scripturae*, ab Eusebio et Hieronymo confecti, in *Geographiae Sacrae* scriptoribus ab illo junctim editis Amstelaed. 1704. in fol.

BÜSCHINGS (D. Anton Friedrich), *königl. preussisch. Oberconsistorialraths und Directors des Berlinischen Gymnasii, neue Erdbeschreibung. Des eilften Theils erste Abtheilung, welche unterschiedene Länder von Asia begreift. Dritte verbesserte und vermehrte Ausgabe*, Hamb. 1792. 8.

BUSBEQUII (Augerii Gislenii), Cominiensis Flandri, Historici, et Archaeologi Vindobonensis (mort. 1592.), *Legationis Turcicae epistolae quatuor*, Lipsiae, 1688. in 12.

BUXTORFII (Joh.) Patris, *Lexicon Chaldaicum, Talmudicum et Rabbinicum, in quo omnes voces Chaldaicae, Talmudicae et Rabbinicae quotquot in universis Veteris Testamenti Paraphrasibus Chaldaicis, in utroque Talmud Babylonico et Hierosoly-*

mitano, in vulgaribus et secretioribus Hebraeorum Scriptoribus, Commentatoribus, Philosophis, Theologis, Cabalistis et Jureconsultis extant, fideliter explicantur, et copia ac delectu exemplorum Targumicorum, Talmudicorum et Rabbinicorum eleganter declarantur; passim etiam, suis locis, Hebraeorum et Chaldaeorum Proverbia, Apophthegmata, Sententiae, Ritus, aliaque ad Sacram hanc Philologiam pertinentia, ex propriis ipsorum Libris producuntur et explanantur, quam plurima denique Veteris et Novi Testamenti loca ex Antiquitate et Historia Hebraica nove exponuntur et illustrantur; ut non solum vulgaris Lexici sed amplissimi et instructissimi Thesauri Philologici loco esse possit. Opus XXX. annorum, nunc demum post Patris obitum, ex ipsius Autographo fideliter descriptum, in ordinem aequabilem digestum, et multis propriis observationibus passim locupletatum, Reipublicaeque Christianae bono in lucem editum, a IOANNE BUXTORFIO Filio, Linguae Hebraicae in Acad. Basil. Prof. Ord. Basil. 1640. Fol.

JOA. BUXTORFII, Fil., S. Theol. et Ling. Hebr. Prof. [in Acad. Basileensi], *Anticritica, seu vindiciae veritatis Hebraicae adversus Ludovici Cappelli Criticam quam vocat Sacram, ejusque defensionem, quibus Sacrosanctae editionis Bibliorum Hebraicae authoritas, integritas, et sinceritas a variis ejus strophis et sophismatis, quam plurima loca a temerariis censuris et Variarum Lectionum commentis vindicantur, simul etiam explicantur et illustrantur. Cum indicibus necessariis.* Basileae, 1653. in quatern.

C.

CAPPELLI (Ludov.), Sedanensis, Theologi et Philologi Salmuriensis (mort. 1658.), *Critica Sacra, sive de variis, quae in sacris V. T. libris oc-*

currunt lectionibus libri sex; in quibus ex variarum lectionum observatione quam plurima S. Scripturae loca explicantur, illustrantur atque adeo emendantur non pauca. Cui subjecta est ejusdem Criticae adversus injustum censorem juxta defensio; cum Appendicibus, quarum argumentum exhibet index librorum et capitum. Edita in lucem studio ei opera Joannis Cappelli, Auctoris filii, Lutet. Parisior. 1650. fol. Recensuit multisque animadversionibus auxit GEO. IO. LUD. VOGEL (Prof. Halens. mort. 1776.). T. I. tres priores libros sistens, Halae, Magdeburg. 1775.; T. II. tres posteriores libros sistens, recensuit multisque animadverss. auxit JO. GOTTF. SCHARFENBERG, ibid. 1778. T. III. variorum scriptorum ad eam se referentium Syllogen sistens, ibid. 1786. in octon.

EIUSD. *Commentarii et Notae criticae in Vetus Testamentum Accessere* JACOBI CAPPELLI, Ludov. Fratr., in Academia Sedanensi S. Theol. olim Professor., *Observationes in eosdem libros. Item Ludovici Cappelli Arcanum Punctationis auctius et emendatius, ejusque Vindiciae hactenus ineditae.* Editionem procuravit Jacob Capellus, Ludov. Fil., Hebr. Ling. in Acad. Salmuriensi nuper Professor. Amstelod. 1689. fol.

CARPZOVII (Jo. Gottlob.), Theol. D. Prof. Publ. et Archidiaconi in Acad. et Eccles. Lips. (tum Superintend. Eccles. Lubecen., mort. 1767.), *Critica Sacra Veteris Testamenti, Parte I. circa textum originalem, II. circa Versiones, III. circa Pseudo-Criticam Guil. Whistoni solicita,* Lips. 1728. in quatern.

EIUSD. *Introductio ad libros canonicos Bibliorum Veteris Testamenti omnes, praecognita critica et historica, ac auctoritatis vindicias exponens* Editio secunda. Lips. 1731. in quat.

CELSII (Olavi) Theologi Upsaliensis, *Hiero-*

botanicon sive de Plantis Sacrae Scripturae, Upsal. 1745 et 1747. 2 Voll. 8.

CHARDIN (du Chevalier) *Voyage en Perse et autres lieux de l'Orient. Enrichis de Figures en Taille douce, qui représentent les Antiquités et les choses remarquables du Païs. Nouvelle Edition soigneusement conferée sur les trois éditions originales, augmentée d'une Notice de la Perse, depuis les temps les plus reculés jusqu'à ce jour, de Notes etc. par* L. LANGLES. Paris, 1811. 10 Voll. 8. una cum volumine mapparum geographicarum et tabularum aere expressarum. Chardinus bis fuit in Persia, primum inde ab An. 1664 usque ad 1670, post ab a. 1671. usque ad 1677. Mortuus a. 1713. anno aetatis LXX.

CHRYSOSTOMI (Joh.), primum Presbyteri Antiocheni, deinde Episcopi Constantinopolitani (denat. 407. in exilio), *Homiliae in Genesin*. Insunt Tom. VI. Operum ejus editorum a B. Montefauconio. Paris. 1724. Fol.

CLERICI (Joh.), Genevensis, Professoris Litterarum humaniorum et Hebraicarum in Gymnasio Remonstrantium Amstelodamensi (mort. 1737.), *Genesis, sive Mosis Prophetae Liber primus, latine versus, cum Paraphrasi perpetua, Commentario philologico, Dissertationibus Criticis quinque et Tabulis Chronologicis*, Amstelod. 1693. Fol. Repet. curis CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII. Tubing. 1733. fol.

EJUSD. *Exodus, Leviticus, Numeri et Deuteronomion*, ibid. 1696. et Tubing. 1733. fol.

EJUSD. *Sentimens de quelques Theologiens de Hollande sur l'histoire Critique du vieux Testament composée par le P. Richard Simon de l'Oratoire, où en remarquant les fautes de cet Auteur on donne divers principes utiles pour l'intelligence de l'Ecriture Sainte*, Amsterd. 1685. 8. Vernacule hac

epigraphe: *Briefe einiger Holländischer Gottesgelehrten über P. R. Simons kritische Geschichte des alten Testaments. Herausgegeben von* LE CLERC. *Aus dem Französischen übersetzt, und mit Anmerkungen und Zusätzen vermehrt* (ab H. CORODI.), s. d. (Turici), 1779. duob. Voll. 8.

COCCEII (Joh.), Theol. Prof. in Acad. Franequer. (mort. 1699.), *Lexicon et Commentarius Sermonis Hebraici et Chaldaici. Post Joh. Henr. Maium longe, quam ante hac, correctius et emendatius edidit* JOH. CHRIST. FRID. SCHULZ (Theologus Gissenus), 2 Tomi. Lips. 1777. 8. (edit. sec. auct. et emend. ibid. 1793. 1795.

Commentationes theologicae, editae a Joh. Casp. Velthusen, Christ. Theoph. Kuinoel, et Georg. Alex. Rupertio. Voll. 6. Lips. 1794—99. in octon.

CRITICI SACRI, *sive Doctissimorum Virorum in Sacra Biblia Annotationes et Tractatus. Opus summa cura recognitum et in novem Tomos divisum,* Londini 1660. Fol. *Denuo recognitum, et sine ulla contentorum resectione, solius aequalitatis gratia e VII in IX. Tomos redactum. Frcofurti ad Moen.* 1696. fol.

D.

DATHII (Joh. Aug.), Theol. Doct. et Prof. Ord. Ling. Hebr. in Acad. Lipsiensi (mort. a. 1791.), *Pentateuchus ex recensione textus Hebraici et versionum antiquarum latine versus notisque philologicis et criticis illustratus.* Hal. 1781. 8. (edit. sec. emend. Hal. 1791.)

DE DIEU (Ludov.), Vlissingani, Theologi Calviniani et Orientis Litterarum Philologi Lugdunensis, (denat. 1642.), *Critica Sacra, sive Animadversiones in loca quaedam difficiliora Veteris et Novi Testamenti. Editio nova, recognita ac va-*

riis in locis ex Auctoris Manuscriptis aucta. Suffixa est Apocalypsis D. Johannis Syriaca, quam ante aliquot annos ex Manuscripto Josephi Scaligeri Autor primus edidit, versione Latina notisque illustravit. Amstelod. 1693. Fol.

DEYLINGII (Salom.), Theol. Doct., primum Superintendentis Islebiensis, deinde Profess. Theol. Ord. et Superintend. Lipsiensis (mort. a. 1766.), *Observationum Sacrarum Pars Prima, in qua multa Scripturae Veteris ac novi Testamenti Dubia vexata solvuntur, loca difficiliora ex antiquitate et variae doctrinae apparatu illustrantur, atque ab audaci recentiorum Criticorum depravatione solide vindicantur. Appendicis loco accessit oratio de ingenio Israelitarum Aegyptiacorum. Editio tertia emendatior ac tertia parte auctior,* Lips. 1735. Pars II. ibid. 1737. Pars III. ibid. 1739. Pars IV. ibid. 1746. Pars V. ib. 1748. 8.

DIETERICI (Jo. Cunr.), Professor. in Acad. Gissensi (denat. a. 1667.), *Antiquitates biblicae, in quibus decreta, prophetiae, sermones, consuetudines, ritusque ac dicta Veteris Testamenti, de rebus Judaeorum et Gentilium, qua sacris, qua profanis, expenduntur. Nunc vero post b. Autoris obitum publicatae a Joa. Justo Pistorio. Cum indicibus necessariis.* Gissae et Francof. 1671. Fol.

DIODORI SICULI, A. ante Chr. Nat. 6. florentis, *Bibliothecae Historicae Libri, qui supersunt, interprete Laur. Rhodomanno; ad fidem MSS. recensuit P. Wesselingius, atque Henrici Stephani, Laurent. Rhodomanni, Fulvii Ursini, Henr. Valesii, Jac. Palmerii et suas adnotationes adjecit, cum indicibus locupletissimis.* Tom. I. II. Amstel. 1745. Fol.

DIOSCORIDIS (Pedanii) circa ann. Chr. 64. flor. *de Materia Medica Libri V.* In ejusdem Operi-

bus per Joa. Moibanum et Conradum Gesnerum editis, Argentor. 1565. 8.

DONATS (M. Samuel Gottlob), *gewesenen Pastors zu Tauchritz in der Oberlausitz, Auszug aus D. Joh. Jacob Scheuchzers, ehemaligen Professors zu Zürch, Physica Sacra; mit Anmerkungen und Erläuterungen der darin vorkommenden Sachen aus den neuern exegetischen, physischen und historischen Schriften, auch nöthigen Kupferstichen. Mit einer Vorrede herausgegeben von Anton Friedrich Büsching, königl. preuss. Oberconsistorialrath, auch Director des vereinigten Berlinischen und Cöllnischen Gymnasii im grauen Kloster zu Berlin. Ersten Theils Erster Band, Leipzig,* 1777. *Ersten Theils Zweyter Band, ebend.* 1778. *Ersten Theils Dritter Band, ebend.* 1779.

DOEDERLEINS (Joh. Christ.), Theologi Jenensis (mort. 1794.), *Fragmente und Antifragmente, erster Theil. Zweyte verbesserte Auflage. Nebst einigen Landkarten.* Nürnb. 1780. 8.

DOUGTAEI (Joa.), Theol. Doct. et Canon. Westmonaster. (denat. a. 1672.), *Analecta Sacra, sive Excursus philologici breves super diversis Vet. et Novi Testamenti locis. Subjiciuntur Nortonii Knatchbulli Animadversiones in libros Novi Testamenti. Editio secunda.* Amstelod. 1694. 8.

E.

ECKERMANN (Jo. Christoph. Rud.), Theologi Chiloniensis, *Theologische Beyträge.* 6 Voll. Alton. 1790—97.

EICHHORNS (Joh. Gottfr.), Litt. OO. Prof. primum in Acad. Jenensi, nunc Göttingensi, *Einleitung in das Alte Testament,* Leipz. 1780. seqq. 3 Voll. 8. Editio tertia auctior et emendatior, ib. 1803.

EICHHORNS (Joh. Gottfr.), *Allgemeine Bibliothek der biblisehen Literatur*, Voll. 10. Lips. 1787—1801. 8.

EJUSD. *Monumenta antiquissimae historiae Arabum post Albert. Schultensium collecta et edita cum latina versione et animadversionibus.* Goth. 1775. 8.

EJUSD. *Urgeschichte. Herausgegeben mit Einleitung und Anmerkungen von* D. JOH. PHIL. GABLER, Prof. Theol. in Acad. Jenensi, 3 Voll. Altorf. et Norimberg. 1790—1793. 8.

EISENSCHMIDII (Joh. Casp.) *Disquisitio de ponderibus et mensuris veterum*, Argent. 1708. 8.

ΕΥΣΕΒΙΟΥ του Παμφιλου, Επισκοπου της ἐν Παλαιστινῃ Καισαρειας (a Chr. 340. denat.), Προπαρασκευη Ευαγγελικη, i. e. *Praeparatio Evangelica. Franciscus Vigerus Rhotomagensis, Societatis Jesu Presbyter, ex MSS. Codd. et laudatis ab ipsomet Eusebio scriptoribus recensuit, latine vertit, notis illustravit. Editio nova, juxta Parisinam anni 1628. adornata. Accesserunt Indices necessarii.* Coloniae (Lipsiae) 1688. Fol.

F.

FABERS (Johann Ernst), Professoris Lingg. Oriental. primum Chiloniensis, deinde Jenensis (denat. 1774.), *Archäologie der Hebräer. Erster Theil*, Halle, 1773. 8.

FABRI (Felix), Monachus Ordinis Praedicatorum, conventus Ulmani, sub nomine *Joh. Werli de Zimber*, cujus comes erat in itinere Palaestinensi, edidit itinerarium, cui est titulus: *Eigentliche Beschreibung der Hin- und Wiederfahrt zu dem heiligen Land gen Jerusalem im Jar* 1484. Inest etiam hoc itinerarium collectioni nonnullorum itinerariorum factae a SIGISM. FEYERABEND,

Bibliopola Francofurtano, sub hoc titulo: *Bewährtes Reissbuch, oder Beschreibung des heiligen Landes etc* Nürnb. 1609. Fol. *Andrer Theil*, Francof. am M. 1609. Fol.

Flora Aegyptiaco-Arabica. Sive Descriptiones Plantarum, quas per Aegyptum inferiorem et Arabiam felicem detexit, illustravit, PETRUS FORSKAL, *Prof. Hafn.* (mort. a. 1763. in ipso itinere per Arabiam suscepto). *Post mortem auctoris edidit* CARSTEN NIEBUHR. *Accedit Tabula Arabiae felicis Geographico-Botanica.* Hafn. 1775. 4.

Descriptiones Animalium, Avium, Amphibiorum, Piscium, Insectorum, Vermium; quae in Itinere Orientali observavit PETRUS FORSKAL, *Prof. Hafn. Post mortem autoris edidit* CARSTEN NIEBUHR. *Adjuncta est Materia medica Kahirina atque Tabula Maris Rubri Geographica.* Hafn. 1775. 4.

FORSTERI (Joh. Reinoldi), Professoris Historiae Naturalis in Academia Halensi (mort. a. 1798.), *Epistolae ad Joannem Davidem Michaelis, hujus Spicilegium Geographiae Hebraeorum Exterae jam confirmantes jam castigantes.* Goett. 1772. 4.

EJUSD. *Liber Singularis de Bysso Antiquorum, quo ex Aegyptia lingua res vestiaria Antiquorum inprimis in Sacro Codice Hebraeorum occurrens, explicatur: additae ad calcem mantissae Aegyptiacae V.* Lond. 1776. 8.

FRANKII (Jo. Georg.), Superint. Dioeces. Hohnsted. in principatu Goetting., et Sodal. Ordin. Instit. Reg. Hist. Goetting. (mort. a. 1784.), *Novum Systema Chronologiae fundamentalis, qua omnes anni ad solis et lunae cursum accurate describi, et novilunia a primordio mundi ad nostra usque tempora et ulterius ope epactarum designari possunt: in cyclo Jobeleo biblico detectae, et ad*

chronologiam tam sacram, quam profanam applicatae; adjecta brevi enarratione Jobeleo-chronologica historiae sacrae. Cum Praefatione Joa. Christoph. Gatterer, Histor. Prof. Goetting. etc. Goetting. 1778. Fol.

FULLERI (Nicol.), *Ecclesiae Cathedralis Salisburiensis Canonici* (denat. 1623.), *Miscellaneorum Theologicorum, quibus non modo Scripturae divinae, sed et aliorum classicorum Auctorum plurima monumenta explicantur atque illustrantur, Libri Sex.* Lond. 1620. 4. Argentor. 1650. in octon. Leguntur et in *Critt. SS.* T. VII.

G.

Liber GENESEOS, *sive* בראשית, *ab fidem Codd. Mss. versionumque antiquarum emendavit, et vulgatam versionem latinam hic illic interpolatam atque ad contextum originalem compositam, e regione adjecit* EVERARD. SCHEIDIUS (Profess. primo Harderovic., tum Lugdun. denat. 1794.). Opus imperfectum (nam Cap. IV, 11. deficit), unde neque anni neque loci, quo prodiit mentio addita est.

GESENIUS (Guil.), Theol. D. et Prof. in Acad. Halensi, *Hebräisch-Deutsches Handwörterbuch über die Schriften des alten Testaments mit Einschluſs der geographischen Namen und der chaldäischen Wörter beym Daniel und Esra.* Duobus voll. Lips. 1810. 12. in oct. major.

EJUSD. *Neues hebräisch-deutsches Handwörterbuch über das alte Testament mit Einschluſs des biblischen Chaldaismus. Ein Auszug aus dem gröſsern Werke in vielen Artikeln desselben umgearbeitet, vornehmlich für Schulen.* Lips. 1815. in oct. maj.

EJUSD. *ausführliches grammatisch-kritisches*

Lehrgebäude der hebräischen Sprache, mit Vergleichung der verwandten Dialekte. Lips. 1817. in octon.

GESENIUS, *Geschichte der hebräischen Sprache und Schrift. Eine philologisch-historische Einleitung in die Sprachlehren und Wörterbücher der hebräischen Sprache.* Lips. 1815. in oct.

EJUSD. *de Pentateuchi Samaritani origine, indole et auctoritate Commentatio philologico-critica.* Hal. 1815. in quat.

GLASSII (Salomon.), Sondershusani, primum Professoris Theologiae in Academia Jenensi, deinde Superintendentis Gothani (denat. 1656.), *Philologia Sacra. His temporibus accommodata a D.* JO. AUG. DATHIO. *Tomus I. Grammatica et Rhetorica Sacra.* Lips. 1776. 2 Voll. 8.

GOLII (Jac.), Haga-Batavi, Philologi Arabis et Hebraei, in Academia Lugduno-Batava (denat. 1667.), *Lexicon Arabico-Latinum*, Lugd. Batav. 1653. Fol.

GROTII (Hugon.) Delphensis, Christinae, Reginae Sueciae, a Consiliis, et Legati ad Regem Galliae (denat. 1645.), *Annotationes in Vetus Testamentum. Emendatius edidit et brevibus complurium locorum dilucidationibus auxit* GEORG. JOH. LUDOV. VOGEL, *Philos. in Reg. Frider. Prof. Publ.* Hal. 1775. 4.

H.

HACKMANNI (Dithmar), Verbi divini Ministri Vasenaariae prope Hag. Comit., *Praecidanea Sacra, sive Animadversionum Philologico-Criticarum ad Textum Originalem Veteris Testamenti Tomus primus, exhibens Genesin, Exodum et Leviticum.* Lugdun. Batav. 1735. 8.

HAMELSVELD (Ysbrand.), Theol. Prof. in Acad. Traject. (mort. 1812.), *biblische Geographie*

aus dem Holländ. übersetzt mit Anmerkungen von Rud. Jänisch. Hamburg. 1793 — 96. tribus voll. in octon.

HARMERS (Thom.), Verbi divini Ministri apud Dissentientes Waterfildiae (mort. a. 1788.), *Beobachtungen über den Orient aus Reisebeschreibungen zur Aufklärung der heiligen Schrift. Aus dem Englischen übersetzt, und mit Anmerkungen versehen von* JOH. ERNST FABER. *Erst. Th. Hamb.* 1772. 8. *Zweiter Theil, mit einer Vorrede von David Christoph Seybold, Prof. ebendas.* 1775. Haec pars secunda post mortem Fabri prodiit. *Dritter Theil, ebendas.* 1776. Quae pars versionis Theotiscae tertia continet supplementa et additamenta, quibus Anglus editionem libri alteram locupletavit. Interpres seu editor partis tertiae anonymus (WOLFG. PANZER, Antistes Norimberg.) adjunxit adpendicem animadversionum.

HARTMANN'S (Ant. Theod.), Theologi Rostochiensis, *Aufklärungen über Asien, für Bibelforscher, Freunde der Culturgeschichte und Verehrer der morgenländischen Literatur.* P. I. II. Oldenburg. 1806. 7. in octon.

EJUSD. *die Hebräerin am Putztische und als Braut.* P. I. II. III. cum tabulis aere expressis. Amstelod. 1809. 10. in octon.

HASSE (Jo. Gottf.), Regi Boruss. a consiliis ecclesiast. et Lingg. OO. Prof. in Academ. Regiomont. (mort. a. 1806.), *Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- und Menschengeschichte, aus näherer Beleuchtung ihrer Quellen. Nebst Materialien zu einer neuen Erklärung des ersten Buchs Mose (für jetzt der ersten drey Kapitel).* Halle u. Leipz. 1801. *Zweyter u. letzter Theil, oder Vorgeschichte;* ebendas. 1805. in oct.

HASSELQUISTS (Frider.), Medic. D. (mort. Smyrnae a. 1758.), *Reise nach Palästina in den*

Jahren von 1749 bis 1752. Auf Befehl Jhro Majestät der Königin von Schweden, herausgegeben von Carl Linnäus, aus dem Schwedischen. Rost. 1762. 8. Auctor sumtibus nationis Suecicae adjutus iter illud suscepit, et praeter Palaestinam etiam partem Aegypti perlustravit. Maxima observationum pars historiae naturali inservit; insunt tamen et multa de vita et moribus Orientalium. Auctor fide dignissimus.

HENSLERS (C. G.), Theologi Chilonens. (mort. a. 1812.), *Bemerkungen über Stellen in den Psalmen und in der Genesis* Hamb. et Kiel. 1791. 8.

HERDER (J. G.), Protosynedrii Vimariensis Praeses et Superintend. General. (mort. 1803.), *Vom Geist der hebräischen Poesie. Eine Einleitung für die Liebhaber derselben, und der ältesten Geschichte des menschlichen Geistes. Erster Theil.* Dessau 1782. *Zweyter Theil, ebendas.* 1783. 8.

HERODOTI, Halicarnassei, circa A. 450. ante C. N. flor., *Historiarum Libri IX. Musarum nominibus inscripti, Graece et Latine ex Laurentii Vallae interpretatione, cum adnotationibus Thomae Galei et Jacobi Gronovii. Editionem curavit, et suas itemque Ludov. Casp. Valkenarii notas adjecit* PETRUS WESSELINGIUS. *Accedunt praeter vitam Homeri varia ex priscis scriptoribus de Persis, Aegyptiis, Nilo, Indisque, Excerpta et praesertim ex Ctesia.* Amstel. 1773. 8.

HESYCHII Alexandrini, flor. exeunte Sec. IV. p. C. N., *Glossae Sacrae, Graece. Ex universo illius opere in usum interpretationis Librorum Sacrorum excerpsit, emendavit notisque illustravit* IO. CHR. GOTTLIEB ERNESTI, *Prof. Philosoph. P. E. Accesserunt praeter Dissertationem de Glossis Sacris Hesychii Glossae Gr. in Psalmos ex Catal. MStorum Bibl. Taurinens. denuo editae.* Lips. 1785. 8.

HESS (Jo. Jac.), Antistitis Sacror. Turicens., *Geschichte der Patriarchen. Erster und zweyter Band.* Zürch, 1776. 8.

DESSELB. *Geschichte Moses. Erster und zweyter Band.* Zürch. 1777. 8.

HETZELS (Wilh. Friedr.), Prof. Lingg. Oriental. primum in Academ. Gissensi, tum Dorpat., *die Bibel alten und neuen Testamentes, mit erklärenden Anmerkungen. Erster Theil, welcher die fünf Bücher Mosis enthält.* Lemgo 1780. 8.

HIERONYMI, Stridonensis Presbyteri (denat. a. 400.), *Liber de Situ et Nominibus locorum Hebraicorum*, e Graeco Eusebii textu latine versus exstat in *Oper.* Hieronymi, a Dominico Vallarsio Venetiis, 1767. Tomis undecim in quatern. editor., T. III. P. 1.

EJUSD. *Quaestiones in Genesin*, in Tom. III. P. 1. edit. Vallars. in quatern.

EJUSD. *Divina Bibliotheca* (Veteris Testamenti translatio Latina e fonte ab ipso facta), in T. IX. P. 1. edit. Vallars.

HILLERI (Matthaei), primum Theol. Graecaeque et OO. LL. in Academia Tubing. Prof., tum Abbatis Regiofontani in Ducatu Wirtenbergensi (denat. 1725.), *Hierophyticon sive Commentarius in loca Scripturae Sacrae, quae Plantarum faciunt mentionem, distinctus in duas Partes, quarum prior de arboribus, posterior de herbis dicta complectitur. Cui accedit Praefatio Salomonis Pfisteri, Professoris Bebenhusani, continens b. Auctoris vitam, merita et libros tam editos quam MStos.* Traj. ad Rhen. 1725. 4.

EJUSD. *Syntagmata hermeneutica, quibus loca Scripturae Sacrae plurima ex Hebraeo textu nove explicantur. Cum indicibus dictorum, rerum verborumque et autorum, qui vel notantur vel illustrantur.* Tubing. 1711. in quatern.

HILLERI, *de Arcano Kethib et Keri Libri duo, pro vindicanda S. Codicis Hebraei integritate, et firmanda locorum plus octingentorum explicatione, contra Ludovicum Cappellum, Isaacum Vossium, Waltonum et asseclas eorum scripti.* Tubing. 1692. in octon.

HOUBIGANTI (Caroli Francisci), *Oratorii Jesu Sacerdotis, Notae Criticae in universos Veteris Testamenti Libros cum hebraice tum graece scriptos, cum integris ejusdem Prolegomenis ad Exemplar Parisiense denuo recusa.* Francof. ad M. 1777. 2 Voll. 4. Hubigantii *Biblia Hebraica cum Notis criticis et versione Latina, ad notas criticas facta* prodierunt Lutet. Parisior. 1753. in quatuor Voll. fol.

HYDE (Thom.), Theol. D. Ling. Hebr. in Universit. Oxoniensi Prof. Reg. et Ling. Arab. Prof. Laudiani (mort. a. 1703.), *veterum Persarum et Parthorum et Medorum Religionis historia.* Oxon. 1700. Edit. sec. ibid. 1760. in quatern.

I.

JABLONSKY (Pauli Ernesti), Professoris Theologiae Francof. ad Viadr. (mort. 1757.), *Pantheon Aegyptiorum, sive de Diis eorum Commentarius, cum Prolegomenis de religione et theologia Aegyptiorum.* Francof. ad Viadr. Pars I. 1750. Pars II. et III. ibid. 1752. 8.

EJUSD. *Opuscula, quibus lingua et antiquitas Aegyptiorum, difficilia librorum sacrorum loca, et historiae ecclesiasticae capita illustrantur, magnam partem nunc primum in lucem protracta, vel ab ipso auctore emendata ac locupletata. Edidit atque animadversiones adjecit* JONA GUIL. TE WATER [Theol. Prof. in Acad. Lugduno-Batav.]. 3 Voll. Lugd. Bat. 1804—9. in oct.

JAHN (Joh.), Theol. D. ejusdemque et Lingg. Orientt. in Universitate Viennensi Profess. (mort. 1817.), *Einleitung in die göttlichen Bücher des alten Bundes. Zweyte ganz umgearbeitete Ausgabe. Erster Theil.* Wien, 1802. *Zweyter Th.* (*in vier Abschnitten*), ebend. 1803. in oct.

EJUSD. *biblische Archäologie. Erster Theil, 1. 2. Band, häusliche Alterthümer*, Wien, 1796. 97.; *zweyter Theil* (1. 2. *Band*), *politische Alterthümer*, ebendas. 1800. 2.; *dritter Theil, heilige Alterthümer*, ebend. 1805. 5 Voll. in oct. Tomi primi partes 1 et 2. denuo editio sunt Vienn. 1818. in octon.

JARCHI, sive potius Rabbi SCHELOMO BEN ISAAC, per compendium litterarum רש"י *Raschi*, i. e. רַבִּי שְׁלֹמֹה יִצְחָקִי dictus. De nomine יַרְחִי *Jarchi*, quo non solum a Christianis, per errorem, uti voluit post alios J. C. Wolfius in *Biblioth. Hebr.* P. I. p. 1058. not., verum et a Judaeis appellatur (vid. *Mss. Codices Hebraici Biblioth. J. B. De-Rossi*, Vol. I. p. 4.), haud satis constat, sitne ei ideo inditum, quod Lunatis (*Lunel*), quae urbs a *luna*, ירח, denominata, diu docuit, an vero fuerit familiae nomen. Natus est *Trecis* seu *Augustae Tricassinorum* (*Troyes*, urbe in Campania, Galliae provincia sita) anno p. C. n. 1040. (vid. De-Rossi *Dizionario storico degli autori Ebrei e delle loro opere*, Vol. I. p. 162.). Ejus Commentarii in omnes V. T. libros, qui magni aestimantur a Judaeis, leguntur in Bibliis Rabbinicis a Buxtorfio, Basil. 1618. 19. fol. editis, et Latine translata sunt, *cum duobus vetustissimis Codicibus MStis membranaceis collati atque notis illustrati a Joh. Frid. Breithaupto, S. Caes. Majest. ut et Duc. Saxon. Consiliario etc. cum rerum et verborum indice*, Gothae 1710. 13. et 14. tribus Voll. in quatern.

JERUSALEMS (Jo. Fr. Guil.), Abbat. Riddagshus. (mort. 1789.), *Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion, an Se. Durchlaucht den Erbprinzen von Braunschweig und Lüneburg. Erster und zweyter Theil*, Braunschweig, 1774. 8. min.

IKENII (Con.) *SS. Th. Doct. et Prof. ad aed. D. Steph.* (Brem.) *Past. Prim.* (mort. a. 1753.), *Dissertationes Philologico-Theologicae in diversa Sacri Codicis utriusque instrumenti loca, maximam partem nunc primum in lucem editae.* Lugd. Batav. 1749. 4. Vol. secund. edit. a JO. HERM. SCHACHT, Traject. Batav. 1770. in quat.

ILGEN (Carl Dav.), antea Linguar. OO. in acad. Jenensi, Prof., nunc Regi Borussor. a consiliis ecclesiasticis et scholiasticis, Rector. et Prof. scholae Portensis, *die Urkunden des Jerusalemschen Tempelarchivs in ihrer Urgestalt, als Beytrag zur Berichtigung der Geschichte der Religion und Politik, aus dem Hebräischen, mit kritischen und erklärenden Anmerkungen, auch mancherley dazu gehörigen Abhandlungen. Erster Th.* Halle, 1798. in octon. Quae prima pars, quae adhuc unica est, hanc praeterea peculiarem epigraphen gerit: *die Urkunden des ersten Buchs von Moses in ihrer Urgestalt, zum bessern Verständniſs und richtigern Gebrauch derselben in ihrer gegenwärtigen Form; aus dem Hebräischen, mit kritischen Anmerkungen und Nachweisungen, auch einer Abhandlung über die Trennung der Urkunden.*

JOSEPHI (Flavii), Judaei, primum sacerdotis, tum Praefecti Galilaeae, (nat. a. p. C. n. 37.), *Archaeologiae* sive *Historiae Judaicae* Libri XX., *de bello Judaico*, Libri VII., *de antiquitate Judaeorum contra Apionem*, Libri II, in Ejus *Operibus* Graece editis cum Jo. Hudsoni versione latina et

apparatu critico-exegetico copiosissimo, collatis plurium virorum doctissimorum studiis instructo a SIGEBERTO HAVERCAMPO, Ling. Gr. Historiar. et Eloqu. Prof. in Acad. Lugd. Bat. 1726. duobus Voll. fol. Ad quod exemplar textum Graecum una cum versione Latina excudi curavit FRANC. OBERTHÜR, Theol. D. et Prof. in Univers. Wirceburg., Lips. 1782. 83. et 85., tribus Voll. in octon.

JUSTI (Car. Guil.), Theol. Prof. et Superintend. Marburgens., *Nationalgesänge der Hebräer neu übersetzt und erläutert.* Voll. 3. Marb. et Lips. 1803. 16. et 18. in octon.

K.

KAEMPFERI (Engelbrecht), Med. Doct. Lemgoviensis (mort. 1716.), *Amoenitatum exoticarum politico-physico-medicarum Fasciculi V. quibus continentur variae relationes, observationes et descriptiones rerum Persicarum et ulterioris Asiae, multa attentione in peregrinationibus per universam Orientem collectae.* Lemgov. 1712. in quatern. Auctor, legationi Suecicae ad aulas Russicam et Persicam missae, ab epistolis, inde ab anno 1683. usque ad a. 1685. in Persia commoratus, in hoc libro multa memorabilia ad naturam et mores Orientis pertinentia summa fide et dexteritate descripsit.

KANNE (Jo. Arnold.), Linguar. OO. Prof. in Univers. Erlang., *biblische Untersuchungen und Auslegungen mit und ohne Polemik. Erster und zweyter Theil*, Erlang. 1819. 20. in oct.

KELLE (Car. Gottfr.), Verbi div. Minister Kleinwaltersdorf. prope Freyberg., *vorurtheilsfreye Würdigung der Mosaischen Schriften, als Prüfung der de-Wette'schen Kritik mosaischer Geschichten. Erster Heft.* Freyberg, 1811. *Vorurtheilsfreye Würdig. der Mos. Schriften, als Prü-*

fung der mythischen und offenbarungsgläubigen Bibelerklärung. Zweiter Heft; Freyberg, 1812.; *vorurtheilsfreye Würdig. der Mos. Schriften, als Beweis, daſs dem ersten B. Mos. eine einzige, wohl zusammenhängende, aber stark interpolirte Urschrift zum Grunde liege. Dritter Heft.* Freyberg, 1812. in oct.

KELLE, *die heiligen Schriften in ihrer Urgestalt und mit neuen Anmerkungen. Erster Band. Salomonische Schriften*, Freyb. 1812. *Zweyter Band, Mosaische Schriften. Erstes Buch. Moses Geschichte über die Vorzeit.* Freyb 1817. *Dritter Band. Masaische Schriften. Moses Geschichte seiner Zeit, aus dem zweyten bis fünften Buche herausgezogen.* Freyb. 1819. in oct.

KENNICOTI (Benjam.); Theol. Prof. in Univers. Oxoniensi, aedis Christi Canon. et Bibliothecar. Radcliff. mort. 1783.), *Dissertatio generalis in Vetus Testamentum Hebraicum cum variis lectionibus ex codicibus manuscriptis et impressis* [Oxon. 1776. 1780. duobus Voll. fol.]. *Recudi curavit et notas adjecit* PAUL. JAC. BRUNS, Histor. liter. P. O. in Acad. Jul. Carol. [i. e. Helmstad., tum in Halensi, mort. 1814.]. Brunsvic. 1783. in oct.

KIMCHII (R. David), Josephi fil., Hispani (clar. circa a. 1190.), ספר שרשים *Liber radicum*, i. e. Lexicon Hebraicum, Venetiis, 1547. Ejus Commentarius in Pentateuchum nondum est editus.

KORTENS (Jonas), *ehemaligen Buchhändlers zu Altona, Reise nach dem weiland gelobten, nun aber seit siebzehen hundert Jahren unter dem Fluche liegenden Lande, wie auch nach Aegypten, dem Berg Libanon, Syrien und Mesopotamien, von ihm selbst aufrichtig beschrieben, und dieser dritten Auflage das dritte und vierte Supplement hinten angefüget.* Halle, 1751. in oct. Epitome

hujus itinerarii legitur in der *Sammlung von Reisebeschreibungen in den Orient*, ab H. E. G. Paulo instruct. T. II.

L.

LAKEMACHERI (Jo. Gottfr.), Philol. Gr. in Acad. Jul. (Helmstad.) P. O. (mort. a. 1736.), *Observationes philologicae, quibus varia antiquitatis Hebraicae atque Graecae capita et nonnulla S. codicis loca nova luce collustrantur.* P. I—X. Helmstad. 1725—32. in oct.

LEO (Joh.) AFRICANUS, Granatensis Hispanus, primum Mohammedanus, tum Christianus, postea rursus Mohammedanus, Medicorum et Philosophorum Arabum biographus, partim sponte, partem principum nomine saepius legationis munere functus, partem magnam Europae Asiaeque et maximam Africae partem lustravit hujusque memorabilia Arabice descripsit. Cum vero Romae, ubi Christianus factus, linguam didicisset Italicam, descriptionem Africae Italice vertit (vixit circa a 1526.). Usus sum illius libri versione latina, cui titulus: *J. Leonis Africani totius Africae descriptio, Libris XII. primum Arabice scripta, inde Latine versa per Joan. Florianum.* Lugd. Batav. 1632. 2 Voll. in 24.

LILIENTHALII (Theod. Christ.), Theol. D. et Prof. in Univers. Regiomont. (mort. 1782.), *Commentatio Critica, sistens duorum Codicum MStorum Biblia Hebraica continentium, qui Regiomonti Borussorum asservantur, praestantissimorum notitiam, cum praecipuarum variantium lectionum ex utroque codice excerptarum sylloge.* Regiom. et Lips. 1770.

LOWTH (Roberti), primum Cod. Novi in Univers. Oxon. Socii, et Poet. Publ. Praelectoris, tum Episcopi Londinensis (mort. a. 1787.), *de Sacra*

Poesi Hebraeorum Praelectiones Academicae Oxonii habitae: subjicitur metricae Harianae brevis confutatio, et Oratio Crewiana. Notas et Epimetra adjecit Joh. Dav. Michaelis, Regi a Consil. Aul. Philos. Prof. Ord. et Societatis Regiae Scientiarum Goetting. Director. Editio secunda, accessionibus secundae editionis Oxoniensis ditata. Pars I. II. Goetting. 1770. 8. Suis animadversionibus adjectis edid. E. F. C. ROSENMÜLLER, Lips. 1815. in oct.

LUDOLFI (Jobi), alias LEUT-HOLF *dicti* (Electoris Saxonici Consiliarius et legatus Francofurti ad Moenum, qua in urbe mortuus est a. 1704.), *Historia Aethiopica, sive brevis et succincta descriptio regni Habessinorum, quod vulgo male Presbyteri Johannis vocatur. In qua Libris quatuor agit I. de natura et indole regionis et incolarum; II. de regimine politico, regum successione etc. III. de statu ecclesiastico, initio et progressu religionis Christianae etc. IV. de rebus privatis, litteratura, oeconomia etc. Cum tabula Capitum et indicibus necessariis.* Francof. ad M. 1681. cum tabb. aeneis. Fol.

EJUSD. *ad suam historiam Aethiopicam antehac editam Commentarius, in quo multa breviter dicta fusius narrantur, contraria refelluntur: atque hac occasione praeter res Aethiopicas multa autorum, quaedam etiam S. Scripturae loca declarantur: aliaque plurima geographica, historica et critica, in primis vero antiquitatem ecclesiasticam illustrantia, alibi haud facile obvia, exponuntur; ut variarum observationum loco haberi possit. Cum tabula Capitum, figuris et variis indicibus locupletissimis.* Francof. 1691. Fol.

EJUSD. *Appendix ad historiam Aethiopicam ejusque Commentarium, ex nova relatione de ho-*

dierno Habessiniae statu concinnata. Additis Epistolis Regiis ad societatem Indiae Orientalis ejusque Responsione cum Notis necessariis. Francof. 1693. fol.

LUDOLFI, *Appendix secunda ad historiam Aethiopicam, continens Dissertationem de Locustis anno praeterito immensa copia in Germania visis, cum Diatriba, qua auctoris sententia nova de* שלוים *Selavis, sive locustis, cibo Israelitarum in deserto, defenditur etc.* Francof. 1694. fol.

LÜDECKII (D. Christoph. Wilh.), *Past. Eccl. Teut. Holm. Prim. Consist. Ass. et Schol.*, antea per plures annos Verbi div. Minister apud coet. Protestantium Germanor. Smyrnae in Asia minori, *Expositio brevis Locorum Scripturae Sacrae ad Orientem sese referentium, in quibus vel mentio expressa, vel allusio saltem ad Orientis naturam, usus, consuetudines etc. occurrit, ex observationibus certis, plerumque propriis instituta.* Hal. 1777. 8.

M.

Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte. Herausgegeben von D. HEINR. PHIL. CONR. HENKE, Theol. Helmst. (mort. a. 1809.). Voll. *sex.* Helmst. 1794. 97. *Neues Magazin etc.* Voll. *sex*, ibid. 1797—1803.

MAII (Jo. Henr.), Fil., Antiqq. et Gr. et OO. LL. in Acad. Gissena P. P. (mort. a. 1732.), *Observationum Sacrarum ad diversa utriusque Testamenti loca Libri tres. Editio secunda, priore auctior.* Francof. a Moen. 1727. in oct.

MAUNDRELL (Henry), mercatorum Anglorum Halebae degentium a sacello, *Journey from Aleppo to Jerusalem, at easter* 1697. *With an Account of the Authors Journey to the banks of Euphrates at Beer, and to the country of Meso-*

potamia. Oxford, 1721. 8. Vernacule vers. in *der Sammlung der vornehmsten Reisen in den Orient* von H. E. G PAULUS. P. I. Jen. 1792.).

Memorabilien. Eine philosophisch-theologische Zeitschrift der Geschichte und Philosophie der Religionen, dem Bibelstudium und der morgenländischen Litteratur gewidmet von HEINR. EBERH. GOTTL. PAULUS, Theol. tum Jenens., nunc Heidelberg., Particulae *octo*. Lips. 1791 — 97.

MENDELSSOHN vid infra PENTATEUCHUS.

MERCERI (Joh.), *Regii quondam in Academia Parisiensi Litterarum Hebraicarum Professoris eruditissimi, diligentissimi et inprimis verae religionis cultoris* (mort. 1570.), *in Genesin, primum Mosis Librum, sic a Graecis dictum, Commentarius. Nunc primum in lucem editus addita Theodori Bezae praefatione*. Paris. 1598. Fol.

MICHAELIS (Joh. Dav.), Professoris Goettingensis (mort. a. 1791.), *Syntagma Commentationum*. Goetting. T. I. 1759. T. II. ib. 176 . 4.

EJUSD. *Fragen an eine Gesellschaft gelehrter Männer, die auf Befehl Ihrer Majestät des Königs von Dänemark nach Arabien reisen*, Frankf. 1762. 8.

EJUSD. *Commentationes in Societate Regia Scientiarum Goettingensi per annos* 1758 — 1762. *praelectae. Editio secunda auctior*, Brem. 1779. 4.

EJUSD. *Commentationes Societ. Reg. Goetting. per annos* 1763 — 1768. *praelectae*, Brem. 1769. 4.

EJUSD. *Vermischte Schriften*, Frankf. 1766. 1769. 2 Voll. 8.

EJUSD. *Zerstreute kleine Schriften gesammelt*. P. I. II. III. Jen. 1793. 94.

EJUSD. *Spicilegium Geographiae Hebraeorum*

exterae post Bochartum. T. I. 1769. T. II. 1780. Goetting. 4.

MICHAELIS (Joh. Dav.), *Deutsche Uebersetzung des alten Testaments mit Anmerkungen für Ungelehrte, zweyter Theil, das erste Buch Mose, zweyte Ausgabe.* Götting. 1775. 4. *Dritter Theil, das zweyte und dritte Buch Mose, zweyte Ausgabe*, 1787.

EJUSD. *Mosaisches Recht*, Francof. ad M. 1775—1780. 6 Voll. 8.

EJUSD. *Orientalische und exegetische Bibliothek*, Frankf. 1771—85. 23 Tom. 8.

EJUSD. *Neue orientalische und exegetische Bibliothek*, Götting. 1786—93. 9 Voll. 8. (a TH. CHR. TYCHSEN continuat.).

EJUSD. *Supplementa ad Lexica Hebraica.* 6 Tomi 1784—92. 4.

EJUSD. *Einleitung in das alte Testament, des ersten Theils erster Abschnitt*, Hamb. 1787. 4.

MICHLAL JOPHI, מכלל יופי, *Perfectio pulchritudinis, seu Commentarius in loca selecta vocesque et res difficiliores S. Scripturae, a* R. SALOMONE BEN-MELECH [clar. med. Sec. XVI.], *cum* לקט שכחה, *Spicilegio, seu rerum praeteritarum et intermissarum, authore* R. JACOB ABENDANA (mort. a. 1696.) Amstelod. anno a mundo condito 5445. (i. e. p. C. n. 1685.). fol.

MILLII (David.), Lingg. OO. Profess. Trajectini (mort. a. 1756.), *Dissertationes Selectae, Varia S. Litterarum et Antiquitatis Orientalis Capita exponentes et illustrantes.* Traj. ad Rhen. 1724. 8. *Curis secundis, novisque Dissertationibus, Orationibus, et Miscellaneis Orientalibus auctae*, Lugd. Batav. 1743. in quatern.

N.

NIEBUHR'S (Carsten), Regi Dan. a Consil. Justit. et Secretarius Provincialis Meldorpii in Dithmaria (mort. a. 1805.), *Beschreibung von Arabien; aus eigenen Beobachtungen und im Lande selbst gesammelten Nachrichten abgefasset.* Kopenh. 1772. 4 maj. cum XXV. tabb. aen. Auctor hujus operis praestantissimi socius fuit quatuor virorum doctorum (*Forskalii*, qui memorabilia naturae illarum regionum describere debebat, *von Haven*, Philologi, *Cramer*, Medici. *Baurenfeind*, pictoris), qui jussu sumtibusque Friderici V., regis Daniae, in usus litteraturae biblicae atque orientalis iter in Orientem, praecipue vero in Arabiam felicem, a. 1762. instituerunt. Niebuhrius unus rediit, cum quatuor socii in Aegypto et Arabia morbis periissent.

EJUSD. *Reisebeschreibung nach Arabien und andern umliegenden Ländern. Erster Band.* Kopenh. 1774. cum tabb. aen. LXXII. *Zweyter Bd. ebendas.* 1778. cum tabb. aen. LII. 4 maj.

NORDEN (Freder. Louis), *Capitaine des vaisseaux du Roi* (de Danemarc, mort. a. 1742.), *Voyage d'Egypte et de Nubie. Ouvrage enrichi de cartes et de figures dessinées par l'Auteur.* Voll. 2. Copenhague, 1755. fol. *Nouvelle edition, soigneusement conférée sur l'originale, avec des notes et des additions tirées des auteurs anciens et modernes et des Géographes Arabes,* par L. LANGLES. Paris, 1795. 3 Voll. in quatern. Itinerarii Nordeniani epitome Anglice prodiit Londin. 17.7. 2 Voll. in octon., quae in sermonem nostrum vernaculum translata est a JO. FRID. ESAI. STEFFENS, Seniore Minister. eccles. et Pastore primar. Stadensi, Vratislav. 1779. 2 Voll. in oct. *Reise nach Aegypten und Nubien. Uebersetzt von Joh. Fried. Es. Steffens, Senior des Ministerii und Pastor Primarius*

zu Stade. Breslau, 1779. 2 Voll. in 8. Cum Chartis et tabb. aen.

NOLDII (Christiani), *in Acad. Hafniensi S. S. Theol. D. et P. P.* (mort. a. 1683.), *Concordantiae Particularum Hebraeo-Chaldaicarum, in quibus partium indeclinabilium, quae occurrunt in fontibus et hactenus non expositae sunt in Lexicis aut Concordantiis, natura et sensuum varietas ostenditur. Digeruntur ea Methodo, ut Lexici et Concordantiarum loco simul esse possint. Accommodantur huc etiam particulae Graecae, conferuntur versiones, et multa Scripturae loca ita explicantur, ut ubi tenebrae vel dissensiones sunt, adjungantur annotationes et vindiciae.* JOH. GOTTFR. TYMPIUS, *Phil. Mag. Ordinique Philosoph. Academ. Jenens. adscriptus, summa cura recensuit et annotationes, quibus formalis harum vocum significatio secundum principia B. Danzii exponitur atque illustratur, nec non emendationes in nonnulla Vindiciarum loca ut et indices novos adjecit, suisque locis inseruit Concordantias Pronominum separatorum Hebraeorum et Chaldaicorum nunc primum congestas a M.* SIM. BENED. TYMPIO, *V. D. M. Denique Adpendicis loco subjunxit Lexica Particularum Hebraicarum* JOH. MICHAELIS et CHRIST. KÖRBERI. Jen. 1734. 4.

O.

OEDMANN (Samuel), Academ. Scientiar. Upsal. Soc., *vermischte Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heiligen Schrift. Aus d. Schwedischen von D. Gröning.* Partes *sex*, cum tabb. aere expressis. Rostock und Leipzig. 1786—1795. in octon.

ORIGENIS, Presbyteri Alexandrini, (mort. 253) *Hexaplorum quae supersunt, multis partibus auctiora quam a Flaminio Nobilio et Jo. Drusio edi-*

tae fuerint, ex manuscriptis et ex libris editis eruit et notis illustravit, D. BERNH. DE MONTFAUCON. *Accedunt opuscula quaedam Origenis anecdota et ad calcem Lexicon Hebraicum ex veterum interpretationibus concinnatum, itemque Lexicon Graecum et alia quae praemissus initio laterculus indicabit.* Tom. I. II. Par. 1713. Fol. Quod Opus in compendium redactum edidit CAR. FRID. BAHRDT, Lips. et Lubec. duob. Voll. 1769. 70. in oct.

P.

PAULSEN (Herm. Christ.), *Predigers in Crempe* (mort. a. 1780), *zuverlässige Nachrichten vom Ackerbau der Morgenländer, zur Erläuterung einiger Schriftstellen aus morgenländischen Reisebeschreibungen gesammelt, und mit einer Vorrede Sr. Hochw. Magnif., Herrn Kanzlers von Mosheim, Helmst.* 1748. 4.

EJUSD. *die Regierung der Morgenländer nach Anleitung morgenländischer Reisebeschreibungen zur Erläuterung einiger Schriftstellen entworfen. Erster Theil* (plures non prodiere), *Altona und Flensb.* 1755. 4.

PENTATEUCHUS *Mosis Arabice. Lugduni Batavorum, ex typographia Erpeniana Linguarum Orientalium. Prostant apud Joh. Maire,* 622. in quat. Versio Pentateuchi Arabica a Judaeo Mauritano confecta, et a Thoma Erpenio edita.

PENTATEUCHUS *Syriace. Ex Polyglottis Anglicanis summa fide edidit* M. GEORG. GUIL. KIRSCH, *Gymnasii quod Hofae est in Principatu Baruthino Rector.* Hof. et Lips. 1787. in quat.

PENTATEUCHUS Hebraice cum MOSIS *Mendelii* (*Mendelssohn*), Dessaviensis (mort. 1786.), translatione teutonica, literis Hebraicis expressa, ejusdemque et aliorum Commentariis hebraico sermone conscriptis, prodiit Berolini a. nostrae aerae

1783. quinque codicibus in octon. sub titulo ספר נתיבות השלום *Liber* (qui inscribitur) *Semitae pacis* Nos usi sumus editione hac insignita epigraphe: דרך סלולה הוא חיבור כולל חמשה חומשי תורה עם פי" רש"י ותרגום אונקלוס ותרגום אשכנזי ובאור ותקון סופרים והפטרות וחמש מגילות גם אלו עם פירש"י ותרגום אשכנזי ובאור והוגה על פי חומש של ר' איצק פרעמסלא הנדפס בא"ד. תקסא לפ"ק בפיורדיא: *Via strata. Syntagma hoc complectitur quinque quinterniones Legis cum Scholiis R. Salomonis Jarchi, translatione Onkelosi et translatione teutonica, Commentario exegetico et critico, Haphtaris et quinque Megilloth, quae et ipsa R. Salomonis Jarchi Scholiis, translatione teutonica et Commentario sunt instructa. Curata secundum Pentateuchum R. Isaac Premislaviensis, hac eadem ratione impressum. Anno* 561. *juxta computum minorem* (i. e. 1801.), *Furthae.* Voluminibus quinque in quatern. Commentarium criticum in Genesin et Exodum, qui תקון סופרים *ordinatio* s. *instructio scribarum* inscribitur, composuit R. Salomo Dubnensis, qui ipse et Commentarium exegeticum (באור), utrumque sermone hebraico, elaboravit. Commentarium in Exodum conscripsit Moses Mendelssohn, cui et totius Pentateuchi versio germanica debetur, Commentarium in Leviticum R. NAPHTALI HERZ WESSELY, Hamburgensis, et Commentarium in duos reliquos Pentateuchi libros consignavit Moses Mendelssohn, adjutus duobus viris doctis suae gentis, qui nomina sua taceri voluerunt. Commentarium criticum in tres posteriores Pentateuchi libros scripsit R. SCHALOM MESERITZENSIS.

PENTATEUCHUS *Hebraeo-Samaritanus charactere Hebraeo-Chaldaico editus cura et studio*

BENJAM. BLAYNEY, S. T. P., Linguae Hebr. Profess. Reg. (in Universit. Oxon.), aedis Christi Canonici. Oxon. 1790. in octon. Textui Samaritano subjecta est Lectionis varietas Codd. XVIII. e Bibliis Hebraicis a Kennicotto editis excerpta.

PENTATEUCHI *nova versio Graeca. Ex unico S. Marci bibliothecae codice Veneto nunc primum edidit* CHRISTOPH. FRID. AMMON, tunc Prof. E. in Acad. Erlang., nunc a Consiliis Ecclesiast. et Concionator aul. primar. Dresdens., P. I. *Genesin continens atque Exodum.* Erl. 1790. P. II. *Leviticum continens et Numeros*, ibid eod. a.; P. III. *continens Deuteronomium, Addenda, Indicem, et Commentationem de usu, indole et aetate hujus versionis, cum tabula aeri incisa.* Ibid. 1791. in octon.

PERIZONII (Jac.), Historr. et Ling. Gr. Professor, primum in Acad. Franequ., tum Lugd. Batav. (mort. a. 1715.), *Origines Babylonicae et Aegyptiacae, Tomi II. quorum prior Babylonica et Turris in terra Sinear extructae ac dispersionis hominum ex ea rationem ac historiam continet; posterior Aegyptiacarum originum et temporum antiquissimorum investigationem continet; in qua Marshami Chronologia funditus evertitur, tum illa Usserii, Cappelli, Pezronii aliorumque examinantur et confutantur.* Lugd. Batav. 1711. 8.

PFEIFFERI (Aug.), Th. D., primum in Acad. Lips. PP., tum ecclesiarum Lubecensium Superint. (mort. a. 1698.), *Dubia vexata Scripturae Sacrae, sive loca difficiliora Veteris Testam. circa quae auctores dissident vel haerent, adductis et modeste expensis aliorum sententiis, succincte decisa, tamque elucida expedita, ut cuivis de vero sensu et diversis interpretationibus constare facile queat. Nec non Ebraica atque Exotica Novi Test. e suis fonti-*

bus derivata; cui accedit Decas Selecta Exercitationum Biblicarum. Edit. Quarta. Lips. 1699. 4.

ΦΙΛΩΝΟΣ του Ιουδαιου (clar. circa a. 30. p. C. n.) *τα ευρισκομενα απαντα. Philonis Judaei Opera quae reperiri potuerunt omnia. Textum cum MSS. contulit, quamplurima etiam e Codd. Vaticano, Mediceo, et Bodleiano, Scriptoribus item vetustis, nec non Catenis Graecis ineditis, adjecit, Interpretationemque emendavit, universa notis et Observationibus illustravit* THOMAS MANGEY, *Canonicus Dunelmensis.* Vol. I. II. *Londini*, 1742. Fol.

PLINII (Caji Secundi, mort. a. 79. p. C. n.), *Historiae Naturalis Libri XXXVII., quos interpretatione et notis illustravit* JOANNES HARDUINUS, *e Societate Jesu. Editio altera emendatior et auctior.* T. I. II. Paris. 1723. Fol.

PLUTARCHI Chaeronensis (flor. sub fin. sec. I. et init. sec. II.), *Liber de Iside et Oriside, graece et anglice. Graeca recensuit, emendavit, commentario auxit, versionem novam Anglicam adjecit Samuel Squire. Accesserunt Xylandri, Baxteri, Bentleji, Marklandi conjecturae et emendationes. Cantabr.* 1744. 8.

POCOCKE'S (D. Richard), qui a. 1737. seqq. itinera per Orientis regiones instituit (mort. a. 1765.), *Beschreibung des Morgenlandes und einiger andern Länder. Zwote Auflage, nach der englischen Grundschrift genau durchgesehen und verbessert von M* JOH. FRIEDR. BREYER, *der Weltweisheit ordentlichen Lehrer auf der Friedrich-Alexanders Universität Erlangen; und mit Anmerkungen erläutert von* JOH. CHRISTIAN DANIEL SCHREBER, *Hochfürstl. Brandenburg. Onolzbach. Hofrathe, und Prof. der Kräuterwissenschaft und Oekonomie auf ermeldter Universität. Erster Theil, Erlangen,* 1771. *Zweyter Theil, ebendas.* 1772.

Dritter Theil, ebendas. 1773. 4. Cum mappis geographicis et tabulis pluribus aliis aere expressis.

POLI (Matth.), Londinensis, Verbi div. Min. (mort. 1679.), *Synopsis Criticorum aliorumque S. Scripturae interpretum et commentatorum, summo studio et fide adornata.* Londin. 1669. quinque Voll. fol. Repetit. Francof. ad Moen. 1678. totid. Voll. et ead. form.

POLLUCIS (Julii), Aegyptii (flor. sub fin. sec. II.), *Onomasticon, ex edit Joh. Heinr. Lederlini et Tiberii Hemsterhusii, Graece et Latine, cum suis et Seberi, Gothofredi Jungermanni hucusque ineditis, Kuhnii, Vossii, Salmasii et H. Valesii adnotationibus indicibusque locupletissimis. Amstel.* 1706. *Fol.*

R.

RAVII (Sebaldi), *Linguar. Oriental. in Acad. Ultraject. Prof.* (mort. 18..), *Exercitationes philologicae ad Car. Franc. Hubigantii Prolegomena in Scripturam Sacram.* Lugd. Batav. 1785. in qu.

RELANDI (Hadriani), Prof. Lingg. Orient. et Antiqq. Eccles. Ultraject. (mort. 1718.), *Palaestina ex monumentis veteribus illustrata.* Traject. Batav. 1714. 2 Tomi in 4. cum tabb. geogr. Repet. Norimberg. 1716. in quat.

EJUSD. *Dissertationes miscellaneae*, P. I. II. III. Traj. ad Rhen. 1706. 7. 8. in oct.

REPERTORIUM *für biblische und morgenländische Litteratur.* 18 Voll. 8. [edit. a JOH. GOTTFR. EICHHORN.] *Neues Repertorium für biblische und morgenländische Litteratur, herausgegeben von* HEINR. EBERH. GOTTL. PAULUS, Theol. Jen. 3 Voll. 8. Jen. 1790. 91.

ROBERTSONI (Jac.), T. D., Linguar. OO. in Acad. Edinburgena Prof., *Clavis Pentateuchi; sive analysis omnium vocum Hebraicarum suo ordi-*

ne in Pentateucho Mosis occurentium: una cum versione Latina et Anglica, notis criticis et philologicis adjectis, in quibus ex lingua Arabica, Judaeorum moribus et Doctorum itinerariis, plurium locorum S. S. sensus eruitur, novaque versione illustratur. In usum juventutis Academicae Edinburganae. Cui praemittuntur Dissertationes duae; I. de antiquitate linguae Arabicae ejusque convenientia cum lingua Hebraea etc.; II. de genuina Punctorum vocalium antiquitate, contra Clariss. Cappellum, Waltonum, Masclefum, Hutchinsonum, aliosque, ex ipsius linguae Hebraeae ejusque dialectorum indole deprompta. Edinb. 1770. in oct.

ROSENMÜLLER (Ern. Frid. Car.), *das alte und neue Morgenland; oder Erläuterungen der heiligen Schrift aus der natürlichen Beschaffenheit, den Sagen, Sitten und Gebräuchen des Morgenlandes. Mit eingeschalteter Uebersetzung von* SAMUEL BURDER'S *Morgenländischen Gebräuchen, und* WILLIAM WARD'S *Erläuterungen der heiligen Schrift aus den Sitten und Gebräuchen der Hindus.* Lips. 1818—20. Voll. *sex* in octon.

de ROSSI (Joh. Bernh.), *S. T. D. in Reg. Parmens. Academia Lingg. Oriental. Prof., Variae lectiones Veteris Testamenti ex immensa MSS. Editorumque Codicum congerie haustae, et ad Samar. Textum, ad vetustiss. Versiones, et accuratiores Sacrae Criticae Fontes ac Leges examinatae. Parm.* 1784—88. 4 Voll. 4 maj.

EJUSD. *Scholia critica in V. T. libros, seu Supplementa ad varias sacri textus lectiones.* Ibid. 1799. in quat.

RUSSEL (Alex.), Medic. Doct. (mort. 1768.), *the Natural History of Aleppo and parts adiacent, containing a description of the city and the principal natural productions in its neighbourhood,*

together with an account of the climate, inhabitants and diseases, particularly of the plague, with the methods used by the Europeans for their preservation. Lond. 1756. in quat. maj. Cum tabulis aere expressis. Editio secunda, recognita et pluribus accessionibus aucta a PATRIC. RUSSEL, auctoris fratre, Lond. 1794. in quat. In linguam teutonicam convertit, adjectis suis animadversionibus JO. FRID. GMELIN, Hist. Nat. Prof. Goetting., ibid. 1797. Voll. 3. in octon.

S.

SAMMLUNG *der merkwürdigsten Reisen in den Orient, in Uebersetzungen und Auszügen mit ausgewählten Kupfern und Charten, auch mit den nöthigen Einleitungen, Anmerkungen und collectiven Registern herausgegeben von* H. E. G. PAULUS, der oriental. Literat. Prof. zu Jena (nunc Theol. Prof. Primar. in Univers. Heidelb.), Jenae, 1792 — 1803. Voll. *septem* in octon.

SCHELLINGII (Jos. Frid.), A. M. et ecclesiae Leonbergensis in ducatu Wirtemb. Diac. (nunc Regi Wirtemberg. a Consiliis et monasterii Murchardens. Abbat.), *Descriptio codicis manuscripti Hebraeo Biblici, qui Stutgardiae in Bibliotheca illustris Consistorii Wirtembergici asservatur, cum variarum Lectionum ex eo notatarum Collectione. Praemissa est Dissertatio de justo hodierni studii, quod in excutiendis Codicibus Vet. Testamenti MSS. collocatur, pretio et moderamine.* Stutgard. 1775. 8.

SCHROEDERI (Nicol. Guil.), Linguar. Orientall. et Antiq. Hebr. in Academ. Gröning. Profess. (mort. a. 1798.), *Institutiones ad fundamenta Linguae Hebraeae.* Editio novis indicibus aucta et emendata. Ulmae, 1785. in oct.

EJUSD. *Observationes selectae ad Origines Hebraeas*, Gröning. 1762. 1770. 4.

SCHULTENSII (Alb.), Prof. Litt. Orient. Lugd. Batav. (mort. a. 1750.), *Origines Hebraeae, sive Hebraeae Ling. antiquissima natura et indoles, ex Arabiae penetralibus revocata.* Editio altera, cui adjectum opusculum *de defectibus hodiernis Linguae Hebr.* Lugd. Batav. 1761. in quat.

EJUSD. *Opera minora; animadversiones ejus in Jobum et ad varia loca V. T. nec non varias Dissertationes et Orationes complectentia, antehac seorsim in lucem emissa, nunc in unum corpus collecta et conjunctim edita, una cum Indicibus necessariis, Lugd. Bat. et Leovard.* 1769. 4.

SELDENI (Joh.), Juris Consulti Angli (mort. a. 1654.), *de Diis Syris Syntagmata II. Adversaria nempe de Numinibus commentitiis in Veteri Instrumento memoratis. Accedunt fere quae sunt reliqua Syrorum. Prisca porro Arabum, Aegyptiorum, Persarum, Afrorum, Europaeorum item Theologia subinde illustratur. Editio juxta alteram emendatiorem et tertia parte auctiorem quarta cum indicibus duobus et animadversionibus locupletata ab* M. A. B. (i. e. M. ANDR. BEYERO, Ecclesiaste Freyb.), Lips. 1668. in oct.

EJUSD. *de Jure Naturae et Gentium juxta disciplinam Ebraeorum Libri septem.* Londini, 1640. fol.

EJUSD. *Uxor Ebraica, seu de Nuptiis et Divortiis ex jure civili, id est, divino et Talmudico, Veterum Ebraeorum, libri tres. Ejusdem de Successionibus ad leges Ebraeorum in bona defunctorum Liber singularis, in Pontificatum, libri duo. Editio nova*, Francof. ad Oder. 1673. in quat.

EJUSD. *de Synedriis et Praefecturis Juridi-*

cis veterum Ebraeorum libri tres. Editio novissima indicibus copiosissimis locupletata. Francofurti 1696. in quat.

SHAW (Thom.), Gr. Ling. Prof. et Colleg. S. Edmundi Oxon. Rect. (mort. 1751.), *Travels, or Observations to several parts of Barbary and the Levant,* etc. Oxford. 1738. fol. edit. sec. Londin. 17 1. in quat. maj. Theotisce hac epigraphe: THOM. SHAW'S *Reisen, oder Anmerkungen verschiedene Theile der Barbarey und der Levante betreffend. Nach der zweyten englischen Ausgabe ins Deutsche übersetzt, und mit vielen Landkarten und Kupfern erläutert. Leipz.* 1765. in quat.

SIMON (Rich.), Congregat. Oratorii S. Mauri Presbyteri (mort. a. 1712.), *Histoire critique du Vieux Testament. Nouvelle edition, et qui est la premiere imprimée sur la copie de Paris, augmentée d'une Apologie generale, de plusieurs Remarques critiques, et d'une Réponse par un Theologien Protestant. On a de-plus ajoûté à cette edition une Table des matieres, et tout ce qui a été imprimé jusqu'à présent à l'occasion de cette Histoire critique.* Rotterdam, 1685. in quat. Latine hac epigraphe: *Historia Critica Veteris Testamenti, sive Historia Textus Hebraici a Mose ad nostra usque tempora. Authore R. P. Richardo Simone. E Gallico in Latinum versa a Natali Alberto de Versè,* S. Th. et Medic. Doct. *Juxta exemplar impressium* Parisiis, 1681. in quatern.

SIMONIS (Joh.), *Hist. S. et Antiqq. Profess. in Gymnas. Reformat. Halensi* (mort. 1768.), *Lexicon manuale Hebraicum et Chaldaicum, Hal.* 1757. 8. *Recensuit, emendavit, auxit* IO. GODOFR. EICHHORN. Edit. tertia. Hal. 1793. in oct.

EIUSD. *Onomasticum Veteris Testamenti, sive Tractatus philologicus, quo nomina V. T. propria ad appellativorum analogiam reducta ex originibus et formis suis explicantur, cum aliarum gentium nominibus conferuntur, impositionis ratio, quantum fieri potuit, ubique ostenditur, atque adeo linguae originali nova lux affunditur. Accedit Appendix continens Spicilegium Observationum et Additionum ad Arcanum formarum Nomin. Hebrr.* Hal. 1741. in quat.

SPENCERI (Joh.), *S. T. Doct. Ecclesiae Eliensis Decani et Collegii Corporis Christi apud Cantabrig. Praefecti* (mort. 1693.), *de Legibus Hebraeorum ritualibus et earum rationibus Libri quatuor. Ad nuperam Cantabrigiensem, in qua Liber quartus, varia Capita et Dissertationes aliaque Autoris Supplementa accessere, accurate efformata. Praemittitur* CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII, *Theologi primarii et Cancellarii Tubingensis, Dissertatio praeliminaris, qua de vita Spenceri, de libri pretio et erroribus quoque disseritur, autoresque, qui contra Spencerum scripsere, enarrantur.* Tubing. 1732. fol. Voll. *duobus.*

STARKII (Henr. Bened.), Linguar. OO. in Acad. Lips. P. E. (mort. a. 1727.), ביאורי המקרא, *sive Notae selectae criticae, philologicae, exegeticae, in loca dubia ac difficiliora Pentateuchi, Josuae, Judicum, Samuelis, Regum, Chronicorum, Esrae et Nehemiae, ex consilio fontium, inprimis interpunctionis authenticae.* Lips. 1714. in quat. *Notae selectae* etc. *in loca dubia et diffcil. Jobi, Psalmor., Proverbior., Ecclesiast et Cant.*, Lips. 1717. *Notae selectae etc. in Prophetas*, ibid. 1723. in quat.

STORRII (Gottl. Christ.), primum Prof. Theol. Tubingensis, tum Concionat. aul. primar. Stut-

gard. (mort. a. 1815.), *Observationes ad Analogiam et Syntaxin Hebraicam pertinentes.* Tubing. 1779. in octon.

STRABONIS (vix. circa tempus Christi nati), *Rerum Geographicarum Libri XVII. Graeca ad optimos codices manuscriptos recensuit, varietate lectionis, adnotationibusque illustravit, Xylandri versionem emendavit* JO. PHIL. SIEBENKEES, Prof. Altorf. *Tomus primus*, Lips., 1796. *Inde a septimo libro continuavit* CAR. HENR. TZSCHUCKE, Schol. Elector. Misnens. Conrect. (tum Rect.) T. II — VI. Lips. 1798 — 1811. in oct.

SUIDAE *et Phavorini Glossae Sacrae Graece. Cum Spicilegio Glossarum Sacrarum Hesychii et Etymologici Magni congessit, emendavit, et notis illustravit Jo. Christ. Gottlieb Ernesti, Profess. Philosoph. Extraord. Accessit Dissertatiuncula de Glossis Sacris Suidae et Phavorini. Lips.* 1786. 8.

SYLLOGE *Dissertationum Philologico-Exegeticarum, a diversis Auctoribus editarum, sub Praesidio A. Schultens, J. J. Schultens et N. G. Schroeder defensarum. Pars I.* Leid. 1775. *Pars II.* ibid. 1775. in quatern.

SYLLOGE *Commentationum theologicarum edita a* D. J. POTT, *monaster. Mariaevallens. Abb. ac Prof. Theol. in Acad. Helmstad.* [nunc Goetting.], *et* GEORG. ALEX. RUPERTI, *Gymnas. Stadens. Rect.* [nunc Superintend. General. Stad.]. Vol. I — VIII. Helmst. 1800 — 7. in oct.

T.

THEODORETI *Episcopi Cyri* (mort. circa a. 457.), *Opera omnia, ex recensione Jac. Sirmondi denuo edidit, Graeca e Codicibus locupletavit,*

antiquiores editiones adhibuit, versionem latinam recognovit, et variantes lectiones adjecit Jo. Ludov. Schulze, Gr. et Orient. Lingg. in Acad. Hal. P. P. O. Tom. I — V. Hal. 1769 — 1775. in oct. maj.

THESAURUS *theologico - philologicus, sive Sylloge Dissertationum elegantiorum, ad selectiora et illustriora Veteris et Novi Testamenti loca; a Theologis Protestantibus in Germania separatim diversis temporibus conscriptarum. Secundum ordinem utriusque Testamenti librorum digesta,* Amstelaedami, 1701. Voll. duob. in fol.

THESAURUS *novus theologico - philologicus, sive Sylloge Dissertationum* etc. *ex Musaeo* THEODORI HASAEI *et* CONRADI IKENII, *Doctorum in illustri schola et ecclesia Bremensi.* Lugd. Batav. et Amstelod. 1732. Voll. duob. in fol.

THEVENOT (Mich.), mort. in Persia a. 1667, *Relation d'un Voyage fait au Levant, dans laquelle il est curieusement traité des estats sujets au Grand Seigneur, des moeurs, religions, gouvernemens, politiques, langues et coustumes des habitans de ce grand empire;* etc. a Rouen, et se vend a Paris, 1665. in quat.

V.

VATER (Jo. Sever.), Theol. Prof. in Univers. Halensi, *Commentar über den Pentateuch. Mit Einleitungen zu den einzelnen Abschnitten, der eingeschalteten Uebersetzung von Dr. Alexander Geddes merkwürdigeren critischen und exegetischen Anmerkungen, und einer Abhandlung über Moses und die Verfasser des Pentateuchs. Erster Theil,* Halle, 1802. *Zweiter Theil,* ibid. 1803. *Dritter Th.,* ibid. 1805. in oct.

VETUS TESTAMENTUM *ex versione Septuaginta interpretum. Olim ad fidem codicis Ms. Alexandrini summo studio et incredibili fide expressum, emendatum ac suppletum a Joanne Ernesto Grabe, nunc vero exemplaris Vaticani aliorumque Mss. codd. lectionibus Varr. nec non criticis Dissertationibus illustratum insigniterque locupletatum Summa cura edidit* JOA. JAC. BREITINGER [Canonic. et LL. Graecae, et Hebr. Prof. Turic., mort. 1776.]. Tiguri Helvetior. 1730. quatuor Voll. in quatern.

VETUS TESTAMENTUM *Graece cum variis lectionibus. Edidit* ROB. HOLMES, S. T. P. R(eg.). S(ociet. Scientiar.). S ocius). *Aed. Christi Canonic.* (Oxonii, mort. a. 1806.). *Tomus primus.* [Pentateuchum continens]. Oxon. 1798. *Editionem a Rob. Holmes inchoatam continuavit* JACOB PARSONS, S. T. B. *Tomus secundus* (Partibus *septem*, librr. Josnae, Judic. Ruth. Samuel. et Reg. Paralip. et Daniel complect.) 1810 — 18. Fol. De hujus operis instituto et ratione pluribus disseruit JACOB. AMERSFOORDT in *Dissertat. de variis lectionibus Holmesianis locorum quorundam Pentateuchi Mosaici.* Lugd Batav. 1815. in quatern.

VITRINGAE (Campeg.), Theol. et Hist. sacr. Prof. in Acad. Franequer. (mort. a. 1722.), *Observationum Sacrarum libri sex, in quibus de rebus varii argumenti et utilissimae investigationis, critice et theologice, disseritur; sacrorum imprimis librorum loca multa obscuriora nova vel clariore luce perfunduntur. Editio novissima, cui accessit Auctoris Geographia Sacra anecdota, et praemissa est Ejusdem vita.* Jenae, 1723. Voll. duob. in quatern.

L.

VOLNEY (Car. Fr.), Regni Gall. Comit., (mort. a. 1820.), *Voyage en Syrie et en Egypte pendant les années 1783. 84. et 85.* T. I. II. *Quatrième édition*, Paris 1807. in oct. *Theotisce* Jenae, 1788. duob. Voll. cum mappis geographicis et tabulis aliis aere expressis. In oct.

EJUSD. *Recherches nouvelles sur l'histoire ancienne. Ire Partie, examen de l'histoire des Juifs jusqu'à la captivité de Babylonne. Edition revue et complète. Paris,* 1814. *IIe Partie, comprenant la Chronologie d'Herodote pour les Lydiens, les Assyriens, les Mèdes, les Perses, et les époques de Ninus, de Zoroastre, de Féridoun* etc., ibid. 1815. *IIIe et dernière Partie, Chronologie des Babyloniens et des Egyptiens*; ibid. 1814. in octon.

W.

WALTONI (Briani), Episcopi Chestrens. (mort. 1661.), *in Biblia Polyglotta Prolegomena. Praefatus est D. Jo. Aug. Dathe.* Lips. 1777. in oct.

WETTE (Wilh. Mart. Leber. de), Theol. Prof. primum Heidelbergens., tum Berolinensis, nunc vitam privatam agens Vinariae, *Beiträge zur Einleitung in das Alte Testament. Erstes Bändchen*; hac quoque instructa epigraphe: *Kritischer Versuch über die Glaubwürdigkeit der Bücher der Chronik, mit Hinsicht auf die Geschichte der Mosaischen Bücher und Gesetzgebung. Ein Beitrag zu den Vaterschen Untersuchungen über den Pentateuch.* Halle, 1806. *Beiträge zur Einleit. in das Alte Testament. Zweiter Band*, hanc quoque epigraphen gerens: *Kritik der Israelitischen*

Geschichte. Erster Theil, Kritik der Mosaischen Geschichte; ibid. 1807. in oct.

WETTE (Wilh. Mart. Leber. de), *Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung in die kanonischen und apokryphischen Bücher des Alten Testaments.* Berlin, 1817. in oct.

WINER (Georg. Bened.), Theol. D. et Prof. in Univers. Lips., *biblisches Realwörterbuch zum Handgebrauch für Studirende, Candidaten, Gymnasiallehrer und Prediger.* Lips. 1820. in oct.

EJUSD. *de Versionis Pentateuchi Samaritanae indole Dissertatio critico-exegetica.* Lips. 1817. in octon.

EJUSD. *de Onkeloso ejusque Paraphrasi Chaldaica Dissertatio.* ibid. 1820. in quatern.

WITSII (Herm.), Theol. Prof. primum Franequer., tum Trajectin., denique Leidensis (mort. 1708), *Aegyptiaca et Δεκάφυλον, sive de Aegyptiorum Sacrorum cum Hebraicis collatione libri tres, et de decem tribubus Israelis liber singularis Accessit Diatribe de legione fulminatrice Christianorum sub Imperatore Marco Aurelio Antonino.* Basil. 1739. in quat.

EJUSD. *Miscellanea Sacra*, T. I. II. Lugd. Batav. 1736. in quat.

Z.

ZORN (Petri), Professoris primum in Gymnasio Sedinensi, tum Thorunensi (mort. 1746.), *Bibliotheca antiquaria et exegetica in universam Scripturam S. Vet. et Novi Testamenti. Omnium adhuc locupletissima, nec in lucem hac ratione edita, nec visa unquam. Doctissimi rarissimique*

ex Hispanis, Italis, Gallis, Anglis, Belgis, Germanis etc. antiquarii, quatenus Theologorum usui et Sacri Codicis lectioni inserviunt, optima fide recensentur, emendantur, et variis Auctoris observationibus adaugentur. Tom. I. (Partibus *duodecim* constans, plures non sunt sequuti). Francof. et Lips. 1724. in oct.

ZORN (Petri), *Opuscula Sacra, hoc est, Programmatum, Dissertationum, Orationum, Epistolarum et Schediasmatum, in quibus praeter selectissima historiae ecclesiasticae et literariae capita etiam plus quam sexcenta S. Scripturae loca, partim ex utriusque linguae sanctioris genio, partim ex antiquitatum Hebraicarum, Graecarum et Romanarum apparatu illustrantur et vindicantur.* T. I. II. Altonav. 1731. in octon.

PROLEGOMENA.

I.

PROLEGOMENA
IN
PENTATEUCHUM.

I.

Pentateuchi appellatio.

Quod in omnibus, quotquot hodie exstant, sacrae bibliothecae gentis Hebraeae codicibus et antiquis illius versionibus primum locum tenet, quinque librorum syntagma, Hebraeis חֲמִשָּׁה חוּמְשֵׁי תוֹרָה *quinque quinquerniones legis*, vel concisius חֲמִשָּׁה חוּמָּשִׁים *quinque quinquerniones* ab illorum numero vocatur. Singuli appellantur חוּמָּשׁ *quinta pars*. Hebraicae illi appellationi plane respondet Graecorum Πεντάτευχος, *volumen quinquepartitum* [1]). Ceterum universus Pentateuchus

---

1) Compositum enim est vocabulum e πέντε *quinque* et τεῦχος, quod et *vas* et *volumen, librum*, denotare constat. Quare errant, qui Πεντάτευχος per ellipsin pro ἡ πεντάτευχος βίβλος dici opinantur. Qua de re fusius quam necesse erat disseruit *Th. F. Stange* in Commentatiuncula, quae inscripta est: *Cujus generis ist Pentateuchus?* inserta *den Analekten*

Hebraeis vulgo תּוֹרָה *Lex* appellatur, quia religionis et reipublicae Hebraeae constitutiones a Mose divino jussu conditas complectitur.

II.

Pentateuchum esse a Mose scriptum, vetus et communis opinio. Quibusnam argumentis ea nitatur?

Pentateuchum Mosi auctori tribuit omnis Hebraea et Christiana antiquitas [2]), neque id vana

---

für das Studium der exeget. und systemat. Theologie, Vol. I. Partic. 1. p. 22. sqq. ubi non *Pentateuchus Mosaicus*, sed *Pentateuchus Mosaicum* scribendum praecipit, quum Graecum τεῦχος, quod omnes norunt, neutro sit genere. Nos quidem sequimur receptum, qui per plura secula invaluit, loquendi usum, ex quo *Pentateuchus* tanquam Nomen Latinum generis masculini tractatur.

2) Nazaraeos si exceperis (qui utrum ad Judaeos an ad Christianos referendi sint, dubium est), quos Joannes Damascenus in libro *de haeresibus* §. 19. (apud Cotelerium Tom. I. Monumentor. Ecclesiae Graecae) Pentateuchum non esse Mosis statuisse dicit aliosque illi substituisse libros. Τὰς δὲ τῆς Πεντατεύχου, inquit is, οὐκ εἶναι Μωϋσέως δογματίζουσιν· ἄλλας δὲ παρ' αὐτὰς ἔχειν διαβεβαιοῦνται. Post illos Ptolemaeus quidam, scriptor Gnosticus, in epistola ad Florum, quam servavit Epiphanius Haeresi XXXIII., recudi fecit et Grabius in Spicil. T. I. et Massuetus ad Irenaeum p. 357. seqq., trifariam Legem omnem distributam esse statuit; esse, quae Deum habeant auctorem; alia Mosis ipsius consilio atque instituto deberi, alia ad seniores populi referenda esse. Hieronymus in libro adversus Helvidium T. II. p. 212. edit. Vallars. in quat. dicit: *Sive Mosen dicere volueris aucto-*

quadam opinione, aut incerta fama, sed rationibus, quae vel ex ipso ductae sunt opere, vel aliis idoneis testimoniis nituntur. Atque ad argumenta quidem quod attinet, ex ipso Pentateucho petita, quae Mosen illius auctorem arguant, et sub finem operis [3]) disertis verbis Moses testatur, esse *hunc integrum librum a principio usque ad finem* a se conscriptum, proceribus populi et sacerdotibus traditum, ut in adyto sacri tabernaculi penes arcam foederis custodiatur, et septimo quoque anno, diebus festi tabernaculorum universo populo praelegatur, et in opere ipso passim nunc singulas leges, nunc rerum gestarum narrationes a se in hoc libro consignatas esse Moses ait. Ita Exod. XVII, 14. insidias, quas Amalekitae Hebraeis itinere defatigatis et debilibus struxerunt, proelium, quod consequutum est, et decretum illis futuro aevo excidium, Moses dicit se divino jussu *inscripsisse libro*, incoepto haud dubie, et in quo jam plura exaraverat, ut inde colligitur, quod cum Articulo בַּסֵּפֶר (non בְּסֵפֶר) scripsit, quo innuit, se de certo quodam et satis noto libro loqui. Postquam Israe-

---

rem Pentateuchi, sive Esram ejusdem instauratorem operis, non recuso. Similiter Tertullianus in libro de cultu feminarum Cap. 3.: *Omne instrumentum Judaicae literaturae per Esdram constat restauratum.* Quae sententia, pluribus Graecis et Latinis patribus probata, nititur illis, quae Hebraei tradunt de libris sacris ab Esra et Synagoga magna recognitis, et in eum quem nunc referunt, ordinem digestis; vid. *Buxtorfii Tiberias* L. I. Cap. 10.

3) Deut. XXXI, 9—13. 22. 24—26.

litae cum Jova foedus pepigissent ad montem Sinai, et leges a Mose accepissent, *scripsit Moses omnia verba Jovae in libro foederis, quem universo populo praelegit*, Exod. XXIV, 4, 7. His praeceptis quum postea plura alia addita essent, iterum jussus est Moses ea literis consignare, Exod. XXXIV, 27. Porro Num. XXXIII, 1. 2. Moses profectiones et itinera Israelitarum, prouti ibi leguntur, ex Jovae mandato perscripsisse dicitur. Numerorum liber clauditur (XXXVI, 13.) his verbis: *Haec sunt praecepta et jura, quae Jova per Mosen Israelitis dedit in locis campestribus Moabitarum ad Jordanem, e regione Jerichuntis.* Denique in Deuteronomio, quo legum in tribus, qui praecedunt, libris traditarum ἀνακεφαλαιώσις, explicationes, et supplementa continentur, Moses in suis ad populum adhortationibus iterum iterumque *hanc legem* (הַתּוֹרָה הַזֹּאת) [4], et *hujus Legis librum* (סֵפֶר הַתּוֹרָה הַזֹּאת) [5] commemorat. Inprimis notabilis est locus XXVIII, 61., ubi in oratione, qua Moses Israelitis, si divinis praeceptis non obtemperarint, infausta omnia minatur, inter alia haec leguntur: *Omnes etiam morbos omnesque plagas, quae non scriptae sunt in libro hujus legis, immittet tibi Jova.* Ex quo sequitur, Mosen hunc librum, in quo comminationes istae perscriptae erant, populo tradidisse, adeoque sermones suos ipsum literis mandasse.

Hisce in Pentateucho ipso obviis locis, qui-

---

4) XVII, 18. 19. XXXI, 9. 10. 11.

5) XXVIII, 61. XXIX, 19. 20. 26.

bus Moses sese illius scriptorem diserte nuncupat, accedunt plura reliquorum V. T. librorum loca, quibus hoc ipsum opus nomine *Legis Mosis*, *Legis, quam Jova per Mosen dedit*, commemoratur. In libro Josuae, qui etsi hujus ducis aetate multo recentior est, tamen maximam partem e commentariis si non plane coaevis, certe satis vetustis, fere ad verbum, uti fert mos scriptorum orientalium, haud dubie compositus est, legimus I, 7. 8. mox post obitum Mosis monitum fuisse Josuam, ut *librum legis Mosis perpetuo legat*; et Josua in oratione ad populum habita (XXIII, 3—16.) monet primores Israelitarum, ut faciant omnia, quae in *libro legis Mosis scripta essent*, pluresque non tantum leges, verum etiam res gestas in eo descriptas, comminationes et promissiones in eo propositas commemorat. In comitiis quoque ultimis, quae Josua Cap. XXIV. habuisse narratur, praecipua Pentateuchi capita ille summatim repetit, foedus cum Jova instaurat, idque *addit libro legis Jovae* (Vs. 26.), qui haud dubie idem est liber, qui I, 7. 8. et XXIII, 6. VIII, 32. dicitur *liber legis Mosis* et VIII, 34. *liber legis*. Davides moribundus Salomonem filium hortatur (1 Reg. II, 3.), ut servet omnia praecepta, jura et statuta, prouti *scripta illa sint in lege Mosis* [6]). Nihil plane dubitationis admittit locus 2 Reg. XIV, 6., quo Amazias rex Judae, pepercisse filiis perduellium dicitur, *sicuti scriptum* (praescriptum) *est in libro legis*

6) כַּכָּתוּב בְּתוֹרַת מֹשֶׁה.

Mosis [7]), subjectis statim ex illo verbis, quae huc spectant, quae illa ipsa sunt, quae hodienum Deut. XXIV, 16. leguntur. 2 Reg. XXII, 8. seqq. *liber legis*, qui paulo inferius XXIII, 2. *liber foederis* (סֵפֶר הַבְּרִית), et 2 Chron. XXXIV, 14. distinctius *liber legis per Mosen scriptus* dicitur, ab Hilkia, summo pontifice, in templo repertus narratur, e quo Saphanes, scriba regius, Josiae, regi, praelegerit *promissiones et comminationes*, quae vix aliae esse possunt, quam quae Levit. XXVI, 3 — 45. et Deuter. XXVII, 11. — XXVIII, 68. continentur; atque e 2 Reg. XXIII, 21 — 23. patet, Josiam regem paschatos festum iisdem solemnibus ac ritibus instituisse, qui in *libro foederis* ab Hilkia reperto, perscripti fuissent [8]). 2 Reg. XXIII,

---

7) כַּכָּתוּב בְּסֵפֶר תּוֹרַת־מֹשֶׁה.

8) Librum legis ab Hilkia in templo repertum non fuisse codicem aliquem legum breviorem, quo Judaei inde a Davidis aut Salomonis aetate usi fuissent, quae Vateri, V. S. V., est sententia in Commentat. super Pentateucho, ejusdem Commentario in eundem addita (P. III. p. 589. seqq. 594.), neque, ut alii volunt, decalogum duntaxat, aut librum foederis Exod. XXIV, 7. memoratum angustissimis limitibus circumscriptum, sed integrum Pentateuchum, pluribus demonstravit *Leonh. Bertholdt*, V. S. V., in Dissertat. *de eo, quod in purgatione sacrorum Judaicorum per Josiam regem facta omnium maxime contigerit memorabile*, Erlang. 1817. 4. p. 17. seqq. „Celebratio," inquit, „paschatis ab Josia rege quam maxime solenniter, uti ex libro ab Hilkia reperto cognitum habuit, instituta suadet, ut hunc librum non Deuteronomium, vel minorem librum postea in hoc conjectum, sed totum Pentateuchum fuisse credamus. Pauciora sunt, quae Deuteronomion de paschate Cap. XVI,

25. dicitur, nullum comparandum esse regem Josiae, regi Judae, qui se ita ad Jovam tota mente, toto animo summaque ope, *uti fert tota Mosis lex* [9]), converterit. Postquam e Babylonicis terris in patriam rediisset pars Judaeorum, Jesua sacerdos, ejusque cognati sacerdotes, et Serubabel ejusque cognati, aram Dei Israelitarum instituerunt construere, ad offerenda in ea holocausta, *quemadmodum praescriptum est in lege Mosis, viri divini* [10]) (Esr. III, 2.); intelliguntur quae Levit. VI, 1. (al. 7. seqq.) de holocaustis offerendis praecipiuntur. In dedicatione templi secundi Esr. VI, 18., ministrasse dicuntur Levitae et sacerdotes, in suas classes et curias distributi, *secundum praescriptum libri Mosis* [11]), videlicet Num. III, 6. seqq. VIII, 11. 14. Nehemias in precatione, quae Cap. I. libri de ipso appellati legitur, confitetur (Vs. 7.), Israelitas non servasse praecepta, instituta, jura, quae Jova Mosi, ministro suo, mandasset, oratque Deum (Vs. 8. 9.), meminerit eorum, quae Mosi promiserit his verbis: *vos cum transgressi fueritis mea praecepta, et ego inter nationes vos dissipavero, nihilominus si ad me reversi fueritis et praecepta mea servaveritis, etiamsi ad coeli*

1—8. exhibet, neque illa omnem rem concernunt; lex principalis de festo azymorum celebrando exstat Exod. XII, 1—20. et Numer. XXVIII, 16—25., quam rex Josias in ordinandis solemnibus ob oculos habuerit necesse est."

9) בְּכָל תּוֹרַת מֹשֶׁה.

10) כַּכָּתוּב בְּתוֹרַת מֹשֶׁה.

11) כִּכְתָב סֵפֶר מֹשֶׁה.

extrema dispersi fueritis, vos inde colligam, et in locum, quem nomini meo collocando delegero, adducam, quae prorsus conveniunt cum iis, quae Levit. XXVI, 41. Deut. IV, 26. 27. XXVIII, 64. XXX, 1. seqq. legimus. Quae loca etsi in iis libris exstent, quae pluribus post Mosen seculis sunt scripti, partim brevi ante eversum per Chaldaeos regnum Judaicum, partim post restauratas, Cyro favente, res Hebraeas, tamen hoc probant, fuisse ista aetate, id est, sexto ante Christum natum seculo, libros, e quibus leges, promissiones et minae superius commemoratae afferuntur, communi gentis Hebraeae judicio pro talibus habitos, qui a Mose essent conscripti. Jam vero si cogitamus, tale judicium non paucorum quorundam hominum opinione formari, sed niti debere eo, quod majoribus acceptum per plures aetates propagatum esset; loca illa e reliquis V. T. libris a nobis allata argumentum neutiquam leve Mosaicae Pentateuchi originis praebent. Accedit autem huic argumento non parum roboris inde, quod res sacras et civiles Hebraeorum omni tempore, a Josuae inde aetate, ad legum, quae in his libris traditae sunt, normam conformatas fuisse deprehendimus. Quodsi enim quaedam illarum nonnumquam per aliquod temporis spatium neglectae erant, paulo post tamen omnia ad ea, quae in Pentateuchi libris praescripta essent, restituebantur. In libris V. T. historicis perpetuo laudantur, quae libris illis consentanea, et reprehenduntur, quae iis contraria acta sunt. Prophetae toti sunt in eo, ut populares cohortentur ad obsequium eo-

rum, quae in Pentateucho sunt praescripta, iisdem, quas in illo legimus, propositis bonorum promissionibus et malorum comminationibus. Praeterea plura, quae a majoribus sunt facta, iisve evenerunt, eodem plane, quo in Pentateucho ea narrata legimus modo commemorant, ut vix dubium sit, hausisse illos ex hoc fonte. Hic igitur prophetarum, et quidem jam antiquiorum, quorum supersunt scripta, Hoseae [12]), Joelis [13]), Amosi [14]), Michae [15]), Jesajae [16]), tam frequens ad ea, quae

---

12) Vid. IX, 10. coll. cum Num. XXV, 3.; Hos. XI, 8. coll. cum Genes. XIX, 24. 25.; Hos. XII, 4. 5. coll. cum Gen. XXV, 22. 26. XXXII, 24. 25.; Hos. XII, 13. coll. cum Gen. XXVIII, 5. XXIX, 20.

13) I, 9. 13. queritur vates desiisse *ferta* et *libamina*, quae e praescripto legum Levit. II, 1. seqq. VI, 14. Num. XV, 4. 5. 7. XXVIII, 7. 14. offerenda erant. Joel. I, 6. manifesta est allusio ad sacrificia eucharistica et primitias in templo oblatas, quibus hilares vescebantur lege ita jubente Deut. XII, 6. 7. XVI, 10. 11.

14) II, 9. coll. cum Num. XXI, 21. 24. Amos. IV, 4. memorantur praeter sacrificium quotidianum (Num. XXVIII, 3. 4.) et *decimae;* cf. not. nostr. ad eum loc. Amos. IV, 10. coll. cum Exod. IV, 3. seqq.; Amos. IV, 11. coll. cum Gen. XIX, 24. 25.; Amos. IX, 13. coll. cum Levit. XXVI, 5.

15) VI, 5. coll. cum Num. XXII, 2. seqq. et XXV, 1. seqq.; Mich. VI, 6. coll. cum Levit. IX, 2. 3.; Mich. VI, 15. coll. cum Levit. XXVI, 16. Deut. XXVIII, 33.

16) I, 11 — 14. commemorantur eadem sacrificia et festa, de quibus pluribus Pentateuchi locis praecipitur; vid. et Jes. XII, 2. coll. cum Exod. XV, 2. Praetermitto loca Jesaj. LI, 2. LIV, 9., quorum priori ad Gen. XII, 2. XVII, 2., posteriori ad Genes. VIII, 21. IX, 11. respici, nemo dubitat, quia pars posterior libri ejus, qui a Jesaja nomen habet, a vate quodam recentiore scripta videtur.

in Pentateucho praescripta et enarrata sunt, respectus, pro argumento habetur, et exstitisse illum iis, quibus vixerunt illi, temporibus, et tantum apud eos habuisse auctoritatis et fidei, quantum merebatur opus, quod a rerum suarum conditore profectum credebant.

Argumenta autem illa (*externa* dicere possumus), quibus Mosen Pentateuchi auctorem esse colligitur, confirmat totius operis indoles, argumentum, et conformatio. Nam quae illo continentur historica, religiosa, politica et geographica remotissimae antiquitatis, ea maxime, quae ad historiam et rem naturalem Aegypti et Arabiae spectant, ita sunt comparata, uti a viro, qui veteri aevo in Aegypto liberaliter educatus et instructus esset, qualis erat Moses, consignata esse credibile est. Tum quae in Pentateucho legimus de exitu Hebraeorum, Mose duce, ex Aegypto, eorumque per Arabiae deserta itinere, plane sunt consentanea locorum et temporum, quibus facta narrantur, rationibus. Quod ipsum valet de legibus institutisque, quae populo, quem duxit, tradidisse in hisce libris Moses dicitur. In eorum librorum postremo eundem, qui populum suum per plures annos gubernavit, eique leges, quae tribus superioribus libris continentur, promulgavit, ad eundem populum loquentem audimus; sed jam aetate provectum, quod probat stylus latior et diffusior, quem in Deuteronomio omnes observant. Audimus in hoc libro ducem morti propinquum, suis omnia, quae ipsis, se moderante, accidissent, in memoriam revocantem, eosque ad eas, quas ipsis divina

auctoritate tradidisset leges diligenter servandas graviter adhortantem, nonnullas quoque leges retractantem et supplentem. Deuteronomium vero scriptos ponit tres, qui praecedunt, libros, ad quorum argumentum saepe provocat, observationem legum, quae in illis leguntur, urget, et a gestis, quae in iis narrantur, rationes obtemperandi legibus depromit, ita ut sine libris illis lectores Deuteronomion ne quidem satis intelligere potuissent. Ordo orationis non ubique commodus, et oratio ipsa progreditur saepe per disrupta sine nexu fragmenta, haud raro singulari clausula terminata; quae arguunt auctorem non continenter scribentem, sed saepius interruptum, qualem novimus Mosen, tot tantisque negotiis obrutum, continuisque migrationibus distractum. Dispositio denique totius operis est ea, qualis a viro, qui populo rudi et inculto leges et jura dare, et civitatem bene moratam beneque constitutam instituere in animum induxerat, exspectetur. Nam in primo libro atque priori libri secundi parte, quasi praefatione tradendarum legum praestituta, ea praemittit, quae aut ad rerum sequentium seriem et ordinem necessaria erant, aut animis Israelitarum ad religionem et cultum unius Dei, rerum omnium creatoris et moderatoris, informandis inservire poterant, de quo plura in Prooemio ad Genesin dicemus. Legibus ipsis immiscet fere sola illa gesta, quae illis occasionem praebuerunt, vel ad commendandam legum observationem spectant; legesque fere omnes exhibet eo ordine, quo promulgatae fuerunt. Quae quum ita sint, nihil obstare vi-

detur, quo minus hosce libros ab eo scriptos credamus, cui et communis omnium temporum opinio, et reliqua V. T. monumenta illos, uti auctori, assignant.

III.

Quae sententiae, Pentateuchum esse a Mose scriptum, adversari videantur.

Veteri tamen illi et communi Judaeorum et Christianorum sententiae, esse Pentateuchum, qualem nunc legimus, a Mose scriptum, aetas recentior plura opposuit, in opere ipso obvia, quae illam minime admittere videantur. Alia ex linguae ejus indole, alia e conformatione et indole totius libri, alia e singulis ejus locis petita sunt. Et ad linguam quidem quod attinet, eam, qua Pentateuchus est scriptus, dicunt ab illa, qua novissimi sacrae Hebraeorum bibliothecae libri sunt exarati, multo minus differre, quam in libris, tanto temporis spatio a se distantibus jure quis exspectet. Easdem enim in iis, qui exilii Babylonici temporibus scripti sunt, deprehendimus vocum formas, flexiones, significationes, quas in libris, qui Mosi tribuuntur. Quis vero, inquiunt, credat, fuisse soli omnium sermoni Hebraeo tantam stabilitatem, ut mille annorum decursu nullam experta esset vicissitudinem [17]? Ad conformationem autem et indolem totius operis quod spectat, ajunt esse plu-

---

17) Quod inprimis urget *Nachtigal* in Commentat. Not. 43. laudanda.

ra, quae arguant, non esse opus uno contextu et ab uno homine scriptum, sed ex pluribus variorum temporum et auctorum monumentis compositum. Quo pertinent primo singularum operis partium, argumentis suis invicem sejunctarum, saepius recurrentes et inscriptiones [18]) et clausulae [19]), repetitae earundem rerum mox prolixiores, mox breviores narrationes [20]), quae tamen in singulis haud raro inter se discrepant [21]), styli quoque varietate, et diversarum de iisdem rebus

---

18) Vid. Gen. II, 4. V, 1. VI, 9. XXV, 12. 19. XXXVI, 1. Exod. VI, 14. Num. XXXIII, 1.

19) E. c. Levit. VII, 37. 38. XXVI, 46. XXVII, 34. Deut. IV, 45.

20) Veluti eorum quae eluvionem Noachicam praecesserunt Genes. VI, 13. 14. 17—22. et VII, 1—5. Manna bis describitur, Exod. XVI, 14. seqq. et Num. XI, 7. seqq. Ita quae Exod. XL, 36—38. dicta sunt repetuntur Num. IX, 15—23. Vid. et Deut. V, 2—6. coll. cum IV, 10—13., et XII, 20—24. coll. cum Vs. 13—16.

21) Sic Genes XXVIII, 19. appellat Jacobus locum, quo *in itinere in Mesopotamiam* pernoctavit, *Bethel*, quo respicit XXXV, 1—7.; sed XXXV, 6. 8—15. Deus Jacobo *ex Mesopotamia reduci* apparuisse, et nomen *Israelis* indidisse narratur, unde Jacobus locum illum appellarit; contra XXXII, 28. 29. mutat Deus nomen Jacobi postquam cum ipso luctatus esset; oppidum *Bethel* autem jam Genes. XII, 8. Abrahami temporibus memoratur. Deut. II, 29. Edomitae et Moabitae Hebraeis transitum et commeatum, pro pretio soluto, concessisse dicuntur; sed XXIII, 3. 4. Ammonitas et Moabitas Hebraeis terram illorum transeuntibus commeatum denegasse legimus, non commemoratis Edomitis; Num XX, 18. vero Edomitae Hebraeis transitum denegasse dicuntur, nulla Moabitarum et Ammonitarum mentione facta.

dictionum usu varios scriptores prodant [22]). Accedit duorum illorum, quibus Hebraei summum nomen appellare solent, nominum, *Elohim* et *Jehova*, usus alternans, cujus haec est ratio, ut in aliis longioribus ejusdem argumenti capitibus Deus constanter *Elohim*, in aliis *Jehova* appelletur, illisque particulis, in quibus nomen *Elohim* usurpatur, certae loquendi formulae atque dictiones sint propriae et peculiares, quae in illis, quae nomine *Jehova* uti solent, non reperiuntur [23]). Porro vulgo receptae de Pentateucho a Mose scripto sententiae opponunt plura illius loca, quae seriorem Mose aetatem prodant, nec ab eo consignata esse possint. Commemorantur enim urbes iis nominibus, quae illis post Mosen demum indita sunt [24]), ad-

---

22) Argumenta, quae Pentateuchum ex variis variorum temporum et auctorum scriptionibus compositum esse arguant, diligentissime exposuit *J. S. Vater* in Commentatione ad calcem Partis tertiae Commentarii in Pentateuchnm sermone vernaculo a se editi p. 421—515.

23) Quod quidem in Genesi potissimum observatur (de quo plura in Prolegomenis ad eum librum). Verum et in Exodi particulis pluribus usque ad Cap. XXII. nomina *Elohim* et *Jova* vicissim usurpantur; sed in reliqua Pentateuchi parte *Elohim* rarius occurrit, partem illam, quae de Bileamo agit (Num. XXII. XXIII. XXIV.) si excipias, nam in Bileami oraculis constanter *Elohim* legitur, excepto Num. XXIV, 6., ubi *Jehova* exstat.

24) Veluti Genes. XIII, 18. occurrit nomen חֶבְרוֹן, quod nonnisi post tempora Mosis impositum oppido, uti liquet e Jos. XIV, 15. XV, 13., ubi nomen mutasse temporibus Calebi et Josuae dicitur. Similiter Gen. XIV, 14. et Deut. XXXIV, 1. commemoratur urbs *Dan*, quae tamen post divisos a Jo-

jiciuntur, explicationis causa, hic illic quae a Mose addita esse vix credibile est [25]), de rebus denique pluribus mentio injicitur eo modo, qui arguat scriptorem, qui longo post Mosen tempore vixerit [26]).

IV.

Eorum, qui Pentateuchum Mosi abjudicant, variae de illius origine sententiae.

Qui argumentis supra allatis ducti Pentateu-

---

sua Cananaeae agros id nominis consequuta est, propterea quod a Danitis capta esset; antea vocabatur *Laisch*, aut *Leschem*, Jos. XIX, 47. Jud. YVIII, 29.

25) Ita Gen. XIV, 7. nomini urbis עֵין מִשְׁפָּט additur, eam nunc dici קָדֵשׁ, et Vs. 8. oppidum בֶּלַע nunc dici צֹעַר. Similia vid. Vs. 17. XXIII, 19. XXXV, 19. XLVIII, 7. Deut. IV, 48.

26) Sic Gen. XIII, 7. verba: *Cananaei vero et Pherezaei tunc temporis*, Abrahami et Lothi aetate, *eum tractum tenuere*, nonnisi ab aliquo, qui post Cananaeos sedibus suis expulsos vixerit, scribi potuerunt. Gen. XXXVI, 31. leguntur haec verba: *Hi vero sunt reges, qui in Idumaea regnarunt, antequam Israelitis rex esset constitutus.* Tum recensentur octo regum nomina, posteriores prioribus mortuis successerunt, usque ad Vs. 39. Totam igitur hanc novem commatum περιοχὴν ab aliquo, qui postquam regnari Hebraei coeperunt, additam esse oportet. Exodi Cap. VI. recitato Aaronis et Mosis genere Versu 26.: הוּא אַהֲרֹן וּמֹשֶׁה *Ille Aaron et Moses, quibus dixit Jova: e terra Aegyptia educite Israelitas.* הֵם הַמְדַבְּרִים *illi convenerunt Pharaonem, regem Aegypti, ut educerent Israelitas ex Ae-*

chum a Mose scriptum esse negant [27]), in diversas de illius origine sententias discedunt, quas, pro instituti ratione, breviter recensebimus.

---

gypto, משה וְאַהֲרֹן הוּא *ille Moses et Aaron.* In quibus verbis non urgetur tertia persona, qua de se loquutos constat varios historiarum scriptores; sed Pronomen demonstrativum הוּא et הֵם, quod a vivente Mose et de se ipso scribente vix adhiberi potuisse videtur. Alia hujusmodi loca recenset Vater, l. c. p. 635. seqq.

27) Quibus non accensendi illi, qui Pentateuchi libros, quales nunc legimus, serioribus temporibus retractatos, atque additamentis nonnullis, quae illustrandi causa adjecta essent, auctos statuunt. Ex quibus est *Andr. Masius*, qui in Praefatione ad suum in Josuae librum Commentarium postquam dixisset, sibi hanc esse opinionem, ut putet, Esram sive solum, sive cum aequalibus, non solum Josuae, verum etiam Judicum, Regumque libros ex antiquioribus annalibus compilasse, in hunc modum pergit: *Quin ipsum etiam Mosis opus, quod vocant* Πεντάτευχον, *longo post Mosen tempore interjectis saltem, hic illic verborum et sententiarum clausulis, veluti sarcitum, atque omnino explicatius redditum esse, conjecturae bonae afferri facile possunt: nam ut unam, exempli causa, dicam, Cariath-arbe saepe illic Hebron nominatur, et tamen hoc illi urbi nomen a Calebi filio Hebrone, impositum esse, graves auctores tradiderunt.* Vid. supra Not. 24. Et in Commentario ipso ad Jos. XIX, 47. haec leguntur: *Est quidem hoc nuncupatus nomine* (Dan) *is locus* (Laisch, sive Leschem) *in Mosis libro, XIV, 14. Verum ne Mosis quidem memoriâ sic fuisse dictum, est ex iis verbis perspicuum, quae nunc tractamus. Neque Mosis libros sic ut nunc habentur ab illo esse compositos certum est, sed ab Ezdra, aut alio quopiam divino viro, qui pro vetustis et exoletis locorum nominibus, quibus rerum gesta-*

Thomas Hobbes [28]) Pentateuchum de Mose appellatum putat non quod ab eo scriptus sit, sed quod de eo agat; quamvis concedat, fieri posse, ut ea scripserit, quae his libris ab eo scripta narrantur, veluti codicem legum, qui, uti ipsi videtur, continetur a Capite X. Deuteronomii usque ad finem Capitis XXVII.

Isaaci Peyrerii opinio fuit [29]), scripsisse Mosen diurnos commentarios rerum omnium memorabilium, quae a se et aliis sua aetate gestae fuissent, quibus praemiserit Judaeorum fastos ab Adamo ad sua usque tempora; sed illos libros jam dudum periisse, eorumque nunc non nisi excerpta quaedam superesse. Ex istis Mosaicis commentariis conflatum putat *librum bellorum Jovae*, Numer. XXI, 14. commemoratum, e quo deinceps liber Numerorum excerptus fuerit.

Benedictus Spinoza omnes V. T. libros historicos, qui res ante Esrae aetatem gestas enarrant, unum habere auctorem, contendit [30]),

---

rum memoria posset optime et percipi et conservari, reposuerit.

28) In *Leviathane* (Lond. 1651.) P. III. Cap. 33.

29) In *System. theolog. ex Praeadamitarum hypothesi* (Lugd. Batav. 1655.) L. IV. Cap. 1. p. 185. seqq., ubi et recenset eas partes, quas longo post tempore additas putat scriptis illis commentariis. De famoso isto libro ejusque auctore quaedam lectu non injucunda tradidit *Rich. Simon Lettres choisies* T. II. Lettre I. et IV.

30) In *Tractatu Theologico-politico* (Amstelod. 1670. 4.) Cap. VIII. IX. p. 103.

quem Esram fuisse suspicatur. Deuteronomium vero primum eorum librorum esse conjicit, qui ab Esra conscripti sint, partim quia leges patrias continet, quibus populus maxime indigebat, partim quia iste liber nulla conjunctione antecedenti alicui annectitur, sed soluta oratione incipit, *haec sunt verba Mosis.* Deinde Esram studium adhibuisse credit ad integram historiam gentis Hebraeae describendam, a mundo condito usque ad Urbem a Chaldaeis eversam, cui librum Deuteronomii suo loco inseruerit. Addit Spinoza, forte Esram primos quinque librorum historicorum a se conscriptorum nomine Mosis vocasse, quod in iis potissimum res ab eo gestae sint traditae. Neque tamen Esram huic operi ultimam manum imposuisse, nihilque aliud illum fecisse autumat, quam historias ex diversis scriptoribus colligere, et quandoque nonnisi simpliciter describere, ita ut eas neque examinatas, neque ordinatas posteris reliquerit. Quae autem causae impediverint, nisi forte intempestiva mors, quo minus Esras hoc opus omnibus suis numeris adimpleverit, fatetur se non posse conjicere. Hos denique qualescunque Esrae commentarios non nisi mancos, mutilos, multisque mendis foedatos ad nos pervenisse vult, sic ut de prisca historia integrum habeamus nihil, quod non multa correctione indigeat. Quae omnia prolixe exequitur Spinoza, et argumentis exemplisque firmare studet [31].

---

31) Quod Aben-Esram secum consentire dixit Spinoza,

Richardus Simon [32]) difficiles nodos, quibus Pentateuchi interpretem implicant et frequentes in illo earundem rerum repetitiones haud raro in singulis inter se pugnantes, et loci, qui aetatem Mose multo seriorem arguunt, facillime expediri posse arbitratur, si Pentateuchum e variis publicorum scribarum, quos Moses, more Aegyptio, constituisset, commentariis et membranis disjunctis inordinatisque compositum esse sumamus.

---

non satis ingenue fecit; nec enim dubium est, Aben-Esram id tantum velle, ratione carere communem illam et vulgatam apud Judaeos sententiam, quae verba omnia, a primo ad ultimum, per hos quinque libros ad Mosen refert auctorem. En Aben-Esrae verba ad Deut. I, 2. ואם תבין סוד השנים עשר גם יכתב משה והכנעני אז בארץ גם בהר יהוה יראה גם הנה ערשו ערש ברזל תכיר האמת *Si attendas mysterium τῶν duodecim* (i. e. Versus ultimos duodecim Deuteronomii, qui describunt Mosis mortem), *tum loca haec: Deut. XXXI, 9., Genes. XII, 6., XXII, 14. et Deut. III, 10. 11., cognosces veritatem,* videlicet, non omnia ac singula in Pentateucho a Mose posse scripta esse, sed quaedam post eum ab aliis explicationis causa esse addita. A Spinozae sententia ceterum haud longe discedit *Ant. van Dale,* qui in libro *de origine et progressu idololatriae* (Amstelod. 1696. 4.) p. 71. Pentateuchum ab Esdra ceterisque prophetis ex captivitate redeuntibus tum ex ipsa lege Mosis, tum ex reliquis libris propheticis in illa memoratis adornatum putat. Quod repetit p. 686. suaeque sententiae rationes pluribus exponit in Epistola ad Steph. Morinum libro isto addita p. 42. seqq.

32) In *Historia critica V. T.*, Gallico sermone scripta (quae primum prodiit Lutet. Paris. 1678. 4., Latine 1681. 4. tum aucta Roterodami 1685. 4.) L. I. Cap. II.

Simonii sententiam dum in censuram vocaret *Joannes Clericus*[33]), cum illo in eo quidem consentiebat, quod Mosi Pentateuchi conscriptionem abjudicabat, sed quod illius originem attinet, hanc proponebat conjecturam, compositum esse eo tempore, quo veteres Hebraicae literae, quibus primum scriptus esset, notiores essent novis, quas in Babylonico exilio adoptassent, et ab eo auctore, qui neque Samaritanis neque Judaeis esset suspectus, atque e cujus manu illum haud illubenter susciperent. Haec omnia convenire in sacerdotem illum Israeliticum, e Babylonia missum, ut novos Palaestinae incolas edoceret ritum quo regionis istius Deus amabat coli[34]). Credere par esse, sacerdotem hunc, sive solum, sive adjutum ab aliis, ut rudes illos populos a πολυθεΐας errore abduceret, molitum esse historiam de mundo unius Dei virtute condito, et epitomen historiae Hebraicae usque ad exitum Hebraeorum ex Aegypto, ut palam fieret, non nisi unum Deum esse, eum nimirum, quem colunt Hebraei. Scripsisse autem hanc historiam Hebraice, antiquis literarum characteribus, vel quia Chaldaicae linguae nondum

---

33) In libro qui inscribitur: *Sentimens de quelques Theologiens d'Hollande sur l'histoire critique du V. T.* Amsterd. 1685. 8. (in sermonem vernaculum translatus hac epigraphe: *Briefe einiger Holländischer Gottesgelehrten über R. Simons kritische Geschichte des A. T.*, Zürich, 1779. 8.) Lettre VI.

34) 2 Reg. XVII, 27. 28.

satis gnarus esset, vel ob aliam causam, nobis incognitam. Annum, quo haec facta sunt, determinare difficile esse, videri tamen contigisse post decimum octavum regni Josiae. Hoc enim anno inventus fuit liber legis, sine quo extremam manum operi suo imponere sacerdos ille non potuisset, quippe qui maximam Hebraeae historiae partem contineret, et ad institutionem novorum Samaritanorum apprime fuerit necessarius. Quae si ad hunc modum facta esse ponamus, facile creditu esse, sacerdotes Hierosolymitanos hanc Bethelici sacerdotis historiam calculo suo comprobasse, quum in ea nihil invenirent, nisi quod pium, atque rerum gestarum veritati consentaneum esset [35]).

Joannes Godofredus Hasse [36]) Pentateuchum exilii Babylonici tempore e monumentis veteribus compositum conjecit, adhibitis quidem Mosaicis iis, quae tunc superessent, sed multis illis auctis et varie immutatis [37]).

---

35) Abjecit tamen Clericus ipse hanc suam sententiam, ut apparet e Dissertat. II. de *Scriptore Pentateuchi*, Commentario suo in Pentateuchum praemissa. Refutavit quoque illam, praeter *Witsium* in *Miscellaneis Sacr.* P. I. L. I. C. XIV., *Sebast. Edzardus* in peculiari Dissert. *utrum Pentateuchus a sacerdote Samaritano sit conscriptus?* Viteberg. 1695. 4. Cf. *Eichhorn's Einleit. in das A. T.* P. II. §. 411. p. 257. edit. tert.

36) In libro: *Aussichten zu künftigen Aufklärungen über das alte Testament, in Briefen,* Ien. 1785. 8. Epist. IV — VII.

37) Mutavit tamen postea sententiam, et Pentateuchum

Fridericus Carolus Fulda[38]) Pentateuchum, qualem nunc legimus, posse non ante Davidis tempora conscriptum esse contendit, atque paucis quidem in illo vere Mosaicis plura alia, partim Mose antiquiora, partim eo recentiora ita intexta esse, vetera autem ita mutata et interpolata, ut, quae vere sint Mosaica, nunc vix discerni possit. A Mosis manu proficisci non dubitat Decalogum, seu *librum foederis* [39]), epinicium post mare erythraeum transfretatum [40]), atque recensum mansionum Israelitarum ab exitu ex Aegypto usque ad campos Moabiticos [41]). Alia a Mose consignata recentioribus scriptionibus intexta pu-

---

Mosi vindicavit in libro, cui haec epigraphe: *Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- u. Menschengeschichte aus näherer Beleuchtung ihrer Quellen*, P. II. (Hal. 1805.) p. 197. seqq., vid. et p. 310.

38) In Commentatione posthuma, quae inscribitur: *das Alter der heiligen Schriftbücher des alten Testaments*, in dem *neuen Repertorio für bibl. und morgenländische Literatur, herausgeg. von H. E. G. Paulus*, P. III. p. 180. seqq. Cui jungendae duae aliae ejusdem auctoris Commentationes posthumae, altera haec: *Cosmogenie, Androgonie und Menschengeschichte nach der Noachischen Fluth*, in *den Memorabilien*, P. II. p. 102. seqq., altera sic inscripta: *Fulda's Resultate freimüthiger Untersuchungen über den Canon des alt. Testaments in den Memorabil.* P. VII. p. 1. seqq.

39) Eum enim, Exod. XXIV, 3. memoratum, a Decalogo haud diversum opinatur.

40) Exod. XV.

41) Numer. XXXIII.

tat [42]), neque tamen ultra decem monumenta vere Mosaica superesse.

Qui *Otmari* nomine latuit, *Ioannes Christianus Nachtigal* [43]), postquam praeter illa quae supra §. III. commemorata sunt, recentioris Mose aevi argumenta, in Pentateucho obvia, attulisset et alia, quibus probare studeret, exstitisse apud Hebraeos ante Samuelis tempora praeter tabulas genealogicas tribuumque stemmata, aut nulla, aut sane paucissima literarum monumenta, et fuisse rerum a majoribus gestarum memoriam nonnisi ore propagatam, carminibusque aut lapidum monumentis servatam, contendit, esse Samuelis tempore demum in scholis prophetarum primum carmina historica, quae magnam partem e picturis imaginibusque rerum gestarum lapidi aut aeri insculptis hausta fuissent, literis mandata, tum esse procedente tempore a viris sapientibus et literate peritis conscriptos plures libros, qui carmina, nar-

---

42) Veluti narrationem de proelio cum Amalecitis, Exod. XVII, 14., praecepta Deut. XXXI, 9. commemorata, explanationem decalogi, quae inde a Deut. I, 5. usque ad IV, 45. legitur, tum quae Deut. XII—XX. XXVII. XXX, 10. seqq. continentur, denique Carmen Mosis Deut. XXXII., ejusdemque ad populum et singulas tribus verba novissima, XXXIII.

43) In Commentationibus tribus, quae hanc gerunt epigraphen: *Fragmente über die allmählige Bildung der den Israeliten heiligen Schriften, besonders der sogenannten historischen.* Insertae sunt *dem Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte, herausgeg. von H. P. C. Henke*, P. II. p. 433. seqq., P. IV. p. 1. seqq. et 329. seqq.

rationes de rebus vetustis, legesque collectas continerent, atque ex hujusmodi libris esse junctis plurium hominum doctorum studiis, moderante forsan Jeremia, propheta, sub exilii Babylonici tempore Pentateuchum compositum [44]). Mosaica in illo vix alia statuit, quam decem praecepta, duabus tabulis lapideis insculpta, recensum stationum Israelitarum per Arabiae deserta iter facientium, stemmata, et carmina nonnulla breviora.

Joannes Severinus Vater [45]) etsi Pentateuchum, qualem nunc legimus, non ante exilii Babylonici tempus certo exstitisse statuat, tamen majorem Deuteronomii partem, singulasque ceterorum librorum pericopas jam inde a Davidis et Salomonis aetate paulatim compositas censet.

---

44) Libros veteres, *quinque* numero, e quibus undecim priora Geneseos Capita deprompta censet, definire conjecturâ tentavit in Commentatione, quae inscribitur: *Neue Versuche über die ersten eilf Abschnitte der Genesis, und über die ältern Bücher, aus denen sie zusammengesetzt sind, in dem Magazin herausgeg. von Henke*, P. V. p. 291. seqq. Sed omnem illam Nachtigalii de origine Pentateuchi sententiam examinavit refutavitque J. C. R. *Eckermann* in *den Theologischen Beytraegen*, T. V. Partic. 1. Quod illius opinionem attinet de pluribus Pentateuchi narrationibus, quae imaginibus sculptisque rerum gestarum repraesentationibus ortum suum deberent, quam sit illa supervacanea et idoneis argumentis destituta, ostendit *Vater* in sua de Pentateuchi disquisitione, Commentario suo adjecta, P. III. p. 693. seqq.

45) Loco laud. p. 678. seqq.

Guilielmus Martinus Lebrecht de Wette [46]) examinatis librorum V. T., praeter Pentateuchum, locis iis, in quibus ejusdem mentionem fieri vulgo creditur, ex illis hoc effici contendit, prima Pentateuchi nostri vestigia haud multo ante eversam a Chaldaeis rempublicam Hebraicam occurrere; quod Josia regnante, ab Hilkia, sacerdote, in templo repertum narratur (2 Reg. XXII, 13. seqq.), volumen legis, fuisse tantummodo Deuteronomium, quod a prioribus Pentateuchi libris diversum, alius cujusdam recentioris auctoris opus esse, atque librorum priorum epitomen quendam, jam prius in peculiari Dissertatione [47]) ostendere studuerat. Librorum quatuor priorum partes singulas, e quibus illi sub exilii tempore compositi et contexti fuerint, esse Davidem inter et Joramum diversis temporibus scriptas, maximam quidem partem, nam esse in iis et pericopas, quae Babylonicum tempus arguant [48]).

---

46) In *den Beitraegen zur Einleit. in das A. T.* P. I. (Hal. 1806.) p. 136. seqq. Cf. auctoris *Lehrbuch der historisch-krit. Einleit. in das A. und N. T.* P. I. p. 164. seqq.

47) Quae verba supra posita in fronte gerit, prodiitque Jenae 1805. in quat.

48) Ad eas refert mythum de linguarum confusione Genes. XI. qui inimicum in Babelem animum prodat. Ceterum cum de Wettio in sententia de seriore Pentateuchi origine in rei summa convenit G. *Gesenius*, qui in Commentat. *de Pentateucho Samaritano* (Hal. 1815. 4.) p. 6—8. quinque libros, quos Mosaicos vulgo vocamus, post reditum de-

Leonhardus Bertholdt [49]) in exploranda aetate atque origine Pentateuchi, qualis nunc exstat, non ultra initia dignitatis regiae apud Hebraeos introductae regrediendum esse censet. Verisimile ipsi, esse Pentateuchum a Samuele in suam formam redactum, atque ad arcam foederis repositum, illiusque exemplar a Samuelis manu linteo Aegyptio laevigato inscriptum, esse illud legis volumen, quod ab Hilkia in templo repertum fuerit.

Carolus Franciscus Volney [50]), quamvis minime inficias eat, continere Pentateuchum nonnulla scripta vere Mosaica [51]), illum tamen, qualem nunc habemus, non dubitat procusum esse junctis Hilkiae, Pontificis Maximi, Jeremiae, prophetae, Saphanis, scribae

---

mum e Babylonico exilio in hodiernam formam redactos esse censet. Argumenta, quibus de Wette Mosaicam Pentateuchi originem impugnavit, singula examinavit refellitque C. G. *Kelle* in libro, quem inscripsit: *Vorurtheilsfreie Würdigung der Mosaischen Schriften, als Prüfung der de-Wettischen Kritik Mosaischer Geschichten*, Part. I. II. III. Freiberg. 1811. 8.

49) Vid. Ejus *Historisch-krit. Einleit. in das A. u. N. Test.* T. III. p. 821. seqq.

50) In opere quod inscripsit: *Recherches nouvelles sur l'histoire ancienne*, P. I. Cap. 6. 7. 8. p. 59. seqq. Eorum, quae de Pentateucho disputavit Volneius, epitomen dedimus in *dem kritischen Journal der neuesten theolog. Literatur*, a Bertholdto, V. S. V., edito, Vol. VIII. Partic. 1. p. 69—80.

51) Veluti Exod. XX, 2 — XXIV, 1. Num. XXXIII.

regii, atque Achboris [52]) studiis, haud inscio Josia, rege, eo consilio, ut dubiis illis et periculosis temporibus, quibus Judaico regno, Aegyptum inter et Babyloniam posito, ab utraque hac parte praetereaque a Scythis, in Syriam borealem impressionem facientibus, maximum periculum et extremum paene discrimen imminebat, Judaeorum animi, revocata veteri Mosaica institutione, patriae amore incenderentur, confirmarentur, atque ad fortiter resistendum, unitis viribus, communibus hostibus incitarentur, et ab instante interitu respublica hoc modo servaretur [53]).

V.

Argumenta, quibus Pentateuchus Mosi abjudicatur, quid habeant momenti?

Variae illae de recentiore Pentateuchi origine sententiae quia triplici potissimum argumentorum genere nituntur, primo, e linguae et sermonis cum libris serioribus convenientia, altero,

---

52) Quorum opera in reperto libro legis 2 Reg. XXII, 8. seqq. laudatur.

53) A Volneio haud longe discedit *de Wette*, qui similiter ab Hilkia, Saphane, et Hulda, prophetissa, Pentateuchum suppositum suspicatur; vid. Ejus librum supra Not. 46. laudat. p. 179. Plura tamen, quae ad amovendam hanc suspicionem faciunt, monuit J. D. *Michaelis in der Einleit. in die göttl. Schriften des A. T.* p. 201.

e totius operis conformatione, tertio denique, e locis in Pentateucho obviis, quae a Mose scripta esse plane non possint, petito (vid. §. III.); quid illa ad abjudicandum Mosi Pentateuchum valeant, jam videamus.

Atque primum quidem, quod dicunt, posse a Mose non scriptum esse librum, cujus lingua tam parum differat ab ea, qua libri pluribus post Mosen seculis editi, sunt scripti; illud ipsum, quo haec argumentatio nititur, omnino verum esse negamus. Nam etsi archaismi grammatici et orthographici admodum pauci in Pentateucho hodie reperiantur, cujus rei ratio haud dubie in eo est posita, quod procedente tempore ab iis, qui librum variis temporibus descripserunt et recognoverunt, multi illorum sensim essent sublati, ne lectores recentiores iis offenderentur [54]); tamen supersunt. Quo pertinent non tantum notissimae illae voces נַעַר et הוּא, de maribus aeque ac feminis usurpatae [55]), in quibus archaismum agnoscunt et illi, qui Pentateuchum Mose

54. Quemadmodum in versionis S. S. a Luthero confectae exemplis recentioribus plures veteris orthographiae teutonicae formae sensim sunt sublatae. Ita in N. T. versione Vitebergae a 1522. a Luthero ipso edita quavis pagina legitur, *ynn, yhn, wortt, Gottis, vnnd, seyne, vnsawber, reychthumb, weyszsagen, trew,* pro quibus nunc legimus *in, ihn, wort, Gottes, und, seine, unsauber, reichthum, weissagen, treue.*

55) Quae ubi feminine usurpantur a Masorethis iis Vocalium signis sunt instructae, quibus feminina in libris serioribus efferuntur, veluti נַעֲרָ, Genes. XXIV, 14. 17. 28. 57. 58.

recentiorem statuunt [56]), verum et personae tertiae femininae pluralis numeri Futuri sine ה in fine scriptae [57]), atque *He locale* in Pentateucho multo frequentius, quam in reliquis V. T. libris [58]). Praeterea haud exiguus est numerus vocum et phrasium, quae Pentateucho ita sunt peculiares, ut in aliis V. T. libris aut numquam, aut rarissime occurrant [59]), uti contra plures

---

XXXIV, 3, 12. etc., et הִוא, quod ducentis fere Pentateuchi locis exstat.

56) Ut Vaterus in Commentat. supra not. 42. laud. p. 616. Cf. *Gesenius Geschichte der hebr. Sprache und Schrift*, p. 31.

57) Ubi illi, qui puncta Vocalia apposuerunt, literae Nun semper Camez adpinxerunt, ut תִּהְיֶיןָ Genes. XXVI, 35. XLI, 36. XLIX, 26., וַתַּשְׁקֶיןָ Genes. XIX, 33. 35., וַתַּהֲרֶיןָ Genes. XIX, 36., תָּבֹאןָ Genes. XXX, 38., וַתֹּאמַרְןָ Exod. I, 19. II, 19. Ceteras hujusmodi formas in Pentateucho obvias diligenter recensuit J. *Jahn* in Commentatione posthuma, quae inscribitur: *Beitraege zur Vertheidigung der Aechtheit des Pentateuchs* (cujus pars prior de linguae Hebraeae in Pentateucho ratione agit), inserta *dem Archiv für die Theologie und ihre neueste Literatur, herausgeg. von E. G. Bengel* Vol. II. (Tubing. 1818.), Part. 3. p. 581. Formas istas in Pentateucho tam frequentes reliquis V. T. libris *septem* tantum locis observantur, 1 Sam. XVIII, 7. Ruth. I, 9. 12. 20. 1 Sam. XVIII, 7. Ezech. III, 19. (20.) XXXIII, 13.

58) Vid. Jahn l. c. p. 583.

59) Sic is mensis, qui in Pentateucho semper חֹדֶשׁ הָאָבִיב, et simpliciter אָבִיב, Esrae et Nehemiae vocatur נִיסָן. Phrasis נֶאֱסַף אֶל־עַמָּיו *colligi ad populos suos*, i. e. mori, priva est Pentateucho, nam in aliis libris legitur vel נֶאֱסַף אֶל־אֲבֹתָיו *colligi ad patres suos*, Jud. II, 10. 2 Chron. XXXIV, 28.,

aliae in libris recentioribus frequentes in Pentateucho nusquam aut rarius reperiuntur [60]). Neque illud est praetereundum, peregrina vocabula in Pentateucho legi nulla, nisi antiqua Aegyptiaca [61]). Denique in omni hac quaestione de Hebraei sermonis in Pentateucho indole reputandum est, linguas eas, quibus Hebraea accensetur, quum in scribendo vocum consonae tantum poni soleant [62]), multo minus in scriptis variare, quam nostras, quae et vocalium enunciationem literis exprimunt. Unde factum, ut Arabicus sermo Corani et vetustissimorum carminum, Mohammedis tempore editorum, parum diversus appareat ab Arabico sermone eo, quo recentiores libri sunt scripti. Quod ipsum de lingua Syriaca valet.

---

vel נֶאֱסַף אֶל־קִבְרוֹתָיו *colligi ad sepulchra sua*, 2 Reg. XXII, 20. 2 Chron. XXXIV, 28. dicitur. Dictio גַּלֵּה עֶרְוָה *retegere nuditatem* (feminae) de coitu usurpatur tantum in Pentateucho; sensu diverso occurrit Ezech. XVI, 36. 37. Verbum דָּגָה *multiplicatus est* reperitur tantum Genes. XLVIII, 16., uti זָבַד *donavit* tantum Gen. XXX, 20. Vox זָכוּר pro זָכָר *mas* nonnisi in Pentateucho legitur, sed Ps. CIII, 14. *memoratum esse* notat. Sed hujusmodi voces et integras dictiones, quae in reliquis V. T. libris, quia procedente tempore ab usu recesserunt, numquam aut rarius occurrunt, plus quam ducentas recensuit Jahn l. c. p. 585—630.

60) Eas enumeravit Jahn, *Archiv* Vol. III. p. 168—202.

61) Ut צָפְנַת פַּעְנֵחַ, יְאֹר, טוֹטָפוֹת, אָחוּ, אַבְרֵךְ, שֵׁשׁ, שַׁעַטְנֵז.

62) Nam signa Vocalium, quibus codicis Hebraei hodierna exempla sunt instructa, aevo recenti esse adjecta, vix est quod moneamus.

Quam exigua enim sit Syriaci sermonis ejus, quo antiqua illa N. T. translatio, quae Peschito dicitur, est scripta ab eo, quo Abulpharagius multis post seculis scripsit, diversitas, sciunt omnes, qui illius linguae haud sunt ignari.

Transeamus ad aliud, quod Mosaicae Pentateuchi origini opponunt, totius operis conformationem; neque enim illum ab uno homine scriptum esse, sed e variis variorum hominum et temporum scriptis monumentis compositum, arguere stylum plane inaequalem, nunc concisum et pressum, nunc latum et diffusum, tum repetitas et tamen inter se discrepantes de iisdem rebus narrationes, frequentes denique singularum pericoparum inscriptiones et clausulas. Sed quod attinet styli inaequalitatem, parum profecto illa valet ad evincendam scriptorum diversitatem, quum et optimos quosque scriptores in iis, quae per plurium annorum intervalla scripserunt, stylum ita variare constet, ut a se ipsis diversi esse videantur [63]). In scriptis autem viri, qui per

63) Leve est, quod afferunt ad probandum, esse Deuteronomium alius auctoris, quam ejus, qui libros quatuor priores scripsit, quod de capitis poena in Deuteronomio phrasis בִּעֵר הָרַע מִיִּשְׂרָאֵל *tollere malum ex Israele* (vid. XIII, 6. XVII, 7. 12. XIX, 19. XXI, 21. al.), in reliquis Pentateuchi libris vero נִכְרְתָה הַנֶּפֶשׁ הַהִוא מֵעַמֶּיהָ *exscindatur haec anima e populo suo* usurpatur; potuit enim idem scriptor post aliquot annos alii phrasi ad eandem rem exprimendam assuescere. Eodem pertinet, quod nomen *Sinai* montis, in Exodi libro tam frequenter obvium, in Deuteronomio numquam legatur (vid. Vateri Commentat. p. 494.), sed ejus loco

longam annorum seriem imperatoris, legumlatoris et judicis personam unus solus sustinuit, stylum varium et minus aequabilem ultro quisque exspectet. Accedit, quod pro argumenti et consilii scribentis varietate stylum quoque variare oportet, aliumque esse debere ejusdem scriptoris res antiquissimas e vetustis monumentis referentis, alium a se ipso aut ab aliis sua aetate gesta narrantis, alium leges et instituta praescribentis, alium denique praecepta a se tradita explicantis, supplentis, et ad ea servanda monentis, quae quidem omnia in Pentateucho observamus. Neque magis diversos auctores probant repetitae, nec satis sibi semper consonae de iisdem rebus narrationes, quae nequaquam mirae alicui esse possunt in opere per plurium annorum intervalla, et a viro maximis occupationibus districto sensim conscripto [64]). Minimi denique momenti

---

semper aut חֹרֵב, aut הָהָר, *mons ille*, memoretur. Attamen חֹרֵב et in Exodo III, 1. XVII, 6. XXXIII, 6., et הָהָר in eodem libro, veluti XXIV, 12. 15., legitur. Cf. quae de horum nominum usu monuit Jahn, *Archiv*, Vol. III. p. 219. seq.

64) Ejusmodi sine necessitate iteratas, nec raro inter se discrepantes de iisdem rebus narrationes reperiri et in aliis eorundem auctorum operibus, nemo, nisi in re literaria plane hospes, ignorat. Exempla plura ex unius Diodori Siculi Bibliotheca collegit Jahn, l. c. p. 557. Singula Pentateuchi loca, quibus eaedem res iterato, nec tamen prorsus consone, vel vere narrantur, vel commemorari videntur, hic persequi longum foret. Videbimus de iis in Commentario. Nonnulla illorum examinavit Jahn, l. c. p. 562. seqq.

habent ad demonstrandum, esse e variis variorum hominum scriptis compositum Pentateuchum, freqnentes singularum ejus partium inscriptiones et clausulae, quum eas perspicuitatis causa, ut diversi argumenti pericopae facilius invicem discernerentur, appositas esse pateat. Praeterea quatuor librorum posteriorum parum inter se cohaerentes et dispariles partes ita consignatas esse patet, uti locorum et temporum rationes ferebant, unde varium illi et miscellum opus constituunt, in quo vix alium, nisi temporis, ordinem servatum videmus. Sane si quidquam scriptorum monumentorum reliquit Moses, ea vix aliter sese habere credibile est, quam ita, uti conformatum videmus Pentateuchum. Nam si quis recentioribus temporibus aut legum codicem, aut rerum a Mose gestarum historiam contexere voluisset, rem eum multo aliter instituisse verisimile est [65]).

---

65) Vere, nostro quidem judicio, ***Staeudlin***, V. S. V., in Comment. II. *de legum Mosaicar. momento* etc. p. 19. haec observat: „Leges Mosaicae haud paucae ita comparatae sunt, atque ea serie congestae, ut Mosis operam et manum aperte prodant. Multae scilicet leges imperfectae, haud absolutae, parum finitae ac fere mancae sunt, eoque ipso ingenium atque diligentiam acutissimorum interpretum frustra nonnumquam exercent, ac monstrant, eas populo adhuc per solitudinem erranti, nec in domicilio perpetuo in civitatem coacto, atque a legislatore, reipublicae fundamenta jacente, et, quamvis sapientissimo, tamen nondum plane exercitato, et periculis atque experientia longa subacto esse scriptas. Sunt etiam leges, quae non valebant, nisi in deserto, e. g. de colligendo Manna. Accedit *repetitio le-*

Restat tertium argumentorum genus, quo Mosaicam Pentateuchi originem impugnant, loca in eo obvia, quae a Mose scripta esse plane nequeunt, quia recentiorem scribentis aetatem arguunt [66]). De iis tamen, si demamus quae dubia sunt, nec pro argumentis certis serioris Mose aetatis haberi possunt, pauca restabunt, quae certe a recentiori manu consignata statuamus. Talia autem reperiri in tam vetusto nec exiguae molis libro, nemo jure miretur, et tam parum obstant, quo minus Mosis opus hosce libros esse dicamus, quam parum nonnulli Aeneidi aut Georgicis inserti spurii Versus obstant, quo minus illa carmina Virgilii esse credamus. Libros hos a communi antiquorum librorum sorte mansisse immunes, et non fuisse varie interpolatos, exspectandum non est. Etsi enim Hebraei illos tanti aestimabant, ut quidpiam mala fide in iis mutare, summae sibi religioni ducerent, id tamen non impediebat, ne hic illic supplementa

---

gum multifaria, et *ordinis* in tradendis iis *neglectus*, quo facile intelligitur, has leges ad nos pervenisse, quales primum, variis temporibus, per longam in deserto moram, a Mose latae et conscriptae sunt. Si enim ex Mosis libris deperditis refictae, aut a seriore auctore collectae et novis subinde legibus auctae essent, nae illae majore ordine resectisque repetitionibus, ut fieri solet, fuissent digestae. Quando autem ponimus, Mosen leges suas paulatim tulisse, ac scripto publicasse, ratio evidentissima reddi potest, cur quaevis lex quovis loco inserta sit. "

66) Vid. supra Not. 24. 25. 26.

historiae, et explicationes rerum et vocabulorum antiquiorum adjicerentur.

Vidimus, argumenta, quibus Mosaica Pentateuchi origo impugnatur [67]), tantum roboris non habere ut infringant ea, quibus nituntur illi, qui hosce libros Mosis esse putant (§. II.). Quare non dubitamus, Pentateuchum longe maximam partem esse Mosis opus, sed habere nos eum varie retractatum recognitumque, interjectis passim verborum et sententiarum clausulis veluti sarcitum et explicatius redditum, et ad continuandam historiae seriem dispositum. Accessiones autem istae, quum pleraeque ipsae tales se prodant, a genuinis discernere haud admodum difficilis et ardui negotii videtur.

---

67) Ea, praeter Jahnium, in Commentatt. laudatt. ponderavit quoque C. F. *Fritzsche* in libro, cui titulum fecit: *Prüfung der Gründe, mit welchen neuerlich die Aechtheit der fünf Bücher Mosis bestritten worden ist,* Leipz. 1814. 8. Cf. J. G. ***Eichhorn*** ***Einleit. in das A. T.*** P. II. §. 408. seqq. J. D. ***Michaelis*** ***Einleit. in die göttl. Schriften des alt. Bundes,*** P. I. §. 29. seqq. C. F. ***Staeudlin*** Commentat. II. ***de legum Mosaicarum momento et ingenio, collectione et effectibus*** (Gotting. 1797. 4.) p. 16. seqq. Cf. ejusdem Viri doctissimi Commentationem teutonice scriptam, qua leges in Pentateucho perscriptas Mosi vindicat (***die Aechtheit der Mosaischen Gesetze vertheidigt von*** C. F. Stäudlin), ***in dem kritischen Journal der neuesten theolog. Literat.*** a Bertholdtio edit. T. III. Fasc. 3. 4. p. 225. seqq. et T. IV. Fasc. 1. 2. G. ***Griesinger*** ***über den Pentateuch,*** Stuttgard. 1816. 8.

VI.

De Pentateucho Samaritano.

Samaritanis Palaestinam incolentibus suus est, non secus ac Judaeis ceteris, Hebraice scriptus Pentateuchus, characteribus ille veteribus Phoeniciis exaratus. De cujus aetate ac origine, unde primum haustus, et ex quibus codicibus sit descriptus, multum et varie est disceptatum. Sunt autem duae potissimum, sibi plane oppositae de hac re sententiae [68]). Alii enim antiquissimum statuunt illum codicem, eumque eâdem, qua hodie superest, formâ jam ante Jeroboamum apud decem tribuum cives exstitisse arbitrantur; alii contra, qui Pentateuchum non Mosis opus, verum sub exilii demum temporibus compositum putant, exemplar Samaritanum non antiquius templo Garizitano faciunt, codicemque Pentateuchi Hebraeo-Judaicum a Manasse, sacerdote a Judaeis transfuga, ad Samaritas translatum indeque in characterem veterem Phoenicium, cui adsueti essent Samaritae, transfusum fuisse volunt [69]). Habent utriusque sententiae

---

68) Alias nonnullas recensuit J. G. *Carpzovius* in *Crit. S. V. T.* p. 600. seqq.

69) Ita statuunt *Rich. Simon* in *Histor. crit. V. T.* Lib. I. Cap. 10. p. 65. seqq. *Humfred. Prideaux* *das A. und N. T. in Connex. mit der Juden und benachbarten Völker Geschichte* T. I. p. 414. F. C. *Fulda* in *den Memorabilien*, P. VII. p. 21. H. E. G. *Paulus* in *dem Commentar über das N. T.* P. IV. p. 252. G. M. L. *de Wette* in *den Beytraegen zur Einleit. in das A.*

defensores argumenta satis gravia, quae hic examinare atque inter se comparare longum foret [70]), neque instituti nostri fert ratio. Nos quod movet, ut in priorem sententiam propensiores simus, illud est, quod toto illo temporis spatio, quod a defectione decem tribuum usque ad regni Samaritani excidium effluxit, prophetae Israëlitici aeque atque Judaici, populares ad cultum soli Jovae praestandum, qualis in Pentateucho injungitur, atque ad totum illum legum in eo praescriptarum complexum observandum graviter semper adhortati sunt: idem plane Mosaicae institutionis tuendae insigne studium in veris vatibus tam Judaicis, quem Israëliticis elucet. Quae prophetarum utriusque regni summa consensio in commendandis inculcandisque institutis Mosaicis communem omnibus aliquem legum codicem fuisse arguit [71]). Unde illis, quae supra

---

T. P. I. p. 214., et G. *Gesenius* in *Commentat. de Pentateuchi Samaritani origine, indole et auctoritate* p. 9.

70) Factum hoc nuper a Viro quodam docto, qui tacito suo nomine edidit Commentationem, quam inscripsit: *Einige Zweifel gegen die neuerliche Annahme, als ob aus dem Samaritanischen Pentateuch kein Beweis für das frühere Alter des Pentateuchs geführt werden könnte,* inserta *dem Archiv für die Theologie* ed. ab E. G. Bengel, Vol. III. Fasc. 3. p. 626. seqq. Cf. *Kelle vorurtheilsfreie Wirkung* etc. P. I. p. 59. seqq.

71) Eadem est sententia Viri docti, cujus commentationem in Nota, quae hanc proxime antecedit, laudavimus, ubi inter alia p. 658. haec leguntur: *Wie lässt sich ohne eine nachzuweisende Grundurkunde, ohne eine nachzuweisende Gewähr für die Verpflichtung der Israeliten*

(§. II.) attulimus antiquitatis Pentateuchi argumentis novum hoc accedit, quod jam longe ante eversam a Chaldaeis rempublicam Judaicam regni Israelitici cives illum legum codicem habuerint. Quod vero codicis Hebraeo-Samaritani indolem attinet, tantum abest ut sinceritate aequiparandus sit Judaico, sive Masorethico, ut potius illo multo sit inferior, quippe qui scateat mendis et vitiis, quae partim librariorum incuriae, partim hominum semidoctorum emendandi et supplendi libidini ortum debent, id quod *Gesenius*, V. S. V., ita demonstravit[72]), ut dubitationi jam nullus sit locus relictus.

---

zum Jehovadienst, annehmen, dass von Zeit zu Zeit die Propheten Jehovens sich Einfluss und Gehör im Zehnstämmereich verschaffen konnten? Eben das, dass Propheten, die in Jehovens Namen auftraten, eben so gut im Israelitischen, wie im Jüdischen Reiche Gehör ansprechen konnten und auch fanden, ist ein Beweis, dass etwas Gemeinschaftliches vorhanden war, worauf sie ihre Ermahnungen gründen konnten.

72) In Commentatione Not. 69. laudata, §. 8. seqq. p. 24. seqq.

II.

PROLEGOMENA
IN
GENESIN.

I.

Libri Argumentum.

Primus Pentateuchi liber, Hebraeis בְּרֵאשִׁית *in principio*, a primo illius vocabulo, Graecis Γένεσις ab argumento appellatus, quod rerum omnium generisque humani origines exponit [1]), prooemium quoddam quatuor, qui sequuntur, librorum constituit. Continet enim ea, quae aut lectoribus scitu sunt necessaria ad intelligenda ea, quae in libris, qui sequuntur, narrantur, aut quae inserviunt ad edocendum, Deum unum omnium creatorem et moderatorem esse colendum, atque ad praeparandos lectorum animos ad eum, qui in ceteris libris continetur legum complexum. A

1) Καλεῖται δὲ οὕτως, ἐπειδὴ καὶ τὴν γένεσιν πάντων περιέχει, οὐρανοῦ τε καὶ γῆς, καὶ τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν φαινομένων τούτων ὅλων, ait Athanasius in *Synopsi Script.* Opp. T. II. p. 66.

rerum origine generisque humani initiis exorsus scriptor, a primo homine ad conditorem usque gentis Hebraeae, Abrahamum, continuam stemmatum, et historiae iis intextae seriem perducit, ut sic gentis illius origines ab ultimis repeterentur orbis terrarum generisque humani primordiis, quae originis vetustas plurium antiquitatis populorum gloria fuit Post relatam hominum per orbem terrarum dispersionem in unam Heberi familiam cogit historiam, versoque ad Abrahamum stylo fere unice in hujus viri et posterorum ejus rebus enarrandis versatur, selectis potissimum iis, quae ad magnificas iteratasque promissiones, majoribus illis gentis Hebraeae a Deo factas spectant, atque ex iis illorum factis, unde eorum in Deum pietas et erga eum fides elucet. Originem morum, qui apud Hebraeos obtinent, indicat [2]); sacrificiorum quoque rituumque, veluti circumcisionis, occasiones et historias persequitur. Prolixior est in exponenda vita Josephi, cujus morte liber clauditur, ut cognoscerent lectores Hebraei, qui factum sit, ut majores ipsorum in Aegyptum devenerint, et in ea terra sedem fixerint.

II.

Librum Geneseos esse a Mose scriptum.

Quodsi quae in quatuor posterioribus Pentateuchi libris continentur a Mose sint consigna-

---

2) Veluti abstinendi a nervo femoris in cibum adhibendo, XXXII, 32. seqq.

ta, id quod in superioribus ostendere conati sumus [3]); ab eodem illo et librum primum scriptum esse oportet, quippe qui cum secundi libri initio arctissimo nexu cohaeret, atque ea continet, quae ad recte intelligenda ea, quae in reliquis libris traduntur, plane sunt necessaria. De illis libris Genesin si demas, opus habebis imperfectum et ἀκέφαλον. Sublata hac Pentateuchi parte ignorassent Hebraei, quisnam sit majorum suorum Deus, quem eundem regem suum colebant, a quo leges recipiebant, in cujus honorem sabbatha et festa celebrabant, cui sacrificia et primitias offerebant; ignorassent, quaenam sint toties illa in reliquis libris commemorata promissa, majoribus suis a Deo ipsorum custode data [4]). Legem primariam de celebrando sabbatho inculcans Moses [5]) illius rationem inde petit, quod sex diebus coelum et terram condidisset Deus, septimo vero die nihil fecisset et quasi quievisset, quae nemo dubitet spectare ad illa, quae initio Geneseos (II, 2. 3.) ea de re diserte commemorantur. Praeterea et in aliis rebus is observatur libri primi cum reliquis consensus, qualem in unius ejusdemque auctoris opere merito exspectes [6]).

---

3) In Prolegomenis in Pentateuch. §. II. et V.

4) Vid. Exod. VI, 4. XIII, 5. XXXIII, 1. Deut. I, 8. IX, 5. XXIX, 13. XXX, 20. XXXIV, 4., quae loca omnia manifeste respiciunt ad Genes. XII, 7. XIII, 15. XV, 18. XVII, 8. XXIV, 7. XXVI, 3. 4. L, 24.

5) Exod. XX, 11. XXXI, 17.

6) Conferas Exod. XIII, 19. cum Genes. L, 25., Exod.

III.

De fontibus, unde hauserit Moses quae in Genesi tradidit, et quomodo illis fuerit usus.

Quum in Genesi ea exponantur, quae ante Mosen sunt gesta et facta, oritur quaestio, num is primus illa literis consignarit, an vero quae habet, hauserit ex antiquioribus monumentis, quae postea interciderint. Si primus haec scripsit Moses, numquam antea literis mandata, oportet quae habet ei aut sint a Deo revelata, aut ab hominibus, qui ea memoriter tenerent, narrata; neque enim aliter ei innotescere potuerunt. Nusquam autem sibi haec a Deo patefacta dicit, neque quisquam, Mose tacente, pro comperto adfirmare sustineat. Memoria vero tot nomina, totque annorum summas, quales in decem prioribus potissimum Capitibus leguntur, potuisse servari, vix credibile videtur. Scripta autem monumenta ante Mosis aetatem inter Hebraeos si quae exstiterint sane admodum pauca fuisse est

---

XXXII, 13. cum Gen. XXII, 16. Levit. XVII, 14. cum Genes. IX, 4. Num. XXIII, 24. XXIV, 9. cum Gen. XLIX, 9., Num. XXIV, 9. cum Gen. XII, 3.; Deut. II, 5. cum Gen. XXXVI, 8. Deut. II, 12. cum Gen. XIV, 6. XXXVI, 20., Deut. X, 22. cum Gen. XLVI, 27., Deut. XXVI, 5. cum Gen. XXXI. XLVI, 4. 5., Deut. XXIX, 23. cum Gen. XIX, 24. Geneseos librum esse ejusdem, qui reliquos Pentateuchi libros scripsit, auctoris opus, pluribus argumentis probavit J. G. *Hasse* in *den Entdeckungen der ältesten Erd- und Menschengeschichte*, P. II. p. 198. seqq.

verisimile. Nam illorum majores, qui in Cananaea vitam pastoritiam et erraticam degebant, scribendi artis si non plane rudes, tamen parum in ea exercitati fuerint, neque eam, posteaquam in Aegyptum migrassent, dura ibi servitute oppressi ita excoluerint, ut veterum rerum memoriam scriptis mandare operam navarent. Quae quum ita sint, Mosen, quae de populi Hebraei majoribus refert, partim e priscis narrationibus carminibusque, inter Hebraeos ore propagatis, partim e scriptis tribuum stemmatibus et familiarum genealogiis hausisse credibile est. Illa autem quod attinet, quae de rerum ortu, deque generis humani initiis, et primis seculis progressibus et fatis apud eum leguntur; videtur quae cultiores tunc Hebraeis populi vicini, Phoenicii atque Aegyptii, de illis rebus tradiderunt, in suos usus ita convertisse, ut illa iis, quae ipse de uno Deo, conditore et moderatore omnium, colendo doceret, accommodaret, atque Hebraeorum animos a vicinorum fabulis, adeoque religionibus, quae iis saepe nitebantur, alienare studeret [7]).

---

7) „Non modo mundum creatum docet, quod videntur etiam credidisse vicini; sed etiam quot fuissent aetates ab initio mundi ad sua tempora ostendit; singulasque *personas generatas* enumeravit, ut ingenti illi numero *aetatum*, qui ab Aegyptiis jactabatur, et in sua quidem regione fuisse dicebatur, verum opponeret. Auctor enim est Herodotus (L. II. Cap. 142. seqq.), Aegyptios prodidisse, postquam Dei cessassent in Aegypto regnare, ad suum aevum fuisse quinque et trecentas quadraginta aetates, quibus fiunt decies mille, quadringenti, septuaginta tres anni. At ostendit Moses Gen.

Qualia fuerint et quot prisca monumenta literis consignata, quibus usus fuerit Moses in concinnando libro Geneseos, quamvis vix quisquam exspectet definiri posse post plus quam triginta seculorum intervalla; fuere tamen et sunt viri docti et sagaces, qui illud explorare aggrederentur. Quo in negotio adjumento sibi futuras sperabant, praeter repetitas earundem rerum narrationes, et singularum libri partium inscriptiones [8]), et diversas summi numinis appellationes, dum in aliis continuis libri partibus nomine *Jehovah*, in aliis *Elohim* illud nuncupatur, et singulis quidem laciniis, in quibus alterutrum illorum nominum usurpatur, certas loquendi formulas atque dictiones proprias et peculiares esse observarunt. Illa vero antiqua scripta Mosen plane intacta servata, ne verbo quidem uno aut altero mutato vel de suo addito,

---

X, 6., post diluvium demum a Chami posteris, e Babylonia illuc profectis fuisse cultam Aegyptum. . . . . Multa jactabant Aegyptii de rerum omnium apud se inventione, quae apud Diodorum L. I. leguntur. Quorum pleraque obiter confutat Moses, alia plane narratione, aliisque rerum inventoribus indicatis.“ *Clericus* in Dissert. *de scriptore Pentateuchi*, Commentario suo praemissa, §. VII. 4.

8) Ex iis, potissimum e saepius redeunte תּוֹלְדוֹת, initio novae particulae, colligit *Vitringa Observatt. S. S.* L. I. Dissert. I. Cap. IV. §. IV. seqq., librum Geneseos a Mose esse compositum ex variis fragmentis et monumentis Patriarcharum; „quae Patriarcharum ὑπομνήματα Moses cum suis inscriptionibus maluerit ad posteritatem transmittere, quam integram ex iis continuae seriei contexere historiam.“

inter se conjunxisse volunt, ita ut diligenter observatis istis variorum monumentorum notis definiri possit, cujusnam eorum sint singulae libri particulae, singuli adeo Versus. Quot autem fuerint veteres commentarii, e quibus contextus sit Geneseos liber, viri docti, qui ita statuunt, ipsi inter se dissentiunt. Nam qui primus illum, quo liber compositus sit, modum detexisse sibi visus est, *Astruc* [9]), *duodecim*, tam majoribus quam minoribus scriptis Mosen usum fuisse ostendere studuit, *Eichhorn* [10]) *e duobus* potissimum, quibus tamen hic illic alia quaedam inserta sint, *Ilgen* vero [11]) e *tribus* antiquioribus monumentis librum Geneseos contextum arbitratur. Quae ipsa opinionum de hac re diversitas arguere videtur, minime satis certas tutas-

---

9) In libro, cui hunc titulum fecit: *Conjectures sur les Memoires originaux, dont il paroit, que Moyse s'est servi pour composer le livre de Genése, avec des remarques, qui appuyent, ou qui eclaircissent ces conjectures, à Bruxelles*, 1753. 8.

10) *Einleit. in das A. T.* P. II. p. 274. seqq. edit. tert. Cf. *Repertor. für bibl. u. morgenl. Literatur.* P. V. p. 185. seqq., et J. F. G. *Moelleri* Commentationem, quae sic inscribitur: *Ueber die Verschiedenheit des Styls in den beyden Haupturkunden der Genesis in gewissen Stellen*, Goett. 1792. 8.

11) Ejus liber hanc gerit epigraphen: *die Urkunden des ersten Buchs von Moses in ihrer Urgestalt, aus dem Hebraeischen mit kritischen Anmerkungen und Nachweisungen, auch einer Abhandlung über die Trennung der Urkunden*, Hal. 1798. 8.

que esse notas illas, quibus singula monumenta discerni posse existimant viri illi docti. *Repetitiones* quidem quod attinet, quas dicunt indicia esse variorum, e quibus liber haustus sit, fontium, minime illae quod volunt probant, quum aliae merae sint styli et sermonis variationes, aliae nimio perspicuitatis studio scriptoris usu nondum satis subacti sint tribuendae [12]), aliae vero necessariae essent ad juvandam lectoris memoriam, postquam narrationis filum abruptum fuerit inserta alienae alicujus rei commemoratione [13]), aliae denique ne recte quidem habeantur iteratae earundem rerum narrationes [14]).

---

12) Quales sunt pleraeque in narratione de eluvione Noachica, Gen. VI—IX. Aliae pro meris dictionis variationibus sunt reputandae.

13) Ita postquam XXXVII, 36. Josephum esse in Aegyptum abductum et Potiphari venditum, inserit Cap. XXXVIII. narrationem de Juda et Thamare; qua finita initio Capitis XXXIX. in Josephi historia perrecturus praemittit: *Josephus itaque* (uti diximus) *in Aegyptum abductus erat.* Quod tantum abest, ut diversos scriptores arguat, ut potius probet, qui Cap. XXXVII. scripsit, eundem et quae deinceps exstant scripsisse. Neque magis quod Noachi filii C. V—X. *quater* commemorantur, diversarum scriptorum fragmenta arguit. Nam prima vice V, 32. comparent in tabula genealogica integra inserta; secunda vice VI, 9. a scriptore ipso initio novae narrationis indicantur, tertia vice IX, 18. repetit illa post interjecta quae IX, 1—17. continentur, juvandae lectoris memoriae causa; quarta denique vice X, 1. initio tabulae ethnographicae repetere illa necesse fuisse, cuique legenti patet.

14) Quo pertinent plures repetitae Abrahamo, Isaaco et Jacobo factae promissiones de eorum posteris mirum in mo-

Inscriptiones autem, quae variis libri partibus praefixae reperiuntur [15]), minime probant esse eas diversorum scriptorum lacinias, sed praemissas patet ab eo, qui integrum librum conscripsit, eo consilio, ut singulorum ejus capitum argumenta indicaret. Neque certius denique diversa, e quibus compositus liber, fragmenta explorandi et discernendi adjumentum praebet alternans nominum *Jehova* et *Elohim* usus, quum is in ceteris omnibus V. T. libris observetur, neque tamen inde quis colligat esse libros illos e variis variorum scriptorum laciniis consutos [16]), aut illorum nominum ope varias istas partes invicem discerni, singulasque suis auctoribus restitui posse statuat. Quam incertum diversorum fragmentorum argumentum sit illorum Dei nominum vicissitudo in Genesi, inde patet, quod ea nec sibi semper constans observatur. Ita in ea, quae inde a Capitis II. Versu tertio usque

---

dum augendis, atque terrae Cananaeae possessoribus futuris.

15) Ut II, 4. אֵלֶּה תוֹלְדוֹת הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ; V, 1. זֶה סֵפֶר תּוֹלְדֹת אָדָם; VI, 9. אֵלֶּה תּוֹלְדֹת נֹחַ rel.

16) Ita cum Jon. IV, 1—4. nomen יְהוָֹה, Vers. 6. יְהוָֹה־אֱלֹהִים, Vers. 7. 8. 9. אֱלֹהִים, et Vers. 10. iterum יְהוָֹה usurpatur, nemo inde colligat, Caput quartum e tribus diversis scriptis compilatum esse.

ad finem Capitis tertii decurrit narratione, in qua de Deo fere nomen compositum *Jehova — Elohim* usurpari solet, *ter* tamen (III, 2 — 5.) comparet solum nomen *Elohim*. In alia narratione continua, de somnio Jacobi de scala coelesti illiusque voto (XXVIII, 10. seqq.), nomina *Jehova* et *Elohim* ita promiscue usurpantur, ut singuli Versus, in quibus alterutrum horum nominum occurrit, nonnisi violenter divelli, atque duobus, e quibus desumti sint, scriptis, tribui possint. Neque enim prudenti scriptori facile in mentem venerit, plurium librorum lacinias et centones tam operose, quam viri illi docti volunt, in unum aliquod opus historicum consarcinare, ne sublatis quidem repetitionibus, aut quas deprehendere sibi visi sunt, diversarum inter se narrationum repugnantiis. Parum praeterea credibile est, exstitisse ante conscriptum Geneseos librum aliquot ejusdem argumenti scripta monumenta, in quibus singulis singula illa Dei nomina usurpata fuerint [17].

---

17) Omnem illam sententiam de Geneseos libro e variis diversorum scriptorum monumentis ita consuto, ut singula eorum verba retenta et inter se conjuncta fuerint, Ilgenianam praesertim de hac re sententiam, diligenter examinavit momentisque suis singulis ponderavit J. G. *Hasse* in

Bertholdtus [18]) primitus eam tantum primi hujus libri partem exstitisse putat, quae Capitibus V — XXXIII. continetur, eamque e pluribus antiquioribus monumentis a Mose compositam esse eo consilio, ut promissionibus, quae in illis Hebraeorum majoribus factae leguntur, doceret, Hebraeos optimo suo jure terram Cananaeam occupasse, huncque suum librum apposuisse Mosen arcae sacrae, in qua tabulae legum custodiebantur. Reliqua, quae primis quatuor libri Capitibus, uti quae inde a Capite XXXIV. usque ad finem leguntur, primo illi libro Mosaico post Mosen quidem, attamen ante Samuelis tempora adjecta fuisse, praeter Jacobi carmen fatidicum (Cap. XLIX.), quod ab iis demum, qui Saulo regnante Pentateuchum in ordinem redegerint, additum fuerit. Verum enimvero et illa, quae Vir doctis-

---

den Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- u. Menschengeschichte, P. II. p. 196. seqq. (*Zweyter Excurs: Beweis, dass die Genesis nicht aus verschiedenen in einander geschlungenen Urkunden zusammengesetzt sey*). Refutavit quoque illam *Vater* in Disquisitione de Mose et auctoribus Pentateuchi ad calcem Commentarii ipsius P. III. §. 91. p. 713. seqq.

18) Vid. Ejus *Historisch-kritische Einleit. in das A. und N. Test.*, P. III. §. 239. p. 835. seqq.

simus Mosi abjudicat, necessario iis, quae in libris quatuor posterioribus traduntur, a Mose praemittenda fuisse, observavimus supra §. II.

Geneseos librum, qualem nunc habemus, ita ortum esse, ut Mosaicis juncta et inserta essent plura Samuelis tempore in scholis prophetarum a sacerdotibus familiae Ithamaris procusa additamenta et imitamenta, statuit *Kelle* [19]), qui et plurimum operae et studii in eo consumsit, ut quae priscis illis Mosaicis monumentis adsuta atque inserta essent, secerneret, et sic genuinam libri partem in pristinam suam integritatem restitueret. Verum uti omne illud, quod nobis Vir doctissimus narrat de simultate inter utramque familiam sacerdotalem, Eleasaricam et Ithamaricam, quarum prior genuina

---

19) In libro quem inscripsit: *die heiligen Schriften in ihrer Urgestalt, deutsch und mit neuen Anmerkungen, von Karl Gottfr. Kelle, Zweyter Band, Mosaische Schriften; erstes Buch, Moses Geschichte über die Vorzeit*, Freyberg, 1817. 8. p. LXI. seqq. In quo opere retractavit, quae de libro Geneseos prius scripserat in *der Vorurtheilsfreyen Würdigung der Mosaischen Schriften, als Beweis, dass dem ersten Buch Mosis eine einzige, wohlzusammenhaengende, aber stark interpolirte Urschrift zum Grunde liege, Dritter Heft*, Freyb. 1812. 8.

Mosaica scripta penes se servasset, altera autem, quae Silunte sedem habuisset, aemulatione incitata, Mosaicis similia in prophetarum scholis finxisset, nullo solido argumento nititur [20]; ita et alterum, quod sumit, fuisse in nostro Geneseos libro genuinis Mosaicis ea quae a sacerdotibus familiae Ithamaricae illis similia procusa essent, iisque haud raro repugnantia Davidis jussu eo consilio juncta, ut simultas ista tolleretur, et utraque familia inter se conciliaretur, tale est, quod nonnisi ei, qui haec excogitavit, verisimile videri possit. Argumenta porro, quibus alia Mosi vindicat, alia serius addita probare studet, infirma sunt et pro lubitu adscita [21]. Sejunctis denique illis, quae

20) Nam loca 1 Sam. II, 31. seqq. 1 Reg. II, 27. 1 Chron. XXV. (al. XXIV.) 3. seqq., e quibus colligit, adversarias sibi fuisse illas familias, nihil de earum simultate dicunt. Quid? quod ne certum quidem sit, Eleasarem illum, Abinadabi filium, cui ex 1 Sam. VII, 1. arca foederis Gibeae custodienda tradita fuit, quemque Kelle sacerdotem familiae Eleasaricae facit, omnino sacerdotem fuisse.

21) Ut cum descriptionem situs Paradisi II, 10—14. serius insertam esse pronunciat, nullo alio argumento ductus, quam quod narrationis filum eâ interrumpi sibi videtur; aut cum in tabulis genealogicis Cap. V. et XI, 11—32. notas omnes annorum, quot vixerint Patriarchae, tanquam suppo-

Viri doctissimi opinione recentiora sunt, ab iis, quae vere Mosaica judicat, ita luxata comparent omnia et lacera, ut mirum sit, posse talia auctori probabilia videri.

---

sititias tollendas censet ideo, quod illae in textu Hebraeo, Samaritano, et Graeco Alexandrini interpretis inter se diversae sunt.

SCHOLIA

IN

GENESIN.

I. *Deus coelum et terram cum omnibus quae iis continentur creat intra sex dies.*

CAP. I—II, 3.

Primum omnium a Deo condita est coeli terraeque materia, sed rudis illa et informis; fluctibus insuper ingentibus cooperta nocteque profunda involuta (Vs. 1. 2.). Quae moles quum aptanda esset ad commodum animantium domicilium, prius quae in rudi indigestaque massa confusa iacebant et mista, secernenda erant atque ordinanda. Quod Deus ita instituit, ut primo densissimas istas caligines diei luce dispellendas juberet (Vs. 3. 4. 5.). Tum ingens aquarum vorago segregatur, et coelo, tanquam firmo ac solido quodam interstitio, ita dividitur, ut pars quaedam infra remaneret, altera supra (Vs. 6. 7. 8.). Sed illa etiam inferior aquae moles, ne vago fluctu totam telluris superficiem inundaret, in certum locum constipatur: quo ortum est oceani continentisque discrimen (Vs. 9. 10.). Nunc terra e fluctibus ita emersa herbis plantisque vestitur (Vs. 11. 12. 13.). Tum in coelo firmantur sol et luna cum ceteris astris, quae luce sua hunc orbem collustrent, ratisque suis moti-

bus temporum designent vicissitudines (Vs. 14 — 19.). Jam terrae hunc in modum instructae sapientissimus ejus fabricator incolas imponit omne animantium genus, indita simul singulis generis propagandi facultate. In his autem procreandis eum ordinem ex nostri mente servavit summus opifex, ut ab imperfectioribus ad perfectiora paulatim progrederetur. Ab animantibus aquarum incipit, id est, piscibus et natatilibus, a terrae elemento, hominis proprio, maxime remotis, quod haec infima animantium videantur dignitate ac praestantia; deinde aves, purioris et excellentioris naturae, creat (Vs. 20. 21.); tandem terrestres animantes, elemento nobis conjunctos, et nobiscum versantes (Vs. 23. 24. 25.); extremum omnium hominem, omnium dignissimum et praestantissimum, velut colophonem, addit, cujus in usum et gratiam reliqua omnia longe ante comparasset ac praeparasset (Vs. 26—31.).

Quae hic tradita leguntur de rerum omnium ortu ita sunt comparata, ut nemo non agnoscat prisci aevi simplicitatem disciplinaeque omnis physicae et astronomicae infantiam. Terram universi cardinem credit, cujus commodis sol et luna cum reliqua siderum multitudine inserviant, astra vero splendentia corpora, in coeli expanso firmata. Unde etiam factum est, quod cum corporibus coelestibus fabricandis unus tantummodo dies sufficiat, in formanda instruendaque terra quinque dies consumantur [1]). Porro quas nubes nos vocamus, nostro solidum quoddam diductum est, quo aquae superiores distinerentur ab inferioribus. Quum sol nondum existeret, dierum

1) Neque igitur hujus rei ratio quaerenda est in eo quod non tam universi originem, quam nostri tantummodo orbis, jam olim conditi, sed postea devastati, restitutionem, noster exponere voluerit; cui sententiae plura opposuit *Gabler*, Vir S. V., in iis quae praemisit libro Eichhorniano, a se denuo edito, cui inscriptum, *Urgeschichte*, P. I. p. 5. seqq.

tamen noctiumque sunt vicissitudines. Animalia denique ex terra pronascuntur. Quae quum ita sint, iam sponte patebit, quam recte hoc veteris opinionis commentum revocetur atque examinetur ad accuratam rerum physicarum scientiam, qua nostra aetas gaudet. Quod tamen cum plures fecerunt [2]), tum nuper etiam tentavit *C. G. Henslerus*, Theologus quondam Chiloniensis, in *Observationibus in Geneseos loca selecta*, vernacula scriptis, qui rerum origines ut vere sint factae, a Deo ipso primis hominibus patefactas, atque prout ab eorum posteris sint propagatae, hoc Capite primo enarratas censet. Quam sententiam multifariae doctrinae apparatu evincere studet, ita ut ex ea, quam ipse dedit, explicatione, haec narratio prorsus consentiat cum iis, quae viri rerum physicarum peritissimi nostris temporibus de terrae origine et structura vel conjectarunt vel observarunt. Sed videtur viris acutissimis et doctissimis hoc fraudem fecisse, quod non quid ipsa res et interpretatio, tum scriptoris aetas, consilium, ratio, afferret, verum quod jam antea aliquid, quod in eo inesse sibi persuasum haberent, assumerent [3]). Omnino teneri velim ab omnibus, qui pri-

2) Quorundam nomina et scripta enumeravit *C. D. Beck*, Vir Illustris, in *Commentatione de fontibus, unde sententiae et conjecturae de creatione et prima facie orbis terrarum ducuntur.* Lips. 1782. 4. p. XIII. not. 22.

3) Disputavit contra hujusmodi doctas explicationes pater meus in *Historia Telluris antiquissima.* Ulm. 1776. 8. p. 13. seqq. In Hensleri interpretationem plura egregie monuit Gabler in Praefat. ad T. II. P. II. libelli Eichhorniani, p. XCVII. seqq., et vir quidam doctus in censura libri Hensleriani in *Eichhornii Biblioth. der bibl. Litteratur*, P. IV. Fasc. I. p. 81 — 94. inprimis p. 88. seqq. Recentiorum physicorum et geologorum placitis Mosaicam hanc originis rerum descriptionem accommodare studuit et *Kirwan*, Anglus, in *Geological Essays*, p. 35. seqq., quem solidis argumentis refutavit, addita uberiore hujus Capitis in-

mum hoc caput legere aggrediuntur, quae monuit Heynius, Vir summus, de interpretandis antiquissimorum Graecorum cosmogoniis [4]): „Jam ab initio," inquit, „theogoniae (Hesiodeae) occurrunt physica nonnulla primorum hominum, qui philosopharentur, commenta, super rerum origine, ad communem veterum morem constituta, cum probabile videretur, ab initio informem materiam, χάος, ὕλην, fuisse, ex qua mundus hic prodierit, hoc est terra, exigua adhuc sua parte illis philosophis cognita, et coelum, quale illud hominibus priscis in sensus incurrebat, antequam de mundi aliquo systemate subtilius philosophari coepissent. *Nihil enim potest magis perperam factum cogitari, quam ea, quae longo demum rerum usu scientiis mathematicis et physicis expolitis, intelligi possunt, putare rudium hominum animis illabi potuisse, seculis illis, in quibus non ad sensuum vulgares rationes omnia referre non poterant. Contra aliena a priscis aetatibus omnis illa subtilitas, quam melior philosophia, cum divina, tum humana, intulit.*"

Quod sex dierum spatio hujus universi fabricationem auctor descripsit, ejus rei alii alias afferunt rationes [5]). Nos accedere iis non dubitamus, qui ra-

---

terpretatione, sanae hermeneutices praeceptis consentanea *Dan. Jul. Pott*, Theologus tunc Helmstadiensis, nunc Gottingensis, in libro, cui titulum fecit: *Moses und David keine Geologen, ein Gegenstück zu Kirwan's geologischen Versuchen*, Berol. 1799. 8.

4) In Commentat. *de Theogonia ab Hesiodo condita*, p. 137.

5) Sex illi dies offenderunt non paucos eorum, qui rerum origines, ut vere sint factae, hic expositas crederent, cum dei potentia indignum videretur, ut hominis instar architecti per sex dies operaretur. Unde recentioribus temporibus fuerunt, qui per dies periodos plurium aut dierum aut annorum intelligerent; plane contra omnes interpretandi le-

tionem in eo quaerunt, quod Moses primarium illud suum institutum, quo sex dies operibus faciundis sunt transigendi, septimus a laboribus vacuus esse debet, ad Deum ipsum auctorem referre, et septimum quemque diem, tanquam Dei exemplo et auctoritate sanctissime celebrandum, genti suae tanto impensius commendare vellet [6]. Nam et Exod. XX, 11. praecepti de Sabbatho sancte servando Moses hanc addit rationem, quod Deus ipse, postquam sex dies rebus omnibus procreandis consumsisset, die septimo a suo opere quievisset.

Cum iis, quae de rerum omnium ortu hoc Capite legimus, in rei summa consentiunt antiquissimae Phoenicum Aegyptiorumque cosmogoniae. Illam quidem servavit nobis Eusebius ex Philonis Byblii versione [7]. „Phoenicum, inquit, Theologia prin-

---

ges totiusque narrationis indolem, quidquid dicat Henslerus in *den Bemerkungen etc.* p. 203. seqq. Conf. Beckium, p. XII. not. 20., et Eichhorn. *Urgesch.* P. I. p. 151. seqq. ed. Gabler. ejusdemque nott.

6) Aliena igitur ab hoc loco est quaestio de more computandi tempus per septem dierum orbem, unde is originem traxerit, et a quibusnam primus fuerit institutus, quam rem docte persequitur Gabler P. I. p. 104. seqq. Nobiscum consentit *H. E. G. Paulus*, in Commentat. *Ueber die Anlage und den Zweck des ersten und zweyten Fragmentes der ältesten Mosaischen Menschengeschichte*, quae inserta est *dem Neuen Repertorio für biblische und morgenländische Literatur*, P. II. p. 209. seqq.

7) *Praeparat. Evangel.* L. I. C. X. Sunt ex eruditis atque fuerunt, qui parum fidei tribuerent istis, quae ex Philone affert Eusebius, quum sive ab uno sive ab altero vel omnia vel pleraque conficta esse censeant; quorum nomina et argumenta enumerata sunt in *Fabricii Biblioth. Graeca* Vol. I. p. 164. seqq. edit. primae, pag. vero 224. 225. Vol. I. edit. quartae. Quod ego mihi vix persuadeo: insunt enim in iis, quae supersunt, clarissima antiquissimae cosmogoniae indicia, et ipsa scriptionis indoles sic refert vetustatem remotissimam et exprimit, ut nullus recentior scriptor imitando

cipium hujus universi ponit aerem tenebrosum et spiritalem, sive spiritum aeris tenebrosi, et chaos turbidum ac caligine involutum. Haec porro infinita fuisse, multoque tempore ignara termini. At ubi spiritus amore principiorum suorum tactus est, factaque est inde mixtio, huic nexui nomen factum Cupidinis. Tale fuit initium procreationis rerum omnium. At spiritus generationem sui nullam agnoscebat. Ex connexione autem ejus spiritus prodiit Mot. Hoc limum nonnulli, alii aquosae mixtionis putredinem esse volunt. Et hinc factum est seminum omnis creaturae et omnium rerum generatio [8])." Haec Philo. In Hebraeo habes statim tenebras, habes et spiritum. Amoris significatio est in voce מְרַחֶפֶת. *Mot* vero, מוֹט, aquarum vorago est, jam *commota*. Sequitur in Phoenicum Theologia: „Luce illustratus est limus, et sol, et luna, et stellae, et astra magna." Ubi vides, ut apud Hebraeum, lucem sole priorem. In iis autem, quae in Eusebio ex Phoenicum cosmogonia sequuntur, animalium procreatio tribuitur τῷ Κολπιᾷ, קוֹל-פִּי-יָהּ, *voci oris*

---

eam assequi potuerit. Conf. ***Ant. Yves Goguet*** *Dissertation sur Sanchuniathon* ad calcem T. I. Operis: *De l'Origine des Loix, des Arts et des Sciences.* Alios, qui particulas ab Eusebio servatas, Sanchuniathoni vindicare studuere, recensuit Beckius ad Fabricium l. laud. His accessit ***J. L. Hug***, Theologus Friburgensis, in libello, cui inscriptum est: *die mosaische Geschichte des Menschen.* Francof. et Lips. 1793. p. 8.

8) *Φοινίκων θεολογία τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν ὑποτίθεται ἀέρα ζοφώδη καὶ πνευματώδη, ἢ πνοὴν ἀέρος ζοφώδους, καὶ χάος θολερὸν, ἐρεβῶδες· ταῦτα δὲ εἶναι ἄπειρα καὶ διὰ πολὺν αἰῶνα μὴ ἔχειν πέρας. ὅτε δὲ, φασιν, ἠράσθη τὸ πνεῦμα τῶν ἰδίων ἀρχῶν καὶ ἐγένετο σύγκρασις, ἡ πλοκὴ ἐκείνη ἐκλήθη πόθος· αὕτη δὲ ἀρχὴ κτίσεως ἁπάντων. αὐτὸ δὲ οὐκ ἐγίνωσκε τὴν αὐτοῦ κτίσιν, καὶ ἐκ τῆς αὐτοῦ συμπλοκῆς τοῦ πνεύματος ἐγένετο Μώτ. τοῦτο τινές φασιν ἰλύν· οἱ δὲ ὑδατώδους μίξεως σῆψιν, καὶ ἐκ ταύτης ἐγένετο πᾶσα σπορὰ κτίσεως καὶ γένεσις ὅλων.*

Dei [9]). Cum hac vero Phoenicum cosmogonia in multis convenit Aegyptiorum illa, ut eam nobis refert Diodorus Siculus [10]), cui si addas Deum opificem, videbis multa cum Hebraïca congruentia, permixtum coelum et terram, motum aeris, lucem, deinde sidera, discessionem coeli, maris, terrae, deinde volucres, reptilia, pisces, aliaque postremo animantia, etiam hominem. Qui utriusque cosmogoniae cum hac nostra consensus cum fortuitus nullo modo esse possit; sive Phoenicios et Aegyptios ex Hebraeo scriptore, sive ex illis Hebraeum sua hausisse necesse est. Sed ab Hebraeis, id est, a populo, qui literarum ac scientiarum studiis nullo umquam tempore floruit, quis credat talia mutuatos esse Phoenicios et Aegyptios, quibus scientiarum artiumque elementa unanimi consensu accepta referunt ceteri omnes antiquitatis populi? Quare Moses in exponenda rerum origine sive Aegyptios sive Phoenicios imitatus dicendus erit. Et ego quidem Mosen sua ex Aegyptiorum doctrina hausisse putem; horum enim literis imbutum illum fuisse vel inde credibile est, quod tanquam principis feminae Aegyptiae filius habitus, atque ut talis liberali haud dubie educatione et disciplina institutus esset, nisi et hoc diserte Stephanus, protomartyr, testaretur [11]). Quum consti-

---

9) De convenientia cosmogoniae Phoeniciae et Hebraeae pluribus disputavit *H. Grotius de veritate religionis Christianae* L. I. §. XVI. p. 29. seqq. not. edit. Jen. 1726.

10) Biblioth. L. I. c. 13.

11) Act. VII, 22. Aegyptiis hanc deberi de rerum ortu narrationem, jam dixit *Simplicius* (in Arist. Phys. L. 8. f. 268. *apud Moysen μυθική τίς ἐστιν παράδοσις καὶ ἀπὸ μύθων Αἰγυπτίων εἱλκυσμένη*); quam sententiam nostra aetate commendarunt *Hezel* in libro, cui epigraphe: *Ueber die Quellen der Mosaischen Urgeschichte*, Lemgov, 1780. atque *Hasse* in *d. Entdeck. im Felde d. ältesten Erd- u. Menschengeschichte*, P. I. p. 71. seqq., ubi demonstrare

tutum esset Mosi, historiam gentis suae ab ejus origine exponere, et ex ea docere, majores Judaeorum semper Deum unum et verum coluisse, erat ipsi duplici de causa creatio mundi attingenda, et ut originem Judaeorum explicaret eamque repeteret ab ultimis generis humani primordiis, et ut doceret, Deum esse tanquam auctorem rerum omnium colendum. Et quemadmodum Mosen plura, quae ad cultum sacrorum spectant, ab Aegyptiis mutuatum esse constat; ita et illi suo, quod diximus, consilio primario eum accommodasse verisimile est, quae sacerdotum Aegyptiorum disciplina de rerum origine tradidit. Phoenicios quoque sua ab Aegyptiis accepisse crediderim. Quae si vere se ita habent, trium illarum cosmogoniarum consensus nemini mirus videbitur [12]).

---

studuit, cosmogoniam Mosaicam haustam esse ex iisdem illis Aegyptiorum scriptis sacris, Taauto tributis, e quibus Sanchuniathon et Plato (in Timaeo) suas cosmogonias hauserint. Ceterum conferre juvabit *Strothii Parallelen zur Geschichte des Alten Testaments, aus griechischen Schriftstellern*, in *Repertorio* ab Eichhornio edito P. XVI. p. 79. seqq.

12) Hanc nostram Hebraicam cosmogoniam expressam esse ad Phoeniciam illam veterem, ita tamen, ut omnium rerum productio soli verbi divini vi tribueretur, probabile erat *Fuldae* (eidem illi, qui de Philologia theotisca optime meritus est), in Commentatione posthuma, cui inscriptum est: *Ueber Cosmogonie, Androgonie und Menschengeschichte nach der Noachischen Fluth*, in *den Memorabilien*, a *Paulo* editis, P. II. p. 102. seqq. Plura ibi egregie observata sunt super illo sive Sanchuniathonis sive Taauti philosophemate, comparatione simul instituta cum nostro Hebraeo. Cum Mosaica cosmogonia in nonnullis quoque consentit Persica, in eo potissimum, quod ex ea Oromazdes, summi numinis primum genitus, hunc mundum *sex* temporibus creavit, initio facto a lumine, et postquam omnia absolvisset festa celebravit; vid. *Zendavesta, Zoroasters lebendiges Wort* rel. a *J. F. Kleuker* in linguam teuton. translat.

Vol. I. p. 21. 24. et Vol. II. p. 150. Quem Mosis et Zoroastris consensum non inde esse putem, quod alteruter alterum sit imitatus; sed videtur utraque, Persica et Mosaica, sive Aegyptiaca, cosmogonia ex communi aliqua vetustiore fonte derivata esse.

Praeter eam quam Pottius dedit in libro supra p. 58. not. 3. laudato primi hujus Capitis interpretationem, commendatam esse velimus harum literarum studiosis et illam, quam intexuit *W. L. Ziegler*, Theologus quondam Rostochiensis, Commentationi suae, quam inscripsit: *Kritik über den Artikel von der Schöpfung nach unsern gewöhnlichen Dogmatiken*, inserta est *dem Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte*, ab Henkio edito, P. II. Fasc. I. p. II. seqq.

Cap. I. 1. Ab initio informem materiam, *χάος*, *ὕλην*, ex scriptoris mente extitisse, ex qua deinceps omnia expressa atque efficta sint, licet non disertis verbis declaretur, manifestum tamen est ex eo, quod singula a se invicem secreta et distincta esse in sequentibus narrantur, veluti lux a tenebris, aquae ab aquis, oceanus a continente. Quae *coeli terraeque* nomine in hoc Versu primo eorum tantummodo designatur materia, quae omnium primum erat efficienda. „Verba בָּרָא proprie notat *caedere*, German. *hauen*, *aufhauen*, *hakken*, uti Jos. XVII, 15. *Ascende in sylvam*, וּבֵרֵאתָ לְךָ שָׁם, et mox ibid. Vs. 18. כִּי יַעַר הוּא וּבֵרֵאתוֹ. Vid. et Ezech. XXIII, 47. ubi jungitur cum חַרְבוֹת, ut significet *excidere gladiis*. Porro בָּרָא, observante *A. Schultensio* ad *Excerpta Hamasae* p. 384., notavit *praecidere*, *praecidendo asciare* ac *dedolare*, adhibitis, nempe, instrumentis fabrilibus, atque adeo *exasciare*, mox *fabricari*. Ita Ezech. XXI, 19. וְיָד בָּרֵא בְּרֹאשׁ־דֶּרֶךְ, *et signum* exasciato, sive *fabricato*, *in ingressu viae*.“ Haec *Scheidius* in *Libro Geneseos ad fidem codd. mss.* etc. (opere imperfecto, vid. Notitiam libror. huic Volumini praemiss.) ad h. l. Tum Verbum בָּרָא omnino eadem sumitur significatione qua עָשָׂה et יָצַר, vid. infra Vs. 21. 27. Cap. II, 4. 7. Jes. XLIII, 7. אֱלֹהִים Pluralis nominis אֱלוֹהַ, a radice אָלַהּ, أَلَهَ, idem quod عَبَدَ, עָבַד, *coluit*, *adoravit*, proprie *omne quod colitur*, *adoratur*, notat, plane ut Arabicum إِلٰهٌ et إِلَاهٌ, sed, uti hoc, solenniter de summo numine dicitur. Singularis tamen nonnisi in stylo poëtico et in serioribus V. T. libris usurpatur. Alias fere de uno vero Deo V. T. scriptores uti solent Plurali אֱלֹהִים, sed Singularis instar constructo, pro ea Hebraei sermonis proprietate, qua Pluralis, tam masculinis

quam femininus, usurpari potest de *una* re, quae in suo genere magna est et quodammodo excellens, ut יַמִּים *maria*, pro *mari magno*, אֲדֹנִים *domini*, pro *domino magno et potente* (cf. Jesaj. XIX, 4.). Vid. *N. G. Schroederi Institutt. ad fundamm. Ling. Hebr.* Reg. C. not. i. et Syntax. Reg. XXV. a., et *Gesenii ausführl. Lehrgebäude der hebr. Sprache*, §. 171. p. 663. et §. 184. p. 710. Nomen שָׁמַיִם, *coeli*, non, quod vulgo credunt, duale, sed plurale, pro שְׁמָיִים, ex שָׁמַיִם a Singul. שָׁמַי, *altus*.* Vid. *Schroederus l. l.* Reg. C. not. b., et *Gesenius l. l.* p. 537. „Arabice اَلسَّمٰوَاتُ, ab *altitudine* sic dicti, est enim سَمَوَ *altum esse*: unde in Proverbiis Alis سُمُوُّ ٱلْمَرْءِ ٱلتَّوَاضُعُ, *sublimitas viri est humilitas* [imo: *humiliatio sui ipsius*, i. e. modestia]. In lingua Aethiopica usitatum est singulare שָׁמַי, *coelum*.“ *Ludov. de Dieu.*

2. Terrae informem incultamque molem aquarum obtexit vorago; fluctibusque immensis atra nox erat offusa. וְהָאָרֶץ הָיְתָה תֹהוּ וָבֹהוּ *Terra fuit vastitas et inanitas.* LXX. ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύατος. Aquila: κένωμα καὶ οὐδέν. Eodem modo Theodotion, nisi quod pro κένωμα habet κενόν. Symmachus vero: ἀργὸν καὶ ἀδιάκριτον. Onkelos: צַדְיָא וְרֵיקָנְיָא *deserta et vacua.* Quorum interpretum omnium mentibus obversatum esse patet τὸ χάος. Verba hebraea videntur nihil aliud designare, quam *inane*, quale est in regione deserta. Nam תֹּהוּ, est *desertum, vasta solitudo*, qua notione manifestum occurrit Job. VI, 18., ubi de catervis peregrinantium, a via recta aberrantibus, dicitur: יַעֲלוּ בַתֹּהוּ וְיֹאבֵדוּ, *adscendunt in vastum desertum, et dispereunt.* Convenit Arabicum تِيهٌ, Syriacum ܬܘܗ, et Persicum تُهِي, quod a Maruphide in Lexico Arabico-Persico, referente Golio, exponitur خَالٍ a خَلِيَ, *vacuus et desertus fuit locus.*

בֹּהוּ *Inanitas*, collato Arabico بَهِيَ, *vacua et inanis fuit domus et ab omni supellectili nuda.* Videntur duo haec vocabula ob soni similitudinem juncta communi usu proverbialiter fuisse usurpata, ad declaranda tesqua quaeque uniformia et inculta, cujusmodi dictiones in quavis lingua usitatae sunt. Sic Jeremias vates, ut horridam vastitatem, Hierosolymitanae urbi et Judaeae imminentem, describeret, inter cetera תֹהוּ וָבֹהוּ posuit Cap. IV, 23. Similiter Jesaias XXXIV, 11. ubi ejusdem urbis excidium pingit, *extendet*, inquit, *super eam lineam* תֹהוּ *et perpendiculam* בֹהוּ, h. e. eam solo aequabit, omnibus direptis. וְחֹשֶׁךְ עַל־פְּנֵי תְהוֹם *Et caligo erat supra faciem*, superficiem, *abyssi.* „Aquis tectam, sui in primordiis, omnem terram fuisse, ipsum מַיִם, quod protinus sequitur in eodem hoc Versu, et lucidissime dein Vs. 9. ostendit. Videlicet perfrequenter cum τῷ יָם, *mari*, et מַיִם, *aquis*, in Ebraeo codice nunc תְּהוֹם, nunc תְּהוֹמוֹת jungitur in eadem periodo, aut ubi scena rerum instruitur, quae aquis per naturam insunt. Conferantur Exod. XV, 5. 8. Deut. VIII, 7. Hab. III, 10. Prov. VIII, 24. Job. XXXVIII, 16. et 30. quo ultimo loco, ubi de frigore et gelu agitur, legimusque וּפְנֵי תְהוֹם יִתְלַכָּדוּ, *superficies maris congelatur*, non tam profundum illius cogitari poterit, in quod nulla vis est frigoris, quam exterior potius facies. Proverb. VIII, 27. בְּחֻקוֹ חוּג עַל־פְּנֵי תְהוֹם, *quum strueret circulum super facie maris*, sive gyrus intelligatur nubium et atmosphaerae, quo omni ex parte in rotunditatem cingitur oceanus, sive convexa hujus ipsius superficies, non nisi superiorem campum aquarum proxime spectandum infert. Atque duo quidem haec loca, quum sola sint, in quibus תְּהוֹם praemissum פְּנֵי habet, nostro, quem tractamus, tanto propius inservient. Quin et in posteriori per תְּהוֹם non intelligi posse, nisi patens, per globum nostrum, mare, satis superque demonstrat locus parallelus Job. XXVI, 10. חֹק חָג עַל־פְּנֵי־מָיִם, *ter-*

minum circularem posuit super facie aquarum, et in quo τὸ מַיִם evidenter respondet τῷ תְּהוֹם, quod est in altero. In תְּהוֹם כַּלְּבוּשׁ כִּסִּיתוֹ, Ps. CIV, 6. *mari tanquam vestimento obtexisti illam*, nempe terram, aut mare intelligendum, orbem nostrum, quoad huc usque est cognitus, maximam partem, operiens, aut sensus supererit omnino nullus. Ps. LXXVIII, 15. ubi refertur, quam mirando beneficio populum suum in deserto affecit Deus, diciturque: יְבַקַּע צֻרִים, *perrupit petras*, illico adjungitur וַיַּשְׁקְ כִּתְהוֹמוֹת רַבָּה, *et potum dedit velut e mari magno*. Neque ex ceteris locis Biblicis, in quibus תְּהוֹם aut תְּהוֹמוֹת legitur, ullus est, qui non *maris* notionem aut postulet, aut admittat. Utcunque igitur se habuerit vocis ipsa etymologia, quae nondum stabiliri potuit, est tamen longe certissimum, denotare eam *vastum mare*, in quo nunc profunditas consideretur aquarum, nunc vis et copia, nunc ingentes fluctus, ita quidem, ut fortius quidpiam, abundantius et stupendum magis inferat, quam vulgatius יָם." *Aurivillius* in *Dissertat. de voce* מְרַחֶפֶת in auctoris *Dissertatt. junctim editt.* a J. D. Michaelis, §. II. p. 278. seqq. Ceterum quod Moses dicit ingenti illi aquarum voragini incubuisse *noctem*, in eo consentientes habet et alios veteres. Hesiodus in Theogonia Vs. 123.: Ἐκ χάεος δ' Ἔρεβός τε, μέλαινά τε Νὺξ ἐγένοντο, *e Chao et Erebus et atra Nox nati sunt*. Et ex Orpheo citat Timotheus Chronographus apud Grotium *de Verit. Rel. Christ.* p. 33.: Ἦν χάος νὺξ ὡς ζοφερά, πάντα δὲ ἐκάλυπτε τὰ ὑπὸ τὸν αἰθέρα. *Erat chaos ut nox tenebrosa, omnia occultans quae sub aethere*. וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת עַל־פְּנֵי הַמָּיִם] רוּחַ אֱלֹהִים ad verbum, *halitum Dei*, Onkelos et Judaei plerique *ventum* esse volunt, qui cum ob vehementiam suam, tum quia a Deo, nascentis mundi opifice, immissus erat, *ventus Dei* dicatur. Ita Psaltes, Ps. CXLVII, 18. postquam frigus, quo aquae in glaciem vertuntur, a Deo mitti dixit, earum ad pristinam fluiditatem reditum hisce verbis describit: *mittit verbum suum, et liquefacit eas, flat* spiritus ejus

(רוּחוֹ), *et fluunt aquae.* Jesaj. XL, 7. *Arescit gramen, cadit flos, quia* spiritus Dei *in id flavit.* Utrobique est *ventus a Deo immissus,* sed hoc in loco cui usui esset ejusmodi ventus, difficile est dictu. Praestat igitur, רוּחַ אֱלֹהִים hoc loco accipere de *ἐνεργείᾳ* illa et *vi divina,* qua moveri cuncta et vivificari opinata est prisca illa philosophia. Ea notione occurrit haec dictio Ps. CIV, 30. *Si retrahas spiritum tuum, cuncta deficiunt, si denuo mittas, recreantur.* Verbi רָחַף notio primitiva est: *tener, mollis fuit,* docente Arabica dialecto, in qua رَخُفَ valet: *admodum mollis, tener, et tanquam liquefactus fuit prae mollitie,* qua significatione occurrit Jer. XXIII, 9. *Propter prophetas diffractum est in me cor meum,* רָחֲפוּ כָּל־עַצְמוֹתַי, *emollita,* liquefacta, *sunt ossa mea* (eadem figura, quae Job. XIX, 20. דָּבְקָה עַצְמִי). Tum usurpatur de *avibus,* cum *molli fotu pullis incubant;* ita Deut. XXXII, 11., ubi Jehovae in populum Israeliticum cura mitissima aquilae imagine exprimitur, quae עַל־גּוֹזָלָיו יְרַחֵף *pullis suis molli incubat fotu.* Unde hoc loco transfertur ad *vim* illam *divinam,* רוּחַ אֱלֹהִים, quae mundi hujus molem rudem adhuc et suis quasi secundinis involutam, calore vivifico animasse atque tanquam ad maturitatem promovisse putatur. Verbi רָחַף notiones bene exposuit simulque aliorum interpretationes recensuit *Dithmar. Hackmann* in *Praecidaneis Sacris* P. I. p. 1—10. Cum quo jungi potest *Aurivillii* de eadem voce Dissertatio I. 1. Hieronymus in Quaestionibus in Genesin ad h. l.: „Pro eo quod in nostris codicibus [i. e. in vetere translatione Latina, e Graeca Alexandrina facta] scriptum est, *ferebatur* [ἐπεφέρετο], in Hebraeo habet *Merepheth,* quod nos appellare possumus *incubabat,* sive *confovebat,* in similitudinem volucris, ova calore animantis.“ Onkelos maluit voce uti vento convenientiore, מְנַשְּׁבָא *flabat.*

3. Jam quae in rudi ista indigestaque mole confusa

et mista jacebant, secernere et ordinare incipit Deus. Ac omnium primum quidem necesse videbatur, ut altas tenebras, quibus omnia erant oppleta, diei lux dispelleret, quam non a sole profectam, sed naturam quandam fluidam credidit, ut colligere est ex Vs. sequ. In quam cogitationem non potuerunt non delabi antiquissimi homines, cum illis etiam diebus, quibus sol nubibus esset obductus, nihilominus luce omnia collustrata viderent. וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי אוֹר *Et dixit Deus: fiat lux.* Ubi *locutus esse* Deus in hac cosmogonia dicitur, semper sequitur, *factum* esse illud, quod edixerit; unde patet, verbum אָמַר hic *decretum, voluntatem* summi opificis indicare. „A veteribus Hebraeis, propter nexum cogitationum et verborum, qui tantus est, ut etiam taciti cogitationes, quas animo versamus, verbis vestiamus, saepe *animi consilia*, sermone licet nequaquam indicata, voce אָמַר, *dicere*, exprimuntur. Ita Exod. II, 14. *an occidere me* אַתָּה אֹמֵר, *tu dicis*, h. e. σὺ θέλεις, ut habent Alexandrini. 2 Sam. XXI, 16. וַיֹּאמֶר *et dicebat percutere Davidem*, id est καὶ διενοεῖτο, ut habent iterum Alexandrini. Graeci etiam interdum eodem sensu suo φημὶ utuntur.“ *Clericus.* Vult igitur noster, Deum de producenda luce consilia agitasse, et statim ac voluit lucem fulgere, illico eam emicuisse: וַיְהִי אוֹר.

4. וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־הָאוֹר כִּי־טוֹב *Vidit Deus lucem esse bonam.* „Loquitur de Deo quasi de opifice, qui opus suum fini, quem animo proposuit, tum demum aptum esse vidit, quando usum optatum praestare incipit.“ *Cleric.* וַיַּבְדֵּל אֱלֹהִים בֵּין הָאוֹר וּבֵין הַחֹשֶׁךְ, *separavit Deus lucem a caligine*, ad verb. *separatione lucis et separatione tenebrarum*, sive *separando lucem et tenebras.* Etenim בֵּין proprie est status constructus Nominis בַּיִן *praepositionis* vicem subiens, et hac ratione *genitivum* regens. Vid. *Storrii Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 336. Eadem formula adhibetur mox Vs. 6. de aquarum prius concretarum separatione. Unde patet, *lucem* et *tenebras* non minus a nostro creditas esse duas

naturas per se existentes, quae tanquam in chao prius mistae essent, postea divina potentia secretae ac sejunctae, quo orta diei noctisque vicissitudo.

5. וַיִּקְרָא אֱלֹהִים לָאוֹר יוֹם *Acclamavit Deus luci: dies*, i. e. lucem vocavit diem. Quod eorum caussa monere volui, qui verbum קָרָא sequente ל, ubi in hoc Capite occurrit, semper *assignare* interpretantur, parum quidem commode, cf. Vs. 8. 10. וַיְהִי עֶרֶב וַיְהִי בֹקֶר *Et fuere vespere et mane.* Meminit prius vesperae, quod illa prius extitisse creditur. Hinc Arato ἀρχαῖα νὺξ, *antiqua nox*, dicitur; Hesiodo *antiquissima Deorum.* Tenebras luce priores ex veteri disciplina docuit Thales Milesius apud Laërtium. Confirmant hoc quoque carmina Orphica:

> Νύκτα θεῶν γενέτειραν ἀείσομαι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.
> *Noctem deorum genitricem canam, itemque et virorum.*

Ideo David a vespera incipit Ps. LV, 18. *Vesperi et mane et meridie meditabor et perstrepam, donec audierit vocem meam.* יוֹם אֶחָד *Dies unus.* „Dies unus immensa nocte, quae lucem antecesserat, et luce duodecim horarum, confectus fuisse censetur, quod in nocte illa, quantumvis longa, nulla cuiusque rei vicissitudo fuerit, quales sunt dierum vices, qua in certas dividi potuerit partes." *Cleric.* אֶחָד hic positum pro רִאשׁוֹן, quemadmodum et reliqua *Numeralia Cardinalia* pro *Ordinalibus* venire solent, et Latini *unus* pro *primo* dixerunt, ut Cicero de Senect. c. 5., imo et Graeci, ut Homerus Iliad. XVI. 173. ἰῆς (pro μιᾶς) στιχὸς dixit, pro πρώτης στιχὸς, et Euripides in Bacch. vs. 680. ἑνὸς pro πρώτου. *Diem* intelligendum esse *naturalem*, neque vero plurium sive dierum sive annorum spatium, vix disertius declarari potuit hac formula. Attamen Henslerus, anteceptae suae opinionis in gratiam, vocabulum יוֹם in hoc Capite significare plurium annorum spatium, voces עֶרֶב et בֹקֶר collective sumit, haecque verba ita vertit: *„Es wurden Näch-*

te, es wurden Tage, die erste Zeit, d. h. eine Reihe von Nächten und Tagen, von νυχθήμεροις, gab den ersten Zeitraum." Quam interpretationem pluribus refellit Gabler in Prooemio ad P. II. T. II. libelli Eichhorniani a se editi p. CXX. seqq.

6. Jam ut ex rudi ista mole prodiret haec rerum universitas, quam a perfecta absolutaque elegantia Graeci κόσμον appellant, Latini *mundum*, necesse erat, ut ingens aquarum massa, quae omnia obtexit, interstitio quodam segregaretur, atque ita distribueretur, ut pars quaedam infra remaneret, altera supra. Quod his verbis exprimitur: וַיְהִי רָקִיעַ בְּתוֹךְ הַמָּיִם וַיְהִי מַבְדִּיל בֵּין מַיִם לָמָיִם *Et fiat solidum expansum in medio aquarum, sitque separatio aquam inter et aquam.* Inter plures alias radicis רָקַע significationes, quae in Arabum Lexicis sunt consignatae, comparet quoquae haec: *stipavit* rem aliquam, veluti puteum, *ne corrueret;* qua ex origine, tanquam ex fonte, derivari possunt reliquae omnes notiones, quibus in singulis dialectis verbum רָקַע usurpatur, veluti *fundare, solidum firmumque facere*, apud Syros, *resarcire vestem* inserto hic illic assumento, apud Arabes, *calcare* apud Hebraeos (propr. *calcando stipare*, veluti foveam, terra repleta, unde Deus Ps. CXXXVI, 6. dicitur רוֹקַע הָאָרֶץ עַל הַמָּיִם, στερεώσας τὴν γῆν ἐπὶ τῶν ὑδάτων, et in universum *calcavit, conculcavit*). Hinc, quia quae *calcando stipantur*, lata et plana fiunt, transfertur apud eosdem Hebraeos ad metalla *tundendo diducta* (vid. Num. XVII, 3. 4. רִקֻּעֵי פַּחִים), unde רָקִיעַ usurpatur de unoquoque *solido diducto* sive *expanso*, ut Ezech. I, 21. 22. de basi currus dei tonantis, a Cherubis portati. Nostro loco adhibetur ad *aerem densatum nubium*, super terra expansum, supra quem ulterius aquarum receptacula erant ex opinione priscorum hominum, qui in scientia rerum physicarum ad cognitionem naturae nubium nondum processerant. Itaque quod nos *coelum* vocamus, illis videbatur *solidum quidquam diductum*, quo aquae inferiores distinerentur a superioribus

illis, quae in pluviis et imbribus decidunt. Hanc de coeli natura notionem sibi finxisse Hebraeos, argumento etiam est Ps. CXLVIII, 4. *Laudate eum coeli coelorum, et aquae quae sunt supra coelos:* ex quibus verbis manifestum est, supra *solidum* illud *diductum* ulterius aquarum illos receptacula collocata credidisse, ex quibus demitterentur pluviae. רָקִיעַ vero synonymum esse τῷ שָׁמַיִם, patet ex Vs. 8. Pluribus de voce רָקִיעַ disputavit *Nic. Fullerus* in *Miscellann. S. S.* L. I. Cap. 6., defenditque Graecum Alexandrinum interpretem, qui στερέωμα transtulit, quod vetus Latinus interpres *firmamentum* vertit. Graecos quoque coelo soliditatem tribuisse inde patet, quod Homerus Odyss. XV, 328. οὐρανὸν σιδήρεον *coelum ferreum*, et Il. XVII, 425. χάλκεον *aeneum* appellat. Empedocles in libro, qui Plutarcho adscribitur, *de placitis Philosophor.* II, 11. coelum στερέμνιον *solidum*, et κρυσταλλοειδῶς, *glaciei* vel *crystalli instar* existimasse traditur; plane ut Ezechieli I, 22. illud coeli expansum, seu solii divini pavimentum visum est כְּעֵין הַקֶּרַח *instar glaciei* seu *crystalli.* Artemidorus, teste Seneca *Natur. Quaest.* VII, 13., *summam coeli oram* statuebat *esse solidissimam, in modum tecti duratam, et alti crassique corporis.* In verbis novissimis: בֵּין מַיִם לָמָיִם observanda est peculiaris particulae בֵּין structura, quae quando, semel posita, se refert ad duo objecta diversa et sibi invicem opposita, prius nomen in genitivo regit, posterius ope particulae ל priori opponit, ut his verbis, quae proprie sonant: *separatione aquarum respectu habito ad aquas* scil. alias et oppositas. Similis dictionis formula est Deut. XVII, 8. בֵּין דִּין לְדִין ad verb. *inter litem* relatam *ad litem* scil. aliam. Ordinaria constructio est supra Vs. 4. Conf. *Schroederi Institt.* in *Synt. Particull.* Reg. CI. b. p. 320.

7. Deus quod existere voluit, et animo constituit, est exsequutus.

8. Ante verba וַיְהִי עֶרֶב וגו׳ *et fuere vespera et mane, dies secundus,* addit Graecus Alexandrinus, καὶ εἶ-

δεν ὁ Θεὸς ὅτι καλὸν, וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־טוֹב. qualis approbatio diebus aliis adjecta est; vid. Vs. 4. 12. 18. 21. 31. Abest tamen et a Samaritano codice, et forsan ex conjectura addendam esse censuit Graecus interpres. „Sed ut quamobrem omitti debuerit nulla certa ratio est; ita nec quare necessario addi debeat videmus, quum ἀκρίβεια nulla hic quaerenda sit,“ observat Clericus.

9. Quum ea, quae infra remanserat, aquarum moles (מַיִם מִתַּחַת שָׁמַיִם), totam telluris superficiem vago fluctu inundaret, illam etiam mundi opifex in unum locum segregat; quo ortum est Oceanum inter et continentem discrimen; ut terra ita commoda et apta fiat ad habitationem animantium et hominis tandem creatorum.

11. Nunc demum terra, ita e fluctibus emersa, plantis vestitur. תַּדְשֵׁא הָאָרֶץ דֶּשֶׁא עֵשֶׂב *Progerminet terra germinationem herbae.* „דֶּשֶׁא et עֵשֶׂב Hebraei ita inter se differre docent, ut illud sit herba tenera et humilis, hoc vero grandior, conf. Proverb. XXVII, 25. Itaque in hoc commate in tres veluti classes, quidquid emittit terra, dividitur: 1) est tenera herba, sine semine, saltem conspicuo, דֶּשֶׁא [conf. *Michaelis Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* sub h. v.]: 2) quae semen profert, majorque est עֵשֶׂב מַזְרִיעַ זֶרַע: 3) arbores, sub quibus arbusta continentur, עֵץ פְּרִי עֹשֶׂה פְּרִי לְמִינוֹ. Notum est, multos, imo plerosque omnes olim credidisse, herbas tenuiores, in quibus nec validior radix, nec semen propter tenuitatem cernitur, αὐτομάτους oriri, qua de re *Theophrastus de caussis plantarum,* L. I. C. V., cujus haec sunt verba: αἱ δὲ αὐτόματοι μὲν τῶν ἐλαττόνων, καὶ μάλιστα τῶν ἐπετείων καὶ ποωδῶν. *Sponte quidem illae exeunt, quae sunt ex minoribus, annuis potissimum et herbaceis.* דֶּשֶׁא igitur nomen generale est earum herbarum, quae sponte nasci creduntur, quales sunt e minimis plurimae, עֵשֶׂב vero seminiferas, quales sunt majores, designat.“ *Cleric.* Nescio tamen, an non דֶּשֶׁא עֵשֶׂב sit pleonastica loquutio, qualis טִיט הַיָּוֵן. *coenum luti,* Ps. XL, 3.

חֹשֶׁךְ־אֲפֵלָה *tenebrae caliginis*, Exod. X, 22. מְטַר־גֶּשֶׁם *pluvia imbris*, Zach. X, 1., et *graminis herba*, apud Virgilium, *Ecl.* V, 25., ὁδοῦ ἀτραπὸς, *viae trames*, apud Aristophanem, Nub. Vs. 75., εὐνῆς λέχος *lecti torus*, apud Sophoclem *Antig.* 435. Ita et hic Graecus Alexandrinus vertit βοτάνην χόρτου *graminis herbam*; Vulgatus: *herbam virentem.* Sane infra Vs. 29. pro דֶּשֶׁא עֵשֶׂב est simpliciter עֵשֶׂב, et Vs. 30. יֶרֶק עֵשֶׂב *viror herbae.* לְמִינוֹ *secundum speciem suam*, ne ex quovis semine quaevis herba aut arbor nasceretur, sed in semine inesset natura arboris aut herbae, quam proferre deberet sua specie. אֲשֶׁר זַרְעוֹ בוֹ *cuius* scil. fructus *semen sit in ipso.* Nam affixum non ad עֵץ, *arborem*, sed ad פְּרִי, *fructum*, refertur. In fructu cuiusque arboris voluit semen inesse, ex quo arbor similis nasceretur.

14. Nunc in *solido illo diducto* (de quo Vs. 6.), id est, *coelo*, firmantur sol et luna cum reliquis astris, de quorum natura et usu quamnam sibi finxerint notionem prisci homines, ex hoc loco cognosci potest. *Luminaria*, מְאוֹרֹת, illa credebant, quae eo consilio a summo rerum conditore facta essent, ut variis hominum commodis inservirent. יְהִי מְאֹרֹת, *sit lumina*, q. d. *existat* res, nempe *luminaria;* qua ratione semper exponendae sunt hujusmodi locutiones ellipticae, vulgo pro anomalis habitae, quibus Verbum cum Nomine diversi generis et numeri conjungitur, veluti Job. XLII, 15. לֹא נִמְצָא נָשִׁים יָפוֹת, *non inventae sunt feminae formosae*, q. d. *non inventum est* aliquid, quod essent *feminae formosae.* Similiter Galli dicunt: *Qu'il y ait des luminaires; il y a des hommes.* Conf. *Schroederi Institt. ad fundamenta linguae Hebraicae*, in Syntaxi Verborum Reg. LXII. p. 277. seqq. et *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* §. 186. *b.* p. 720. Primus usus, quem noster sideribus assignat, est hic, לְהַבְדִּיל בֵּין הַיּוֹם וּבֵין הַלָּיְלָה, *ad separandum*, ut dividant, *inter diem et noctem.* „Atqui non et ante tribus diebus primis dies a nocte divisa fuerat, ut in singulis est dictum? Id sane; verum non

per solem, lunam, et stellas, sed beneficio lucis, quae interdiu diffusa, noctu contrahebatur: nunc hae vices soli et lunae cum minoribus stellis tribuuntur, ut sol, quemadmodum sequitur, diei praesit, nocti luna et stellae; atque hac vicissitudine, ne temere in coelo et confuse moveantur et ferantur, totam coeli ac mundi rationem distinguunt." *Mercerus.* וְהָיוּ לְאֹתֹת, *sintque in signa,* i. e. inserviant ad hoc, ut homines iis observent *signa,* sub quorum nomine „hic vel indicantur deliquia seu eclipses luminarium, cometae, presteres, et alia ejusmodi in aere apparentia, quae orbi adversa praenuntiare credebantur, et hac appellatione אוֹת aperte sumitur Jerem X, 2. (cf. Luc. XXI, 25. ἔσται σημεῖα ἐν ἡλίῳ καὶ σελήνῃ καὶ ἄστροις); vel intelligendum de signis serenitatis, ventorum, tempestatum, caloris, frigoris, et aliorum, quae ex adspectu et facie solis et siderum isto aevo colligebantur." *Mercer.* Sunt autem alii interpretes, qui vocabulum לְאֹתֹת ita connectunt cum iis, quae sequuntur, וּלְמוֹעֲדִים וּלְיָמִים וְשָׁנִים, ut hic exeat sensus: *sint in signa tam statis temporibus, quam diebus et annis,* i. e. ut periodis suis et annos et menses describentes, essent veluti indicia, quibus homines cognoscerent, quando quae inter se constituissent, quavis de causa, tempora venissent; tum particula ו utraque, ante לְמוֹעֲדִים et לְיָמִים, ita sibi responderet, ut Latinorum *et — et*, sive *tam — quam*, ratione Hebraeis non inusitata, uti patet ex iis, quae congessit *Noldius* in *Concordantt. Particull.* p. 309. לְמוֹעֲדִים, *ut iis observarentur* (לְ enim his vocabulis praepositum *finem* et *usum* indicat) *stata tempora.* „Nempe יָעַד, coll. Arab. وعد, primum valet *praesignificavit*, etiam *promisit*, proprie vero *promisit ad nuptias*, *destinavit puellam* (Exod. XXI, 9. 8.), item *destinavit* tempus locumve, hinc *venire aliquo jussit* (Jerem. XLVII, 7.), et pass. *jussus est venire aliquo*, et quae sunt reliquae notiones. Sed ab illa *destinandi* potestate nomen infinitum מוֹעֵד obtinuit significatum *destinationis*, unde porro fluxit notissima vis, qua *rem de-*

stinatam, proprie *locum* vel *tempus destinatum* indicat." *Storr* in *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 280. not. „Non dicit tempora simpliciter, quod Hebraice יָמִים et עִתּוֹת diceretur, sed מוֹעֲדִים; Graeci recte *καιροὺς*, ut vernacule vocamus, *saisons*, certa scilicet et stata tempora, a יָעַד, quod est *convenire*, vel *praescribere*, *statuere*. Sic dicuntur et *feriae*, quod statis diebus celebrentur, vel quod in illis conveniatur. Quidam Hebraeorum specialiter hic legales ferias intelligunt, quas non est dubium ex ortu lunae sumi, ut neomenias initio cujusque mensis et alia festa, quae ex ratione lunae sumebantur. Sed rectius fortasse in genere intelliguntur vices temporum, quae ex siderum cursu sumuntur, accessu vel recessu eorum, et eorum denique ratione et adspectu et facie in coelo; ut quod sol quatuor anni tempora faciat, item aequinoctia, solstitia, messem, sementem, vindemiam, et alia agricolarum opera, aliasque temporum vices, tam juxta naturam, quam politiam; sic luna rationem mensium, et in mense quatuor partes, novilunium, plenilunium, etc. quae ex ejus cursu sumuntur. Haec sunt מוֹעֲדִים." *Mercer.* Conf. Ps. CIV. 19. *Fecit lunam* לְמוֹעֲדִים *ad tempora stata* designanda.

15. Alius usus: *ut sint in luminaria in expansione coelorum ad illuminandum super terram*, i. e. ut lucem praebeant super terram, ut orbem collustrent. Motus et caloris eorum non facit mentionem. „Nota, primam lucem dictam אוֹר, at nunc sydera vocari nomine מָאוֹר, unde colliges facile, solem non fuisse primo die creatum. Nam אוֹר est ipsa *lux*, quae tunc nulli erat corpori affixa, at מָאוֹר *luminare*, quasi corpus luminosum seu lucidum, lucis instrumentum." *Mercer.* Ceterum observandum, quod dicit, *super terram*, declarare voluisse, ad usum maxime hominum creata esse sidera et orbis hujus inferioris.

16. שְׁנֵי הַמְּאֹרֹת הַגְּדֹלִים, *duo luminaria majora*, scil. reliquis sideribus, i. e. solem et lunam. Statim ve-

ro distinguitur הַמָּאוֹר הַגָּדוֹל *luminare magnum,* i. e. majus, לְמֶמְשֶׁלֶת הַיּוֹם, *in dominium diei,* et הַמָּאוֹר הַקָּטוֹן *luminare parvum,* i. e. minus, לְמֶמְשֶׁלֶת הַלַּיְלָה, *in dominium et potestatem noctis,* i. e. ut diei et nocti praesint, et veluti die ac nocte suum quodque regnum ac principatum habeat. „*Dominium solis* videtur in eo situm, ut interdiu agat in hemisphaerium, quod lumine suo collustrat, calore, quem ubique excitat; tum etiam ut metas diei ponat. *Luna* quoque suo modo nocti praeest, dum horrorem tenebrarum discutit, et iter noctu facientes, quod in calidioribus climatibus fit, luce sua juvat. Similibus paene loquutionibus, quanquam alio sensu, usus est *Plinius* in magnifica solis descriptione, quae exstat L. II. C. IV. *Hist. Nat.* ubi inter alia hoc legimus: *Eorum* (Planetarum) *medius sol fertur, amplissima magnitudine ac potestate, nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum, coelique rector.* *Cicero* vero *Tuscul. Quaestt.* L. I. n. 68. postquam *vicissitudines dierum atque noctium, commutationesque temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum et ad temperationem corporum aptas,* memoravit, addit *omnium moderatorem ac ducem solem, lunamque accretione et diminutione luminis, quasi fastorum notantem et significantem dies.*" *Clericus.*

18. „Quod supra Vs. 16. per nomen dixerat לְמֶמְשֶׁלֶת etc. distinctius hic in genere dicit, per infinitum, et לְהַבְדִּיל בֵּין הָאוֹר וּבֵין הַחֹשֶׁךְ, *ut separarent inter lucem et tenebras.* Hoc non idem prorsus est cum proximo, *et ad dominandum.* Plus enim complectitur *dominari,* quam *distinguere.* Non solum sol diem a nocte separat, sed et veluti suum regnum habet ac principatum, sic et luna. Videtur etiam id, quod ait, ad separandum inter lucem et tenebras, idem esse cum eo, quod supra dixerat, ad separandum inter diem ac noctem. Nam ex dictis initio Capitis, lux est dies, tenebrae nox." *Mercer.*

20. Post terram plantis exornatam et coelum syderibus instructum, ad pleniorem nunc et ampliorem ho-

rum elementorum ornatum transit, animalia scilicet, cuique assignanda et propria futura, in quibus producendis ab imperfectioribus ad perfectiora paulatim progreditur. יִשְׁרְצוּ הַמַּיִם שֶׁרֶץ נֶפֶשׁ חַיָּה *Scateat aqua multitudine bestiarum animatarum.* „Verbum שָׁרַץ non simpliciter *producere* significat, sed *copiose* et *in multitudine*, sicut et Rabbi Dav. Kimchi in Radicibus: עִנְיַן שָׁרַץ הַתּוֹלָדָה עִם הָרִבּוּי, i. e. *vocabulum* שָׁרַץ *procreationem, quae* fit *cum multitudine* significat. Targum per רְחַשׁ, quod *agitari* et *in sese moveri* significat, transfert. שֶׁרֶץ igitur, quod communiter *reptile* vertunt, non tantum paruis animalculis, quae vicina solo gradiuntur, et quasi repunt, competit; sed generale nomen est ad omnia animantia sensitiva, et sese moventia, etiam ad homines, ut infra patet ex Cap. IX, Vs. 7. ubi Deus ad Noah dicit, וְאַתֶּם פְּרוּ וּרְבוּ שִׁרְצוּ בָאָרֶץ וּרְבוּ בָהּ, *vos autem fructificate, et multiplicamini, prolificate in terra, et multiplicamini in ea.* שָׁרַץ ergo non tantum aliquorum animantium, sed simul *omnium crebra agitatione se moventium copiosam productionem* significat." *Fagius.* Nec multum abhorret Scheidius, qui verba יִשְׁרְצוּ הַמַּיִם sic vertit: *copiose producant aquae.* „De nostro," inquit, „addidimus illud *copiose*, quo melius exprimeretur propria vis verbi שָׁרַץ, qualem cernimus in Arab. شِرْوَاضٌ, *camela abundans lacte.* Vide omnino Exod. VII, 28. Genes. VIII, 17. IX, 7." נֶפֶשׁ חַיָּה, „*animae viventis*, id est, animatum et vivens, anima, in qua sit vita, animae vitali facultate praeditae. Quod post נֶפֶשׁ additur חַיָּה, est ad ejus vim ostendendam, quod vim indat animanti, et vivere illud faciat. Quidam per appositionem exponunt, *reptile, animam viventem,* sed malo in regimine. Est autem חַיָּה adjectivum foemin. a masculino חַי. Alioquin absolute ponitur pro *animante* aut *fera*, ut infra, et est etiam adjectivum, sed sine substantivo expresso, ut alia pleraque Hebraice, imo et in

aliis linguis, quale est nomen *animantis* et Graece ζῶον. Hac periphrasi *pisces* et *aquatilia* omnia comprehendit." *Mercer.* Haec itaque noster generata putat ex *aqua.* Verba עַל־פְּנֵי רְקִיעַ הַשָּׁמָיִם ita sunt vertenda: *ad, s. versus superficiem expansi coelorum,* quod expressum est ad eam notionem, quam de coeli natura sibi finxit noster (vid. supra Vs. 6.), quem cum *solidum quoddam diductum* sive *expansum* crediderit, ad ejus superficiem volucres volitare ipsi videbantur. עַל־פְּנֵי hic ponitur pro אֶל, ut Exod. IX, 22. X, 21. נְטֵה אֶת־יָדְךָ עַל־הַשָּׁמַיִם *extende manum tuum ad, s. versus coelum.* Et Genes. XIX, 28. וַיַּשְׁקֵף עַל־פְּנֵי סְדֹם *prospexit* Abrahamus *Sodomam versus.*

21. „תַּנִּינִם vocantur majores quilibet pisces, qui a Graecis et Latinis *Cete* communi nomine dicuntur. Cetacei autem generis meminit hic Moses, quia eminet inter piscium species, ut mare inter aquarum collectiones, avesque ὑψιπετεῖς inter volucres, quae nominatim supra inter Dei opera recensuit." *Cler.* Vocem תַּנִּין proprie esse participialem, formae פָּקִיד, Verbi תָּנַן, *tendere, protendere, tendendo porrigere,* et hinc denotare *extensum, protensum in longum,* atque adeo *serpentem* et *piscem majorem,* coll. Arab. تُنِّين, recte observavit *D. A. Walraven* in *Dissertat. Philolog. de Voto Jephtae,* in *Sylloge Dissertatt.* T. II. p. 852. Ceterum nostrum תַּנִּין non est confundendum cum תַּן, quod *canem ferum,* sive *Schacalam* denotat; de qua utriusque vocis diversitate videndus est *Schnurrerus* in *Dissertatt. Philolog. Critt.* p. 323. הָרוֹמֶשֶׂת „*motabilem,* Thema רָמַשׂ, Arab. رَمَشَ, *motitavit, palpitavit;* unde مِرْمَاش, *multum motitans oculos nictansque* apud *Golium* ex *Camuso.* Confer Ps. LXIX, 35. יַמִּים וְכָל־רֹמֵשׂ בָּם, *maria, et quidquid movetur in iis.*" *Scheid.*

22. His animalibus Deus indit sobolis propagandae facultatem, id quod exprimitur hac formula: וַיְבָרֶךְ אֹתָם,

„Verbum בָּרַךְ Hebraeis (Gen. XXIV, 11. 2 Par. VI, 13.) pariter atque Chaldaeis (Dan. VI, 11.), Syris et Arabibus idem est, quod *procubuit*, maxime genu submisso. Unde per metonymiam signi ortae sunt significationes *adorandi* (Ps. XCV, 6.), *salutandi* (1 Sam. XIII, 10.), *valedicendi* (Genes. XXVIII, 1. 6.), et, ut fieri solet in convenientium (conf. Proverb. XXVII, 14.) et digredientium (Genes. XXVIII, 3.) salutationibus, *bene precandi, bene dicendi* (Proverb. XI, 26.), imo, quia salutatum euntes munera afferre solebant (cf. 2 Sam. VIII, 10.), *largiendi* (cf. Genes. XXXIII, 11 cum 10.), *benefaciendi*, quo sensu de Deo inprimis vocabulum frequentatur." *Storr* in *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 37. 38. Hoc loco dicitur de impertita *sobolis propagandae* facultate, ut patet ex iis, quae sequuntur, in qua non minimam prosperitatis partem antiquissimi Hebraei ponere solebant. Eadem notione hoc verbum occurrit Genes. XXIV, 60. Ps. CXXVIII, 3. 4.

24. Quemadmodum pisces et aquatilia supra Vs. 20. ex aquis producta dicuntur, ita nunc terrestria animantia e terra prodire jubet Deus. תּוֹצֵא, „*exire faciat, proferat*, e materia enim terrae formata sunt haec animantia, quae illis creandis propria fuit et accommodata, sicut et supra aqua procreandis piscibus." *Mercer.* Hic terrestria animalia in tres dividuntur classes, quarum prima nomine בְּהֵמָה appellatur, quo, ubi solum legitur, *brutum* significatur quodvis, ut et terrestre quadrupes viviparum aliquantae molis, at quando τῷ חַיָּה opponitur, ut hic, *jumenta* designat et *domesticas pecudes*; חַיָּה vero *feram* seu *agreste animal.* Tertium genus est רֶמֶשׂ, „quo nomine quidam Hebraeorum in universum omnia, quae super terram sese motant, sive rependo, sive pedes attollendo, et terram calcant ac quatiunt pedibus quoquo modo, accipiunt. Sed hic discriminis causa speciatim *reptilia* intelligo." *Mercer.* Quod vocabulo חַיְתוֹ adnexum est, וֹ, paragogicum est, ab adfixo pronomine וֹ non diversum, nisi quod, more *Syriaco*, qua in dialecto nil

est frequentius, redundet. Additur interdum nominibus in regimine positis, ut בְּנוֹ בְעֹר *filius Beoris*, pro בֶּן, Num. XXIV. 3. 15.; לְמַעְיְנוֹ־מָיִם, *in scatebram aquarum* pro לְמַעְיַן Ps. CXIV, 8. Cujus loquendi formulae rationem exposuit, ejusque originem indagavit *Storr* in *Observati. ad Analog et Syntax. Hebr.* p. 441. II. Confer. *Alb. Schultensii Institt. ad Fundamm. Ling. Hebr.* p. 453. et *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 158. 548.

26. *Sed sanctius his animal mentisque capacius altae*
Deerat adhuc, et quod dominari in cetera posset.

Ovid. Metam. I, 16. Itaque jam reliquo opere absoluto, ad hominis fabricationem pervenit, qui fuit omnium quasi colophon, propter quem, et in cujus usum cetera creata sunt, ut jam editus omnia parata inveniret. „Inducit autem noster Deum semet excitantem ad hominis creationem peculiari modo, ut indicaret, hominem praecipuum esse eorum operum divinorum, quae hic describuntur. Jubet aquam producere pisces, terram alia animalia, quae tamen ipse ex aquis et terra fingit; hic vero quasi αὐτόσως hominem faciens inducitur, sine ejusmodi imperio, ut τὸ ἐξαίρετον hominis significetur. Eleganter Seneca de Beneficiis L. VI. c. 23. *Cogitavit nos ante natura, quam fecit, nec tam leve opus sumus, ut illi potuerimus excidere — scias non esse hominem tumultuarium et incogitatum opus.*" *Cleric.* In eo, quod Deus pluralitatis numero se alloquitur, ego non quaesiverim emphasin aliquam, quasi hac ipsa formula hominis indicetur dignitas, sed linguae id consuetudini, qui et aliis linguis mos est, tribuerim, ut interdum plurali numero de se loquentes singuli utantur homines. Jobum solum ita alloquitur Bildad Job XVIII, 2. 3. Davides quoque 2 Sam. XXIV, 14. in eadem orationis serie Singularem et Pluralem promiscue de *se uno* adhibet. 2 Sam. XVI, 20. אָדָם, *Terrenus, e terra ortus,* vid. Cap. II. Vs.

7. quod observatum esset, humanum corpus post mortem in pulverem redigi. Sanchuniathon quoque (apud *Eusebium* L. I. *Praepar. Evang.* c. 10. p. 36.) αὐτόχθονα (*ex terra ortum*) et ἐπίγειον (*terrestrem*) mortalium primum vocat. Sunt, qui hominem אָדָם appellatum fuisse putent a *colore fusco* (coll. Arab. أَدِمَ, *ruber, fuscus fuit*), qualis est hominum color sub coelo ferventiori. Quam sententiam jam a *Josepho* propositam *Archaeol.* L. I. Cap. I. §. 2. (σημαίνει δὲ Ἄδαμος κατὰ γλῶτταν τὴν Ἑβραίων πυῤῥὸς, ἐπειδήπερ ἀπὸ τῆς πυῤῥᾶς γῆς ἐγεγόνει, τοιαύτη γάρ ἐστιν ἡ παρθένος γῆ καὶ ἀληθινή, *significat Adamus lingua Hebraea rufus; quoniam ex terra rubra fermentata factus est, hujusmodi enim terra virgo est et vera;* argilla a Graecis quoque παρθενικὴ γῆ vocabatur), et defendit *P. J. Bruns* in Commentatione, cui inscriptum est: *Untersuchung der ältesten Sagen von der Entstehung des Menschengeschlechtes* (inserta est dem *Neuen Repertorio für biblische und morgenländische Litteratur*, Pauli, Theologi tunc Jenensis, nunc Heidelbergensis, cura instructo, P. II. p. 197.) p. 202. Ego ab eo potius, quod e *terra* homo omnium primus formatus credebatur (II, 7.), אָדָם nuncupatum illum dixerim, nullo respectu habito ad *colorem rubrum*, qui Hebraice אֹדֶם dicitur. Conf. *Leonh. Joh. Carol. Justi* Disquisit. *Ob die Menschen von einem Paare abstammen?* in *den Memorabilien* Partic. V. p. 78. seqq. Et *Michaelis Supplemm.* P. I. p. 19. 20. Ceterum quod apud Hebraeos nomen erat generale totius speciei, in priscis philosophematibus nomen proprium primo parenti est inditum; unde factum, ut nunc usurpetur in singulari, ubi de primo homine est intelligendum (ut Vs. 27.), nunc collective (ut hic, et Vs. 28.), ubi ad totum genus humanum referri debet. Multum in hanc rem disputavit *Gablerus* ad Eichhornii librum, P. II. Tom. II. p. 38. seqq. not. 19. בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ, *in imagine nostra*, seu *typo*, vernacule *à notre modelle*, vel

coin, ut R. Selomo Jarchi exponit, *juxta similitudinem nostram*, vel *nostri*. Varia tam Hebraei, quam nostri de distinctione utriusque nominis hujus afferunt. Sed ex eo, quod infra invenies initio Capitis V. Vs. 3., ubi homo dicitur liberos procreasse בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ, inversis dictionibus, *in similitudine sua, juxta typum suum*, quod hic dicitur, intelligemus facile. „Significatur absoluta similitudo utraque voce, qua quid sit ita effectum ad exemplar alterius, ut proxime ad illud accedat, et quam maxime exprimat ac referat, ut in eo agnoscas illud ipsum archetypon, ad cujus effigiem sit factum. Potes ita distinguere (etsi hic similitudinis ad majorem declarationem omissum nomen mox in executione, et infra C. IX. Vs. 6. rursum omittatur, ubi de caede hominis agitur); quod צֶלֶם sit ipsa substantia et primo effictio [cf. Syriac. ܨܰܠܶܡ, *figuravit, finxit*, unde ܨܰܠܡܳܐ, *imago, simulacrum, sculptile*, ut צֶלֶם Amos. V, 26. 2 Reg. XI, 18.], דְּמוּת, *similitudo* vero, qualitas quae ex illa effictione et expressione consequitur, ut quid plane sit suo archetypo simile. Saepe autem ita fieri videas Hebraice, ubi duo conjunguntur, ut alteri בּ, alteri כּ praeponatur.“ *Mercer.* Porro in quo ponenda sit ex nostri philosophi mente hominis cum Deo similitudo, de eo dissentiunt interpretes. Sunt, qui dominationem, quam in omnia homini concessit Deus, intelligant, ut sicut ipse in coelo et ubique omnibus dominatur, sic homo in terra in omnia imperium habeat et principatum. Aliis intelligentiam, ratiocinationem et alias virtutes, quae in hominis mente sunt, et anima illa rationis capace, intelligere placet. Ego Dei in homine imaginem positam putem a nostro in eo, quod homo vultu sursum spectante, ipsaque specie et corporis majestate differret a ceteris animantibus, et illis praestaret, suo aspectu majestatem, et nescio quid augusti prae se ferens. Quam autem numinis formam ac speciem effingant, aut mente sua cogitent homines, praeterquam suam? „Quum nec nostris

animis facile sit, quoties numen cogitamus, a specie humani oris mentem avocare, tum multo magis rudium hominum animis insidet species numinis aliqua et forma humanae similis; nec aliter id fieri potuit, antequam subtilior philosophia cogitationem de Deo ad Mentem, Νοῦν, advocavit. Necesse adeo fuit, ut divinae naturae tribuerentur ea, quae naturae humanae communia sunt; nisi quod majora pro naturae humanae modulo credebantur. Consentit in hoc omnis vetustas, etiam patriarcharum et Judaicae gentis; consentit omnis barbarorum et ferorum populorum stirps; ipsa natura humana." Haec et alia praeclare observat *Heyne* in *Excursu I. ad Aeneid.* Lib. IX. p. 357. edit. secund. Conf. *Excurs. XIII. ad Aeneid. I.* p. 152. et Ejusd. *Opuscula Academica*, Vol. III. p. 24. seq. Diis humanam formam tribuit Epicurus, contra quem apud Ciceronem *de Nat. Deor.* I. Cap. 32. disputans Cotta, *Nec vero intelligo*, inquit, *cur maluerit Epicurus deos hominum similes dicere, quam homines deorum. .... Non* ergo illorum humana forma, sed *nostra divina dicenda est. Ovidius* de efficto a Prometheo homine primo, *Metam.* I, 82.

Quam (tellurem) *satus Japeto, mixtam fluvialibus undis,*
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Contra Theologorum in hunc locum commenta de imagine divina bene disputavit Gablerus ad Eichhorn. P. I. p. 223. not., et qui totum hunc locum doctissime tractavit *H. A. Schott*, Theologus Jenensis, in Commentat. qua *notio cognationis Dei hominumque in libro Geneseos expressa indagatur*, Sect. I. (Jen. 1812.) p. 6. seqq.

וְיִרְדּוּ *Et dominentur.* „Pluraliter dicit, cum singulariter dixisset, *faciamus hominem*, quod Hebraice sit collectivum, unde numquam pluraliter invenitur (sicut et alia animantium nomina passim collective sumuntur), ut ostenderet, hanc dominationem etiam ad hominis posteros pertinere. Potest et plurale ad hominem simul et feminam

referri, ut sequitur, quod utrumque creavit. וּבְכָל־הָאָרֶץ, breviter dictum pro וּבְכָל־חַיַּת הָאָרֶץ, ut supra dixerat. Nam de dominio terrae mox specialiter dicetur Vs. 28." *Mercer.* Pro וּבְכָל־הָאָרֶץ legitur, omisso ו, in Pentateucho Veneto in quatern. anni 1566., בְּכָל־הָאָרֶץ, probante Hubigantio, qui haec observat: „Antea dictum est (*dominetur*) *in animantia*; post dicitur, *et in omnia reptilia.* Incommode inter utrumque, *et in omnem terram*, quia terra dispar est seu *animantibus*, seu *reptilibus*, suspicabatur Clericus legendum, וּבְכָל־חַיַּת הָאָרֶץ, *et in omnia animantia terrae*, forte quia ita Syrus interpretatur, quamquam parum credibile est, eum legisse ut interpretatur. Nos addi חַיַּת non credimus licere. Itaque consultius ו tollitur ante בְּכָל, ut sit בַּבְּהֵמָה בְּכָל־הָאָרֶץ, *in animantia in omni terra*, vel *quae sunt super omnem terram.* Fecerit errorem scribae id alterum וּבְכָל, quod sequitur." „Dominium autem in animalia, quod hic a Deo hominibus datur, situm videtur in eo, quod homines uti animalibus pro arbitrio possint. Fortasse huc alludit Jacob. III, 7." *Cleric.*

27. וַיִּבְרָא *Creavit* ergo Deus; quod apud se constituerat, id nunc exsequitur. זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אֹתָם *Masculum et feminam eos creavit.* A duobus igitur hominibus, viro et femina, universum genus humanum ex nostri mente originem traxit. Sed extitere nostra aetate, qui in animum inducere non possent, ut ab uno parente profectam crederent miram illam generis humani varietatem, qua universos populos natura, colore, statura distinctos videmus. Quorum in gratiam evincere studuit *P. J. Bruns*, nec jubere sacrorum librorum auctoritatem, ut unum totius generis humani parentem credamus (*Untersuchung der ältesten Sagen von der Entstehung des Menschengeschlechtes*, quae Commentatio inserta est *dem Neuen Repertorio für biblische und morgenländische Litteratur*, P. II. p. 197. seqq.). Cujus opinionis rationes diligenter expendit atque refutavit *Leonh. Joh. Carol. Justi* in *den Memorabilien* a *Paulo* editis,

Partic. V. p. 69. seqq. Conf. Gablerum ad Eichhorn. P. II. Tom. II. pag. 46. seqq. not.

28. De וַיְבָרֶךְ vid. not. supra ad Vs. 22. וְכִבְשֻׁהָ „*Subjugate eam,* subigite eam vobis. Quod non ad expulsionem tantummodo ferarum, ut quidam volunt, aut ad terrae proscissionem, quae aratro fit, refero, sed in universum ut in terra dominium habeant et plenam potestatem." *Mercer.* חַיָּה hic non sumitur ut supra pro *fera,* sed generaliter pro omni animante terrestri, et רָמַשׂ quoque hic est *movere* se, quoquo modo, super terram, vel pedibus sublatis.

29. Hic herbae tantummodo et fructus alimentum hominis memorantur, omissa brutorum carne. Etenim cum nostro neutrum horum verisimile esset, neque, primos homines adeo feros fuisse, ut crudam carnem vorarent, neque rursus adeo peritos, ut iis coquendi ratio nota esset, concludit, illos duntaxat fructus, qui a natura ipsa cocti ad manus erant, ab iis adpetitos fuisse. „Hinc et apud Graecos aurei seculi epulae fructus dicebantur. *Ovidius* Metam. XV, 96. seqq.

At vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen,
Foetibus arboreis, et quas humus educat herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

Dicaearchus in libris Antiquitatum et descriptione Graeciae refert, sub Saturno, id est, in aureo seculo, cum omnia humus funderet, nullum comedisse carnes, sed universos vixisse frugibus et pomis, quae sponte terra gignebat. Verba sunt Hieronymi L. II. contra Jovinianum, cui est adjungendus Porphyrius περὶ ἀποχῆς, eoque antiquior Plutarchus in Orationibus περὶ σαρκοφαγίας." *Cleric.* זֹרֵעַ זֶרַע, *seminantem semen,* idem cum eo, quod supra Vs. 20. 21. dixerat מַזְרִיעַ זֶרַע, *seminificantem semen,* id est, producentem.

30. Animantibus brutis tantummodo כָּל־יֶרֶק עֵשֶׂב, *omnis viror herbae,* id est, *gramen,* in cibum concedi-

tur; quum homini aliquid commodius et melioris succi reservatum esset, nimirum olera, et quidem varia, item varii generis poma ex arboribus pendentia (vid. Vs. anteced.). „Licet יֶרֶק, *viror*, generale sit, tamen recte videntur Hebraei monere, homini duo plantarum genera ex tribus supra positis die tertio (Vs. 11. 12.), nempe *herbam seminiferam* et *fructus arborum* concessa [ut alimentum nobilius excellentiusque]; aliis vero animantibus *sponte nascentia*, quae supra דֶּשֶׁא vocantur, hic יֶרֶק עֵשֶׂב, *gramina*, unde in nomine עֵשֶׂב non repetitur זֹרֵעַ זֶרַע." *Mercer.* Ceterum pro אֶת־כָּל־יֶרֶק legunt וְאֶת־כָּל־יֶרֶק, praemissa copula וְ, *quatuor* Codd. a *Kennicotto*, collati, inque *quatuor* aliis a manu prima ו videtur adfuisse, porro *sex* Codd. a *De Rossio* collati. Deinde, ו illud expresserunt LXX., Arabs in Polygl., et Targum. duorum Codd. Rossian. Quae legendi varietas, quamvis primo adspectu levis, ideo tamen memoratu digna videtur, quoniam ea admissa hoc Versu non de *animalium* cibo agitur, id quod recepta legendi ratio flagitat, sed de alimentis, *homini* concessis, sermo continuatur; quo sublata essent, quae supra in explanatione diximus. Placuit hoc *Scheidio*, qui particulam לְ animalium nominibus hoc versu occurrentibus praemissam, Lettio praeeunte (in *Animadverss. ad Text. Genes.* p. 2. 3.), reddendam censet: *una cum*, ut 2 Regg. XI, 4. Num. IV, 32. Jerem. XIX, 13., וְאֵת vero: *eaque cum*, ut 1 Regg. XI, 25. Proverb. XXI, 9. Quibus praestructis totum comma hac ratione interpretatur: (Dedi vobis omnem herbam etc. ex Vs. 29. repetenda) „*una cum* cunctis animantibus terrae, omnibusque volucribus coeli, et universis reptilibus, quae moventur in terra, in quibus est anima vivens *eaque cum omni pabulo viridi*, ut *vobis inserviant* ad vescendum." Quod tamen nemini penitius indaganti probetur. Quodsi enim noster כָּל־יֶרֶק עֵשֶׂב inter *hominum* alimenta recensere voluerit, quare ejus mentionem non facit versu proxime praecedenti, qui totus est de *plantis* in cibum homini praescriptis? Tum,

quemadmodum Vs. 29. dicitur: נָתַתִּי לָכֶם אֶת־כָּל־עֵשֶׂב וגו׳, *dedi vobis omnem herbam etc.*, ita eadem prorsus ratione hoc commate: וּלְכָל־חַיַּת הָאָרֶץ אֶת־כָּל־יֶרֶק עֵשֶׂב, *omnibus terrae animantibus* (repetito ἀπὸ τοῦ κοινοῦ נָתַתִּי) *omnem virorem graminis*; manifeste *homines opponuntur animalibus brutis*, atque *herbae seminiferae arborumque fructus* (Vs. 29) alimento minus nobiliori, *gramini sponte nascenti.*

Cap. II, 1. Epilogus superiorum, priusquam ad diem septimum transeat; q. d. Ita his sex diebus completum est coelum et terra (qua dictione, ut supra I, 1. totam hanc mundi fabricam complectitur), homine creato, qui fuit colophon quasi Dei operum. וְכָל־צְבָאָם *Et omnis exercitus eorum*, omnia quae in coelo sunt et in terra. Nomen צָבָא, quod alias de coeli exercitu, i. e. de astris, dicitur, hic et ad terram refertur, quasi dicas: omnes copiae coelestes et terrestres. Considerantur enim res omnes, tam quae in coelo, quam quae in terra sunt, veluti milites, uni duci et imperatori, omnium rectori et moderatori, Deo, subditi. Ad hunc locum respiciens Nehemias IX, 6. dicit: *Tu, Jova, fecisti coelos,* וְכָל־צְבָאָם הָאָרֶץ וְכָל־אֲשֶׁר עָלֶיהָ *et omnem exercitum eorum, terram, et quodcunque super ea.*

2. וַיְכַל אֱלֹהִים בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מְלַאכְתּוֹ *Quum Deus absolvisset die septimo opus suum.* „Hic Septuaginta pro die *septimo* legunt ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ, *die sexto*, quod die haud dubie sexto totum opus creationis a Deo absolutum fuerit, ut sequitur, *eum cessasse ab opere suo omni, quod fecerat die septimo*, ergo die *sexto* omnia perfecit, nec septimo quicquam faciendum restabat. Ut ergo dubitandi occasionem tollerent, ne ex hoc loco colligeretur, ullum opus Deum die septimo fecisse, pro septimo *sextum* posuerunt." *Mercer.* Cum Alexandrino concinit codex Samaritanus Syrusque interpres, eamque ipsam legendi rationem post *Capellum* defenderunt *Hubigantius* et *Scheidius*, qui mira sagacitate hujus

erroris in codices Masorethicos illati originem indagare conatur. At sine necessitate sollicitatur illud הַשְּׁבִיעִי, modo Praeteritum וַיְכַל in Plusquamperfecto vertas, ut fecimus.

3. וַיְבָרֶךְ אֱלֹהִים אֶת־יוֹם הַשְּׁבִיעִי *Et benedixit Deus diei septimo.* „Faustum et felicem, augustum et insignem inter ceteros hunc esse diem voluit, ac praecipuo eum honore ac favore dignatus est. *Benedicendi* verbum per *sanctificare*, וַיְקַדֵּשׁ, mox exponitur. *Sanctificare* est, in usum sanctum segregare, ut et Graeci exponunt, ἀφορίζειν." *Mercer.* אֲשֶׁר־בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת, *quod creaverat Deus elaborando.* Verbum עָשָׂה hic sumendum est significatione *elaborandi, operi incumbendi, efficiendae rei operam dare,* ut Cohel. II, 11. עָמָל שֶׁעָמַלְתִּי לַעֲשׂוֹת, *labor quem laboravi faciendo,* cui perficiendo multum operae adhibui. Addatur Jes. XLIII, 7. בְּרָאתִיו יְצַרְתִּיו אַף־עֲשִׂיתִיו, *fabricatus fui eum, formavi, immo elaboravi eum,* quasi *incumbendo strenue.*

II. *Antiquissima telluris hominumque historia, qua describitur* 1) *prima terrae conditio*, *II*, 4. 5. 6.; 2) *primi hominis formatio*, *Vs.* 7.; 3) *Paradisi situs et exornatio*, *Vs.* 8—14.; 4) *Adami in eo collocatio et creatio Hevae*, *Vs.* 15—25.; 5) *primorum hominum primum peccatum ejusque poena*, *III.*; 6) *amborum filiorum Adami, Caini et Abeli, ortus, Abeli caedes a Caino commissa, Caini sors et proles*, *IV*, 1—24.; 7) *duo alii Adami filii, Sethus et Enos*, *Vs.* 25. 26.

CAP. II, 4. — IV, 26.

Cap. II, 4. Verbis אֵלֶּה תוֹלְדוֹת הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ בְּהִבָּרְאָם continetur ἐπιγραφὴ secundi hujus libri Capitis, quod usque ad finem Capitis IV. nostrae in Capita divisionis decurrit. Nam Capitis nostri *quinti* initio simili ἐπιγραφῇ auctor se novum Caput inchoare indicat. Sunt, qui verba illa spectare putent superiora, quae Capite primo praecesserunt, ut clausulam quasi eorum facerent, hoc modo: *et tales quidem* erant *origines coeli et terrae quum crearentur*. Sed אֵלֶּה תוֹלְדוֹת ubicunque in hoc libro occurrit semper ad ea quae sequuntur spectat. תּוֹלְדוֹת a Verbo יָלַד proprie *generationes* notare constat, hinc *recensum eorum, qui progeniti sunt ex eo de quo agitur*, *γενεαλογίαν*, ut infra VI, 9. XI, 27. cet. Quia autem tabulis genealogicis intexi solebant quae de iis, quorum nomina in iis recensentur, forte cognita essent, hinc factum, ut תּוֹלְדוֹת sensu latiore et *enarrationem*, *historiam* denotet, et usurpetur in ejusmodi locis, in quibus nulla *generationis* mentio est, sed hoc aut illud nude narratur ge-

stum factumve. Sic v. c. historia Jacobi infra XXXVII, 2. hanc gerit ἐπιγραφὴν· אֵלֶּה תֹּלְדוֹת יַעֲקֹב, etsi nihil est in iis quae sequuntur recensionis genealogicae. Quae quum ita sint, per תּוֹלְדוֹת הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ *antiquissima mundi historia*, ἀρχαιολογία, denotatur. In הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ, qua dictione Hebraei hanc rerum universitatem designare solent, quam Graeci κόσμον, Latini *mundum* vocant, h. l. est synecdoche totius pro parte, nam de *terra* tantummodo *hominibusque* in iis quae sequuntur, agitur, nulla *coeli* mentione facta. Eodem modo κοσμὸς usurpatur 2 Petr. III, 6. Rom. IV, 13., et Latinis quoque *mundum* pro terra sive hominibus eam incolentibus dici, ostendit Drackenborchius ad Silium III, 611. et XII, 336. בְּהִבָּרְאָם, *dum crearentur*, i. e. statim postquam creata essent, antiquissimo tempore. Litera ה in hac voce in codicibus Masorethicis reliquis minor pingitur, quo indicari videtur, fuisse duplici modo illam vocem in codicibus scriptam, in aliis videlicet בְּהִבָּרְאָם, Infinitivus Niphal, in aliis, בְּהָבְרָאָם, Infinitivus Hophal, nullâ significationis differentiâ. Vid. *Hiller de arcano Kethib et Keri*, p. 183. Postquam igitur auctor Capite primo hujus mundi ortum in universum enarrasset, nunc transit ad exponendum modum ac rationem, qua telluris recens creatae nuda et incomta facies instructa sit plantarum cultu ac ornatu, tum de maris et feminae origine, atque de primorum parentum sede et conditione. Quae omnia non profecta esse ab eo, qui priora illa conscripsit, nostratium recentiores fere argui volunt cum nominis יְהוָה אֱלֹהִים usu, qui constanter tenetur per duo quae sequuntur Capita, quum antea summum numen solo nomine אֱלֹהִים semper esset nuncupatum; tum maxime diversa de rebus nonnullis sentiendi ratione, ut cum plantae I, 11. 12. sola verbi divini virtute procreatae dicuntur, Cap. II, 5. vero nec naturae efficacia excluditur, aut cum I, 27. homo mas et femina simul creati dicuntur, infra vero II, 7. primo solus vir, deinde (Vs. 21. 22.) ex ejus latere formata femina narratur. Et antiquioris quidem scriptoris esse, quae

exinde sequuntur, Eichhorn concludit ex dicendi genere, quod ibi deprehendere sibi visus est, impolito atque indocto, quod vetustissimi aevi simplicitatem referat. Contra stylum multo ornatiorem, quam in iis, quae praecesserunt, nec pauca exquisitioris doctrinae indicia *Heinrichs* agnoscit (*Commentatio de antiquo illo documento, quod secundo Geneseos capite exstat*, Gotting. 1790.), unde eadem recentiori aetati assignat. Porro quae legimus usque ad finem Capitis tertii, reliquias esse prolixioris alicujus libelli, a quo is, qui hoc volumen ex variorum composuit commentariolis, resecuerit, quae de universi fabricatione ibi dicta fuissent, *Heinrichsio* (in Commentat. laud.) et *D. J. Pottio* (*de consilio Mosis in transcribendo documento eo, quod Genes. II. et III. ante oculos habuisse videtur*, Helmst. 1789.) credibile fuit eam ob causam, quod quum huic particulae inscriptum sit: *origines coeli et terrae*, tamen in ea nihil legatur de utriusque fabricatione. Quae conjectura unice nititur falsa interpretatione vocabuli תּוֹלְדוֹת; ea igitur sublata concidit etiam illud, quod ipsi superstructum est. Praeterea vix credibile est, conjunxisse Mosen, aut quemvis alium, qui hunc librum composuerit, duorum scriptorum idem argumentum tractantia, sed in nonnullis sibi invicem repugnantia monumenta, nisi sumamus, illius consilium fuisse, varias de rerum ortu opiniones referre, quod nemo facile sibi persuadeat. Quae quum ita sint, in iis quae deinceps sequuntur auctorem non plane de iisdem, quae Capite primo commemorata erant, agere necesse est, sed partim ad alia transire, partim latius exponere paralipomena superioris de ratione creati hominis et formatae ex eo mulieris, item de Paradiso et aliis, quae intra sex dies creationis rerum omnium facta aut instituta fuerant in orbe terrarum, quae aut breviter tantum et summatim perstrinxerat et attigerat tantum, ut semel liceret a sex dierum opere ad diem septimum, quo Deus quieverat, transire, et eadem opera tractatum creationis absolvere paucis, vel quae etiam prorsus omiserat

suo loco postea resumenda. Interpretum in duobus, quae sequuntur, Capitibus interpretandis divergia persequi, et a nostro consilio alienum esset, et post *Gableri* operam, huic ipsi rei impensam, supervacaneum. Quare satis habeo, eos, qui varias eruditorum vel opiniones vel somnia nosse cupiunt, ad Partem alteram libelli Eichhorniani, *die Urgeschichte* inscripti, a Viro illo doctissimo editi, et multis egregiis observationibus, quas de suo addidit, aucti, ablegare. In Capitis secundi particulam priorem multa acute etiam monuit *Zieglerus* in Commentatione supra p. 63. sub finem Notae 12. laudata. Jam ut ad interpretationem Capitis ipsam progrediamur, ante omnia est observandum, partem posteriorem Versus quarti, inde a verbis בְּיוֹם עֲשׂוֹת, cum initio Versus quinti arctissime cohaerere, et Vau ante וְכֹל שִׂיחַ, Versus quinti initio, non esse copulativum, sed retributivum, sic ut Latine redundet, plane ut infra III, 5. בְּיוֹם אֲכָלְכֶם מִמֶּנּוּ וְנִפְקְחוּ עֵינֵיכֶם *quo die ab eo comederitis aperientur oculi vestri.* Ita et locus hic integer vertendus est sic: *quo die faciebat Jova Deus terram et coelum, ullus frutex agri nondum erat in terra, et ulla herba agri nondum germinarat.* Ceterum hic primum occurrit nomen יְהוָֹה, quod Dei Israëlis nomen est proprium (cf. infra XXVIII, 21. Jacobi dictum: וְהָיָה יְהוָֹה לִי לֵאלֹהִים *sit mihi Jova Deus*), quod jungit Moses voci אֱלֹהִים per appositionem, ut loquuntur Grammatici, ut lectores statim initio sui operis doceat, deum custodem populi Hebraei eundem esse illum Deum, quem mundi conditorem descripsit, et hinc deinceps in suo opere utroque illo nomine promiscue utitur; quem promiscuum utriusque nominis אֱלֹהִים et יְהוָֹה usum et reliquorum V. T. librorum scriptores retinent (cf. Prolegomena in Genesin Not. 16.). Pro יְהוָֹה Judaeos אֲדֹנָי legere constat, cujus nominis puncta vocalia et illi nomini adscripta sunt, unde de vera consonantium יהוה pronunciatione controversia diu multumque est agitata. Scripta varia, in quibus de hac re est disceptatum, junctim edidit praemissa sua praefatio-

ne *Hadr. Reland,* hac epigraphe: *Decas Exercitationum philologicarum de vera pronunciatione nominis Jehova, quarum quinque priores lectionem Jehova impugnant, posteriores tuentur,* Traj. ad Rhen. 1707. in octon. Cf. *J. D. Michaelis Supplemm. ad Lexx.* p. 524. Effari nomen יְהוָֹה Judaeis jam inde ab antiquissimis temporibus religioni fuisse, inde patet, quod Graeci Alexandrini interpretes ejus loco semper ὁ Κύριος ponunt, quod est interpretatio nominis אֲדֹנָי, quo etiamnum Judaei, uti diximus, pro יְהוָֹה utuntur.

5. וְכֹל שִׂיחַ הַשָּׂדֶה טֶרֶם יִהְיֶה בָאָרֶץ וְכָל־עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה טֶרֶם יִצְמָח *Et omne s. ullum virgultum agri nondum erat in terra, et ulla herba agri nondum germinabrat.* טֶרֶם hic non esse *antequam, priusquam* vertendum (ut Graecus Alexandrinus, qui πρὸ τοῦ habet, quem sequutus est vetus Latinus, sive Vulgatus), sed *nondum,* recte monuit Jarchi his verbis: כל טרם שבמקרא לשון עד לא הוא ואינו לשון קודם *omne* טֶרֶם, *quod in Scriptura exstat, significat nondum, non vero priusquam,* quod adducto loco Exod. IX, 30. confirmat. Ita Onkelos et Syrus עַד לָא *nondum* verterunt. Construitur autem plerumque cum Futuro in Praeterito Latine vertendo. Primam telluris conditionem respectu frumentorum (שִׂיחַ הַשָּׂדֶה), et herbarum nobiliorum, hominum alimento idonearum (עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה), quae non crescunt, nisi cultura adhibita, hisce verbis describi voluit *J. G. Hasse,* qui omnino inde ab hoc loco hominis et telluris historiam ratione agriculturae enarrari statuit, in *den Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- und Menschengeschichte,* P. I. p. 85. seqq. In eam cogitationem jam inciderat *Ludov. de Dieu* in *Crit. S.* ad h. l. „Quia," inquit, „in hisce Versibus interpretandis difficultas interpretibus nata videtur inde, quod ἐναντιοφανὲς videatur, quod hic tempore primae creationis nulla dicatur fuisse stirps, quia nec pluvia ceciderat, nec homo erat, qui terram coleret, Capite autem primo dictus fuerit Deus die tertio solo suo verbo effecisse, ut terra herbas et arbores produceret, mone-

mus, tria hic esse vocabula, quae attentionem requirunt, quorum nullum Cap. I. exstat. Primum est שִׂיחַ, quod *virgultum* significat, id est virgarum multitudinem ex praecedanea radice pullulantium; secundum, הַשָּׂדֶה, quod non absolute terram, sed *terram cultam*, et sive sationi, sive pecorum pastui adaptatam denotat; tertium צֶמַח, quod *germinare, pullulare* significat, itaque de surculis et stolonibus dicitur, qui ex praecidaneo semine aut radice exsurgunt. Tale nihil fuit in prima creatione, ad quae pluvia et cultura requiruntur; at herbae et arbores de quibus Capite primo, non ex semine et radicibus pullularunt, sed ipsaemet fuerunt prima omnium plantarum semina et radices.“ Similiter *Gussetius* in *Commentariis Ling. Ebr.* sub voce שִׂיחַ, eâ plantam denotari vult, quae colitur, cujus solum purgatur sentibus et vepribus; „nam ratio, cur non esset שִׂיחַ, constituitur in eo, quod non existeret homo. Sic Moses, ut diversarum artium origines in hoc libro tradit, ita nunc originem agriculturae emolumentorumque ejus pandit, et ad hoc resumit quaedam ex creationis plenissime narratae diebus. Quo enim ordine pluviam Cap. II. collocat, eâ praecessit creationem hominis.“ Verum agricolationi homines non prius operam dedisse Moses innuit, quam e Paradiso expulsi essent; vid. infra III, 17. 18. 19. 23. IV, 2. Neque quod vocabula hoc loco usurpata, שִׂיחַ, שָׂדֶה et צֶמַח, ad agriculturam pertinere dicunt, solido argumento nititur. Nam שִׂיחַ pro *frutice* seu *arbuscula* plerumque sumitur, vid. Job. XII, 8. XXX, 4. 7., quomodo et hic usurpatum eo magis videtur, quo significaretur, ne *fruticem* quidem *agrestem*, sive *insativam* nedum sativam aut hortensem, aut arborem proceram aliquam extitisse, quum Deus terram crearet. Porro שָׂדֶה nequaquam terram culturae aptam denotare, sed latius patere, constat e vocis hujus usu, qui infra Vs. 19. 20. III, 1. observatur, ubi חַיַּת הַשָּׂדֶה non dubium est dici *feras agrestes*, a *pecudibus* distinctas. צֶמַח denique in genere *oriri* notare, et de iis quae ratione naturali proveniunt, usurpari con-

stat. Quod igitur scriptor hoc loco aliis nonnullis vocabulis, quam supra I, 11. 12. de eadem re agens utitur, praeter עֵשֶׂב, quod et illic occurrit, pro mera styli variatione habendum erit. Quum autem in decursu narrationis de totius mundi intra sex dierum spatium ortu plantarum originem die tertio summatim memorasset, jam ad telluris hominumque antiquissimam historiam progrediens primum accuratius exponit, qua ratione procreatae sint plantae (Vs. 6.), praemittitque hoc Versu, quum primum creasset Deus coelum et terram, non simul plantas extitise in arido solo (בַּיַּבָּשָׁה, I, 9. 10.), quod etsi ex superiore narratione appareat, hic tamen diserte commemorat, ut transitum faciat ad ea quae sequuntur.

6. Loco pluviae et irrigationis erat *vapor* אֵד, quo universa telluris superficies humefiebat, eo tempore quo tener terrarum orbis primum concreverat, et nubes submotae erant, antequam sole novo lucescente crearentur pluviae, ad procreandas et conservandas plantas. Quod supra I, 11. plantas divino jussu exortas dixit, non excludit causas naturales, quibus tanquam instrumentis usus sit Deus. Neque opus est, ad hujus Versus initium e superiore repetere negandi Particulam, uti fecit Saadias, qui sic vertit: وَلَا بُخَارٌ كَانَ يَصْعَدُ مِنْهَا *nec vapor ascendit ex ea*, (terra). „Stirps אֵיד, Arabic. أَيْدٌ, cognata alteri אוד, Arabice أَوْدٌ, *gravavit*, *pressit pondere suo*, unde אֵד sive אֵיד *vapor crassus*, et *pondere suo* quasi gravatus; qui per *guttas tenuissimas* iterum *destillat* in terram. Vid. Job. XXXVI, 27. Chaldaei paraphrastae reddiderunt עֲנָנָא, *nubem*, quam vocis potestatem etiam firmat nonnihil Arab. أَيَانٌ, quod in *Camuso* exponitur هَوَاءٌ, *aër*." *Scheid.*

7. Supra I, 27. breviter de creatione hominis ad Dei imaginem dixerat cum in universum opus sex dierum describeret, jam disertius exponit, qua ratione creatus et formatus fuerit homo, et quid cum eo Deus egerit. וַיִּיצֶר יְהוָה אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם עָפָר מִן־הָאֲדָמָה *Formavitque Jova Deus hominem glebam argillaceam e terra.* Verbum *fingendi*, seu *formandi*, יָצַר, proprie refertur ad delineationem membrorum corporis in similitudinem figuli, vasi formam dantis. Nam de *anima* mox subjicitur. עָפָר est *gleba argillacea*, docente Arabico عَفَرٌ, quae vocabuli Arabici significatio non commemoratur quidem a Golio in Lexico, sed ex Geuharii Thesauro proditur a Reiskio in *Addendis Version. theotisc. ad Historiae Academ. litterarum elegantior.* (*Geschichte der königlichen Academie der schönen Wissenschaften*) P. XI. p. 171., ubi plura de verbo عَفَرَ, ex Grammatico Arabe, ipsius lingua, et germanice versa, excerpta invenies, additis simul doctis Reiskii observationibus. Rationem vero animati a Deo hominis noster sic describit: וַיִּפַּח בְּאַפָּיו, *et flavit in nares ejus*, quod in naribus est vita hominis, quum per eas respiremus. נִשְׁמַת חַיִּים *Spiraculum s. halitum vitae*, quo intelligi videtur quod proprie vita dicitur, qua corpora plantarum et animalium vegetantur. וַיְהִי הָאָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה, *et factus est*, fuit, *in animam viventem*, q. d. atque ita evasit totus in corpus animatum, animal vita praeditum, qui antea, efformatis solum et delineatis e terra membris, velut truncus erat, vitae expers. Quemadmodum Graeci distinguebant τὴν ψυχὴν, qualis obtigit cunctis animantibus, et τὸν νοῦν, qui proprius sit homini ac daemonibus, item Latini *animam*, et *animum* aut *mentem*; ita Hebraei per נִשְׁמַת חַיִּים videntur intelligere *animam vitalem*, qualiscunque illa sit, et per נֶפֶשׁ, *animam rationalem*. Ad quem sensum Josephus rerum exordia ex nostro describens ait *Antiqq. Jud.* L. I. 2. „Deum hominis corpus ex humo finxisse,

eique indidisse πνεῦμα καὶ ψυχήν," plane ut **Juvenalis** Sat. XV. Vs. 143.

— — — *Mundi*
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque.

8. Describitur exinde primi parentis sedes, quam noster et in tractu amoenissimo ponit, quum omnino primorum mortalium conditio beatissima constanti fama atque omnium populorum sermone celebrata esset, et in ejusmodi regione, quae vicina esset sedibus proavorum Abrahami, Hebraeae gentis conditoris, ut sic etiam gentis honori consuleretur. וַיִּטַּע יְהוָה אֱלֹהִים גַּן־בְּעֵדֶן מִקֶּדֶם *Plantavit Jova Deus hortum in Edene ab oriente.* עֵדֶן ut Syriacum ܒܘܣܡܐ, quod Deut. XXVIII, 56. Syrus interpres pro Hebraico הִתְעַנֵּג posuit, proprie notat *delicias* (cf. Arabicum غدن *mollities, lenitas*), et vix dubium, esse Graecum ἡδονή inde deductum. Tum locis quibusdam amoenissime sitis id nominis est inditum, uti loco cuidam in vicinia Damasci, Amos. I, 5. Erat et quaedam Mesopotamiae ad Tigrim regio, *Eden*, cujus mentio fit 2 Reg. XIX, 12. Jes. XXXVII, 12., Ezech. XXVII, 23. ultima quidem, ut putem, Orientem versus, quae Hebraeis cognita fuit. Ea nostro prae aliis idonea visa est, quam primorum hominum sedem faceret, cum ob situm, tum ob *amoenitatis deliciarumque* notionem, quae loci nomini inest. Erant, qui עֵדֶן hoc loco pro nomine appellativo haberent, et verba sic verterent: *plantavit Deus hortum in regione amoena.* Similiter vetus Latinus, sive vulgatus interpres, *paradisum voluptatis* reddidit; quod tamen praefixa Particula בּ non admittit. Verum pro nomine proprio hic usurpari, apparet e loco infra IV, 16. ubi Cainus dicitur consedisse *in regione Nod ad orientem Edenis.* Observant Hebraei, *Eden*, ubi sit nomen amoenissimae illius regionis, quae primorum hominum sedes esset, scribi per quinque puncta Vocalia, id est per Zere et Segol, עֵדֶן, ut hic, et infra Vs. 15. III,

23. IV, 16. Jesaj. LI, 3. Ezech. XXVIII, 13. XXXI, 9. Joel. II, 3., ubi autem alium quendam locum designet, scribi cum sex punctis, id est, duplici Segol, עֶדֶן, ut 2 Reg. XIX, 12. Jesaj. XXXVII, 12. Ezech. XXVII, 23. Am. I, 5. Ex J. D. Michaelis sententia *Eden* is tractus fuit, qui hodie Armenia, Ghilan, Dailem et Chorasan vocatur, atque ab Euphrate et Tigride usque ad Araxem et Oxum progreditur. In cuius tractus parte orientali assignavit homini גַּן, *hortum*, nemus irriguum, quales Turcarum Persarumque horti hodienum sunt.

9. Huic horto inerant duae prae ceteris conspicuae et insignes arbores, usui, uti videtur, daemonum, quos Hebraei אֱלֹהִים vocarunt, destinatae (vid. infra III, 21.), una עֵץ הַחַיִּים, *arbor vitae*, cuius fructibus qui vesceretur, morti non erat obnoxius (vid. III, 22.), altera הַדַּעַת טוֹב וָרָע *arbor cognitionis boni malique*, i. e. prudentiae, cujus fructus qui gustaret, rationem sapientiamque adipiscebatur (vid. III, 22.). Recte Onkelos vertit: וּמֵאִילָן דְּאָכְלִין פֵּירוֹהִי חַכְמִין בֵּין טָב לְבִישׁ *sed de arbore, cuius qui fructibus vescuntur sciunt inter bonum et malum discernere.* Dictio דַּעַת טוֹב וָרָע usurpatur de homine tum, cum infantiae annos egressus, ratione jam incipit uti, et quid faciendum fugiendumve sit, intelligit, unde his, qui nondum eo progressi sunt, ut יָדְעוּ טוֹב וָרָע, *bonum malumve dignoscant*, indicantur *infantes*, Deut. I, 39. Jon, IV, 11. Jes. VII, 15., quibus omnino in tota hac narratione primi homines similes fuisse sumuntur.

10. Iucunda primorum parentum sedes carere non debuit amnium amoenitate. Unde quatuor maxima Asiae flumina, quae quidem nota nostro fuere, felicissimum nemus irrigant. Quod ex uno fonte ea orta dicuntur, id debetur haud dubie nostri ingenio, cui an recte cognitus fuerit illarum regionum situs, ego vehementer dubito. Omnino vero ex hac descriptione primorum hominum sedes definire velle, idem esse videtur, atque Virgilii de Elysio phantasmata (Aeneid. VI, 637. seqq.) ad verita-

tem revocare. Praecipuas antiquiorum interpretum sententias de Paradisi situ qui nosse cupit, adeat *Morini* Dissertat. *de Paradiso terrestri*, Bocharti Geographiae Sacrae praefixam; recentiorum conjecturas retulerunt et examinarunt *Gabler* ad Eichhorn. Tom. II. P. I. p. 76. seqq. et *G. B. Winer* in *dem bibl. Realwörterbuch*, voc. *Eden*, P. I. p. 177. seqq. Cf. *Schulthefs das Paradies, das irdische und überirdische, historische, mythische und mystische*, Zürch, 1816. in oct., et librum nostrum: *das alte und neue Morgenland*, P. I. No. 8. 11. רָאשִׁים idem hic ac נְהָרִים notat, nempe *fluvios majores;* Versu enim sequenti dicitur *nomen primi*, scil. *capitis*, quod proxime praecesserat, et quod ab omnibus *fluvius* vertitur, quum Vs. 13. dicatur וְשֵׁם־הַנָּהָר הַשֵּׁנִי *nomen fluvii secundi.*

11. פִּישׁוֹן *Phison* idem fluvius esse videtur, qui a Graecis et antiquis Geographis *Phasis*, jam *Aras*, sive *Araxes* dicitur; oritur is in septemtrionali Armeniorum montium parte, conjungitur cum flumine *Kur*, et postquam hujus nomen accepit, in mare Caspium effunditur. חֲוִילָה *Chavilah* quae hic nominatur, haud dubie est sejungenda tum ab ea, quae Gen. X, 7., tum ab ea, quae eodem Cap. v. 29. occurrit. Utraque enim in Arabia sita erat. Arabia autem nullum omnino fluvium majorem habet, et ea pars Arabiae, quae Euphratem adtingit, numquam auri dives habita fuit, a cuius copia et praestantia tamen Chavilam Paradisi Moses laudat. Ideo eam sententiam sequi placet, quam *Michaelis* in *Supplem. ad Lex. Hebr.* P. III, N. 688. attulit. In vicinia nempe *Araxis*, qui, ut modo diximus, Cyro mixtus in mare Caspium influit, reperitur aliqua gens et regio nomini חֲוִילָה quodammodo consonans. Ipsum mare Caspium Russi *Chwalinskoje More* dicunt, a populo aliquo antiquo, nec satis noto, *Chwaliskorum*, qui olim circa hoc mare habitabat. Audiendus est de hoc populo *G. F. Müllerus* (de populis olim Russiam incolentibus, in *Büschingii Magazin*, T. XVI. p. 287—348. p. 305.): *De Chwalissis, populo a*

plerisque ad Slavorum prosapia relato, exteri scriptores nihil nos docent, sed soli Russici, ipsi quoque raro illorum mentionem facientes. Ad Wolgam, proxime a Caspio mari feruntur habitasse. Nomen eorum derivatur a Chwala, *ejusdem cum* Slawa *significationis.* סָבַב, *flexuoso cursu adluit,* a radice סָבַב, quod proprie notat *vertit, convertit se in alteram partem,* hinc, *circumivit, circumdedit.*

12. בְּדֹלַח vulgo vertitur *bdellium.* LXX. ἄνθραξ, *carbunculus. J. D.* Michaelis *Bibl. Orient.* P. IX. p. 174. suspicatur eos בלח legisse. *Balch* enim in Chovarasmia, quae terra כוש esse videtur, propter gemmarum fodinas notum est, et vel a gemma nomen accepisse, vel gemmae cuidam nomen dedisse potest. Certe bdellium non tam eximium est naturae donum, ut ab ejus proventu laudari regionem verisimile sit. Quam ob caussam etiam *Michaelis* in *Suppl. ad Lex. Hebr.* P. I. p. 152. sub בְּדֹלַח mavult gemmam quam bdellium intelligere. *Bochartus* in *Hierozoico* T. II. L. V. c. 5. בְּדֹלַח *margaritam* esse censet, hoc maxime ductus argumento, quod margaritarum sinus Persicus dives sit, ad quem Chavilam sitam esse putat. Quidam *chrystallum* intelligunt, quam sententiam *Reland* tuetur in *Dissertatt. Miscellann.* P. I. p. 27. seq. Certi quidquam de hoc nomine definiri haud potest.

13. Inter omnes de גִּיחוֹן *Gihon* flumine sententias ea, quam *Michaelis* in *Suppl. ad Lex. Hebr.* P. I. pag. 297. 298. protulit, verisimillima est. Ex ea magnus Chovarasmiae fluvius, in mare Aral influens, *Oxus* veteribus, nostris geographis *Abi-Amu*, Arabibus, ipsisque adeo in hunc diem adcolis جَيْحُون, *Gihon* vocatus, Mosis גִּיחוֹן esse videtur. Sed ipse Michaelis nil certi definire audet, quum nobis illae regiones adhuc nimis incognitae sint. Ceterum *Josepho* (Ant. I, 1. 3.) Gihon est *Nilus*; *Huetio* (in Dissertat. *de situ Paradisi ter-*

restris C. XII.) orientale *Tigridis* brachium, mari Persico illabens; *Relando* (in Dissertat. *de Paradisi terrestris situ* §. XVI. p. 32. P. I. *Dissertatt. Miscell.*) Araxes; *Clerico* (in Commentario ad h. l.) *Orontes*. Terra כּוּשׁ ea ad Gihonem regio esse videtur, ut *Michaelis* verisimile facit in P. III. *Suppl. ad Lex. Hebr.* No. 1125., cujus metropolis olim كاث, *Cath* ab Arabibus dicebatur, quod ipsum nomen Hebraicum est, Arabicis tantum litteris scriptum. *Abulfeda* in Chovarasmia p. 11. dicit, *Cath metropolim olim fuisse Chovarasmiae ab Oriente Gihonis*. Haec urbs immensae ad Gihonem regioni nomen dedisse, aut ab ea accepisse videtur, ut *Michaelis* l. l. suspicatur. Cujus in urbis locum successit *Balch*, urbs ad Gihonem hodie celeberrima, sub gradu longitudinis 83. latitudinis 37.

14. חִדֶּקֶל *Tigrim* esse, tum veteres tum recentiores consentiunt. Ita verterunt LXX., Vulgatus, Chaldaei omnes, Syrus, Saadias, Theodotion. Syris hic fluvius vocatur ܕܩܠܬ, *Declath*, Chaldaeis דִּגְלַת, Arabibus etiamnum دجلة, *Didslat*. Vid. *Michaelis Supplemm.* P. II. p. 675. קִדְמַת אַשּׁוּר, *Vadit Assyriam versus*, proprie in conspectu Assyriae. פְּרָת *Euphratem* esse, nulla est dubitatio; notior erat hic fluvius, quam ut ulla descriptione indiguerit, quippe qui κατ' ἐξοχὴν in Scriptura vocatur הַנָּהָר et הַנָּהָר הַגָּדוֹל, *fluvius magnus*.

15. Hujus agri vel horti *colendi* et *custodiendi* cura τῷ πρωτογόνῳ datur, *colendi* quidem ea facili cultura, quae tunc in agro per se feraci et bene praeparato sufficiebat, *custodiendi* autem contra insultus ferarum, quae cursitando et pascendo potuissent labores humanos turbare et omnia vastare.

17. Mortem, si eo fructu homo vesceretur, minatur Deus, ut eo fortius ab illius esu hominem absterreat, neque quod vere fructus esum consecuturum esset (rationis

usum, vid. Cap. III, 7. 22.), ei aperit, ne prudentiae adipiscendae cupiditate gustandi appetitus eo magis in ipso excitetur. Videlicet quum divino illo rationis dono homines saepe tam perverse utantur, ut in fraudem malitiamque plerumque convertant, facile qui de his rebus quaesivit potuit in hanc dilabi cogitationem, annon melius humano generi a deo esset provisum, si homines, infantium instar, boni malique discriminis ignari, felici simplicitate omnem vitam degissent, quam nunc, quum perniciosum illud rationis munus illis sit impertitum, quo quamvis proxime accedamus ad dei immortalis numen, tamen quum perpauci bene illo utantur, simul inductum est omne illud scelerum flagitiorumque agmen, quo miseri mortales invicem se opprimunt. Quid quod ipse Cicero Cottam in eundem plane modum loquentem inducat (de Nat. Deor. III. c. 27—30.), cujus verba, quum huic loco commentarii instar esse possint, digna videntur, quae apponantur: *Sentit domus uniuscujusque, sentit forum, sentit curia, campus, socii, provinciae, ut*, quemadmodum ratione recte fiat, sic ratione peccetur, *alterumque et a paucis, et raro, alterum et saepe, et a plurimis;* ut satius fuerit, nullam omnino nobis a diis immortalibus datam esse rationem, quam tanta cum pernicie datam. — — *Quae enim libido, quae avaritia, quod facinus aut suscipitur nisi consilio capto, aut sine animi motu, et cogitatione, id est, ratione, perficitur? — — Si rationem hominibus dii dederunt, et malitiam dederunt: est enim malitia versuta et fallax nocendi ratio. Iidem etiam dii fraudem dederunt, facinus, ceteraque, quorum nihil nec suscipi sine ratione, nec effici potest. Utinam igitur, ut illa anus optat:*

— — ne in nemore Pelio securibus
Caesa cecidisset abiegna ad terram trabes;

sic istam calliditatem hominibus dii ne dedissent! Haec Cicero. מִמֶּךָּ, quod in latino sermone supervacaneum foret, additum est ex more linguae priscae parum politae, ut perspicacior fiat oratio, quemadmodum infra III, 12.

illa mulier, quam collocasti juxta me, הִיא, *ipsa, dedit mihi.* Conf. Jes. VIII, 14. Ceterum huic Dei effato, fore ut homines quo die de fructibus illius arboris comederent moriantur, videtur quidem obstare narratio quae sequitur Cap. III, 19., quae docet, homines minime *eo ipso die*, quo peccassent, diem obiisse, sed diutius vitam produxisse. Verum recte monuit *H. A. Schott* in Commentat. I. *de Dei imagine hominibus concessa*, p. 40. not., esse duplicem hujus difficultatis expediendae rationem in promtu; alteram, ut verba מוֹת תָּמוּת cum nonnullis interpretemur: *necessitati moriendi eris obnoxius*, alteram, ut concedamus, Deum, etsi II, 17. nuntiasset, homines, quo die ausi fuissent ab arbore sapientiae fructus depromere, eodem morituros esse, postea tamen, peccato ab hominibus commisso, poenam indictam eo mitigasse, quod vitam eorum ad certum usque terminum diutius produci pateretur; saepius quippe documenta Geneseos exhibere Deum poenam, quam nuntiaverat aut decreverat posthac mitigantem, coërcentem, differentem, cf. XVIII, 26. seqq. XX, 7. XXV, 21.

18. לֹא־טוֹב הֱיוֹת הָאָדָם לְבַדּוֹ *Non est bonum hominem esse solum*, proprie: *separatum eum esse.* Etenim particulam בַּד (utor *Storrii* verbis in *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 314. not.) proprie *nomen* esse, sive *infinitivum* verbi בָּדַד, *separavit*, ex eo etiam apparet, quod frequenter genitivum regit, ut Num. XI, 14. *ego separatione mei* לְבַדִּי, *separato me*, i. e. ego solum, add. Ps. LI, 6.; Genes. XXI, 28. seqq. *quas statuisti separatione earum*, separando eas, i. e. seorsum. אֶעֱשֶׂה־לּוֹ עֵזֶר כְּנֶגְדּוֹ *Faciam ipsi auxilium secundum anteriora ejus*, intellige auxilium tale, quod ad matrimonii usum justam cum viro habeat proportionem. *Anteriora*, נֶגֶד, honeste vocat *pudenda*, quemadmodum Chaldaei et Arabes illa appellare solent קֳבֵל, قُبُل, voce, quae sensu prorsus convenit cum Hebraeo נֶגֶד. עֵזֶר autem denotat h. l. *auxilium* illud, quod ad sobolem propagandam

inter se conferunt conjuges; id quod cognoscitur cum ex orationis serie, tum vero certius adhuc ex Arabum Philologis, qui in Lexicis nomen عُرْسٌ etiam interpretantur نِكَاح, *congressum*, *concubitum*, *debitum conjugale*, ut auctor est *Alb. Schultens*, cui omnino tota haec dictionis nostrae explicatio debetur, in *Animadverss. Philologg.* ad h. l. p. 118. *Operr. minorr.* Aliorum sententias diligenter recensitas atque perpensas invenies in *Gableri* not. 71. ad *Eichhornii Urgeschichte*, T. II. P. II. p. 165. seqq.

19. Hic Versus cum sequente vertendus est in tempore plusquamperfecto, recurrit enim narratio ad ea, quae multo antea facta sunt. Simplicem hanc sententiam, excitasse in homine observationem geminorum in unoquoque animantium genere desiderium ejusmodi animantis, quod sibi simile esset, proponit sub involucro narrationis ejus, quae sequitur, de animalibus ad hominem adductis, ut nomina illis inderet; nec tamen, perlustrato hac ratione toto animalium regno, invenisse inter tot animantium genera quam sibi conjugem adjungeret. Sunt alii, quibus primus sermonis usus hac narratiuncula exponi credibile sit. Nos maxime nitimur commate 18. atque ultimis Versus 20. verbis, quae omnia non obscure innuunt, latere eum, quem ipsi significavimus, sensum sub hoc mytho.

21. Mutuum illud atque vehementissimum viri et feminae desiderium, quod et amorem erga parentes vincit (Vs. 24.), ab ipso rerum omnium auctore utrique sexui alte esse infixum et ingeneratum, quidam allegorica oratione ita expresserat, feminam formatam esse e viri costa, hinc tam ardentem illum stimulare cupidinem, iterum sese conjungendi cum illa, quae initio corporis sui particulam effecerat (וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד). Simili mytho de viro ac femina uno olim corpore conjunctis, sed a Jove postea diremtis, amoris mutui vim Plato declaravit in Συμ-

ποσίῳ (Opp. T. III. p. 191. ed. Steph. Paris. 1588. sive T. X. Opp. Bipontin. ed. p. 205.), ubi haec subiicit: Ἔστι δὲ οὖν ἐκ τόσου ὁ ἔρως ἔμφυτος ἀλλήλων τοῖς ἀθρώποις, καὶ τῆς ἀρχαίας φύσεως συναγωγεὺς, καὶ ἐπιχειρῶν ποιῆσαι ἓν ἐκ δυοῖν, καὶ ἰάσασθαι τὴν φύσιν τὴν ἀνθρωπίνην. *Hinc nimirum ex illo tempore mutuus hominibus innatus est amor, priscae naturae conciliator, annitens unum ex duobus efficere, hominumque naturae mederi.* Quod Deus Adamo, somno sopito, ne dolorem sentiret, costam exemisse narratur, homo autem expergefactus, conspecta femina, exclamasse dicitur, hoc demum esse animal, sibi simile, id aperte est additum fabulae exornandae caussa. Alia ratione hunc locum explicavit *Ziegler* in libro supra ad Vs. 1. laudato, p. 59. seqq. Legendus quoque est *Hug, die mosaische Geschichte des Menschen*, p. 38. seqq.

23. לְזֹאת יִקָּרֵא אִשָּׁה *Propterea vira vocetur.* Quum antea reliquis animalibus nomina imposuerit, huic feminae quoque tale nomen indit, quod cum suo ipso nomine esset conveniens. Simili modo Romani feminas olim *viras* vocabant, ut testatur Festus, unde in posterum *virgo* et *virago* permanebant.

25. וַיִּהְיוּ שְׁנֵיהֶם עֲרוּמִּים הָאָדָם וְאִשְׁתּוֹ וְלֹא יִתְבֹּשָׁשׁוּ *Ambo autem nudi erant, nec tamen propterea erubescebant,* non magis, quam infantes: quibus verbis describitur primorum hominum innocentia atque integritas. Ceterum de vitae simplicitate et nuditate primorum hominum et inter exteros servata est fama. Quid enim aliud aureum seculum poëtarum est, quam descriptio status, quem dicunt, innocentiae? Sic Dicaearchus Peripateticus citatus a *Porphyrio* L. IV. et a *Varrone* (de *Re rustica* L. I. c. 2.) dicit: τοὺς παλαιοὺς καὶ ἐγγὺς θεῶν γεγενότας βελτίστους τε ὄντας φύσει καὶ τὸν ἄριστον ἐζηκότας βίον ὡς χρυσοῦν χρόνος νομίζεσθαι, i. e. *primos illos Diisque proximos mortales, optimae fuisse indolis, vitamque vixisse optimam, unde et auream dici aetatem.* *Diodorus Siculus* L. I. dicit Aegyptios docere: τοὺς οὖν πρώ-

τους τῶν ἀθρώπων, μηδενὸς τῶν πρὸς βίον χρησίμων εὑρημένου ἐπιπόνως διάγειν, γυμνοὺς μὲν ἐσθῆτος ὄντας, οἰκήσεως δὲ καὶ πυρὸς ἀήθεις, τροφῆς δ' ἡμέρου παντελῶς ἀνεννοήτους: *primos homines, cum nihil eorum, quae sunt ad vitam utilia, repertum adhuc esset, vixisse durius: quippe nulla veste amictos, domicilii et ignis insuetos, mansuetioris victus rudes.* *Plato* in Politico: Θεὸς ἔνεμεν αὐτοὺς, αὐτὸς ἐπιστατῶν, καθάπερ νῦν ἄνθρωποι, ζῶον ὂν θειότερον, ἄλλα γένη φαυλότερα αὐτῶν νομεύουσι. Γυμνοὶ δὲ καὶ ἄστρωτοι θυραυλοῦντες τὰ πολλὰ ἐνέμοντο. *Deus eos pascebat, custosque eorum ipse erat, sicut nunc homines, divinius animal, pascunt animalium sequiora. Nudi autem et sine stragulis sub dio plerumque pascebant.*

Cap. III, 1. Sed ex illa primae infantiae felici simplicitate excesserunt generis nostri parentes, cum primum, quae usque adhuc in ipsis dormitabat quasi, ratio (omnium miseriarum fons, vid. supra ad Vs. 17. Cap. praeced.), expergisci coeperit. Quod ipsum cum in homine fieri observatum esset tum, cum e puero egressus, ad eos annos venit, ubi desiderii alterius sexus igniculos sentire incipit; ex vetusti philosophantis poetae mente etiam primi illi mortales perniciosissimo rationis dono non prius affectos se senserunt, quam quis maris esset, quis feminae usus, cognovissent (vid. Vs. 7.). Sed ad hoc ipsum quemadmodum adducti illi fuerint, atque omnino beatissimarum novi orbis dierum infelicem vicissitudinem, exponitur ea, quae sequitur, narratione. Eam constat diversissimas Judaeorum et Christianorum expertam esse interpretationes, quas nemo diligentius recensuit subtiliusque examinavit *Gablero* in Prolegomenis quae praemisit Commentationi Eichhornianae, *die Urgeschichte* inscriptae, et a se editae, Vol. II. Part. 1. p. 137. Veterum Judaeorum et Christianorum interpretamenta prolixius retulit *J. O. Thiess* in *Variarum de Capite tertio Geneseos recte explicando sententiarum Specimine I.* (et unico), Lubec. 1788. in quat. Adde *F. G. J.*

Schelling antiquissimi de prima malorum humanorum origine philosophematis Genes. III. explicandi tentamen criticum et philosophicum, Tubing. 1792. in quat., et *G. A. Teller die aelteste Theodicee, oder Erklaerung der drey ersten Capitel im ersten Buche der vor-Mosaischen Geschichte*, Jen. 1802. in oct. Orditur narratio his verbis: וְהַנָּחָשׁ הָיָה עָרוּם מִכֹּל חַיַּת הַשָּׂדֶה אֲשֶׁר עָשָׂה יְהוָה אֱלֹהִים *Serpens vero omnium bestiarum agri, quas fecit Jehova Deus, callidissima erat.* Calliditas serpentibus adscribitur ob hanc maxime, uti videtur, caussam, quod in pulvere, aut in herba latentes, animalium praetereuntium calces morsu adpetunt, vid. infra Vs. 15. et Cap. XLIX, 17. „Qui haec volunt esse ἐσχηματισμένα, Mosem veluti sibi viam munire ad id, quod dicturus est, de lapsu primorum parentum, insidiosae serpentis naturae prudenter mentione injecta, aiunt. Ita antiquissimos Philosophos, cum Asiaticos, tum Graecos, qui Apologis usi sunt, e brutis petitis, si de fraude dicturi sint, solitos *vulpem* inducere, *callidissimamque ferarum* praefari, aut quidquam de ejus astutia jacere.“ *Cleric.* עָרוּם proprie significat *descalptum, detritum* (uti ex Arabum Philologis multis ostendit Eberard Scheidius ad h. l. pag. 47. seqq.), unde metaphorice usurpatur tam de *nudo*, quam de *longo rerum usu subacto*, et *rebus probe trito* quasi, et *decorticato* homine, qualem Arabes, simili voce, مُجَرَّب, מְגָרַב, h. e. *descalptum, detritum,* vocant; unde et تَجْرِبَة, חַגְרִבָה, *detritio sui*, ipsis dicitur pro longo rerum *usu* et *experientia.* Vide sis loca codicis Hebraei, Proverb. XII, 16. 23. XIII, 16. 1 Sam. XXIII, 22. Proverb. XV, 5. XIX, 25. Hinc porro ad *malignam versutiam improbitatemque callidam* transitus videtur factus; uti et Latini, simili metaphora, *versutum* dixerunt. Hieronymus in *Quaestt.* ad h. l.: „*Arum* Aquila et Theodotio πανοῦργον interpretati sunt, hoc est, *nequam* et *versipellem.* Magis itaque hoc verbo calliditas et ver-

sutia, quam sapientia demonstratur!" Ceterum non fuisse serpentem naturalem, quae Evam seduceret, sed malum daemonem, qui serpentis speciem induisset, etsi non diserte dicat Moses, ne superstitionis ansam praeberet, tamen credibile est innuere voluisse eo quod illam, tanquam ratione praeditam loquentem inducit, et a vetustissimis inde temporibus eam opinionem inter mediae et superioris Asiae populos pervulgatam fuisse, inde apparet, quod in doctrina Zoroastrica Ahriman, malorum geniorum supremus, serpentis specie indutus primos homines ad peccandum seduxisse narratur; vid. *Zendavesta* a Kleukero edit. T. I. p. 25. III, 84. seqq. et librum nostr. *das alte und neue Morgenland*, T. I. No. 11. p. 12. Tradunt quoque Judaei, malorum daemonum principem, quem סַמָּאֵל *Sammaëlem* (i. e. deum s. genium excaecatorem) dicunt, Evam ad peccandum perduxisse, eumque vocant הַנָּחָשׁ הַקַּדְמוֹנִי *serpentem veterem*. Loca e scriptis Hebraeis collegit *Eisenmenger* in opere quod inscripsit: *das entdeckte Judenthum*, Vol. I. p. 822. Consentiunt primi religionis Christianae praecones. Nam in Joannis Apocalypsi legimus XII, 9.: Ὁ *δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλούμενος Διάβολος, καὶ ὁ Σατανᾶς, ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην.* Vid. et XX, 2. Et Paulus Apostolus, 2 Cor. XI. 3. *serpentem* dicit *mulierem calliditate sua decepisse.* Hinc diabolum et Christus vocat Joh. VIII, 44. *ἀνθρωποκτόνον ἀπ᾽ ἀρχῆς*, et auctor libri Sapientiae II, 24. *invidia diaboli mortem ingressam esse in mundum* docet. Pluribus de hac re disputarunt *J. Reinh. Rus* in Dissertat. *de serpente seductore non naturali sed diabolo*, Jen. 1712. (quartum recusa ibid. 1740.), et *Zach. Grapius* in Diss. *de tentatione Evae et Christi a diabolo in assumto corpore facta, contra Balth. Bekkerum* etc., Rostoch. 1712. recusa Viteberg. 1752. וַיֹּאמֶר אֶל־הָאִשָּׁה *Dixitque ad mulierem.* Mulierem potius et prius serpens aggredi fingitur, ob sexus illius levitatem atque infirmitatem. „אַף כִּי, Kimchi et Aben-Esra pro כֹּל שֶׁכֵּן, *quanto magis*, vel *multo magis*

positum accipiunt, ut ante haec verba multi ultro citroque sermones inter serpentem et Evam habiti et collati fuerint. Ab hac expositione non recedo quidem longius ob vocum proprietatem, sed interim cum admiratione et gestu loquentis haec dicta puto: *multo magis*, quod dixerit, tolerari scilicet non potest, etc. Sic recte LXX. *τί ὅτι*; *Quid? quod dixit, Mesme qu'il ait dit.* Interim admiratio vim habet interrogationis, „*Itane verum est, eum dixisse?*" *Mercer.* Aliorum hujus particulae expositiones vide in *Noldii Concordantt. Particull.* p. 95. et p. 787. a. No. 489.

5. Quid significetur dictione נִפְקְחוּ עֵינֵיכֶם *aperientur oculi vestri*, statim declaratur his, quae sequuntur, יֹדְעֵי טוֹב וָרָע *boni et mali scientes*, i. e. prudentes, conf. not. supra ad Cap. II, 9. וִהְיִיתֶם כֵּאלֹהִים, *daemonibusque*, diisve, similes fiatis. Adhuc igitur daemones tantummodo excellenti rationis dono gavisi erant. Cf. 2 Sam. XIV, 17. ubi mulier Thecoitis ita loquens inducitur: כְּמַלְאַךְ הָאֱלֹהִים כֵּן אֲדֹנִי הַמֶּלֶךְ לִשְׁמֹעַ הַטּוֹב וְהָרָע *instar angeli Dei est dominus meus rex, ad intelligendum bonum et malum* Quae repetit Vs. 20. *Dominus meus sapiens est sapientia angeli Dei ad sciendum quidquid est in terra.*

6. כִּי תַאֲוָה־הוּא לָעֵינַיִם *quod esset desiderium*, i. e. delectationi, *oculis*, *eine Lust für die Augen*, ut Mendelides recte vertit. וְנֶחְמָד הָעֵץ לְהַשְׂכִּיל, *arborque adspectu esset jucunda.* הַשְׂכִּיל enim h. l. est *adspicere*, ut Chaldaicum סְכַל, quo significatu reperitur quoque 1 Sam. XXV, 3. וְהָאִשָּׁה טוֹבַת־שֶׂכֶל וִיפַת תֹּאַר, *uxor autem pulchra fuit adspectu atque formosa;* ubi טוֹבַת־שֶׂכֶל significatione prorsus convenit cum יְפַת־מַרְאֶה, *pulchra adspectu*, Genes. XII, 11. Similiter Proverb. III, 4. dicitur de eo, qui favorem et gratiam dei hominumque sibi conciliat, *invenit gratiam et bonum adspectum* בְּעֵינֵי אֱלֹהִים וְאָדָם *in oculis dei et hominum;* ubi שֶׂכֶל idem esse apparet, quod alias מַרְאֶה. Quibus locis addendus est Ps.

XLI, 2. אַשְׁרֵי מַשְׂכִּיל אֶל־דָּל, *felix ille, qui egenum adspicit*, i. e. respicit, illum curat. Quum הִשְׂכִּיל et *intelligentiam habere* denotare constet, sunt, qui vertere malint: *optandam ad comparandam intelligentiam.* Quod et fortasse Graecus Alexandrinus voluit, qui sic vertit: *ὡραῖον τοῦ κατανοῆσαι, speciosam ad intelligendum.*

7. Fructu gustato *πρωτογονοὶ* prudentiam quidem sunt adepti (תִּפָּקַחְנָה עֵינֵי שְׁנֵיהֶם *aperti sunt oculi eorum*), sed ita, ut pristina illa felix simplicitas atque innocentia simul esset amissa. Etenim qui antea sine ulla libidine, adeoque absque omni pudoris sensu, sicut infantes, nudi una fuissent, nunc pravae cupiditatis sentiunt igniculos; ex quo ipso primum cognoverunt, quam perniciosam rem, ratione et prudentia acquisita, essent nacti. Utrumque vero illud, cur hic conjunctum sit, vidimus supra in nota ad Vs. 1. Ceterum, quemadmodum apud Hebraeos primi homines diis sapientiam subduxisse finguntur, ablatis illorum frugibus, maximo suo detrimento, quum hac ipsa re omnium aerumnarum fons fuerit apertus; ita Graecorum antiquissimae fabulae narrant Prometheum, humani generis auctorem, diis ignem furtim surripuisse, instrumentum quippe artium prope omnium, et victus delicatioris: quo mytho non obscure adumbratur vita hominum per artes, igne invento exculta, cum his ipsis autem subeuntibus cupiditatum pestibus, corrupta. Vide *Apollodori Biblioth.* L. I. C. VII. §. 1. p. 24. ed. Heyne, et cf. *J. G. Schützii Excurs. I. in Aeschyli Prometheum vinct.* ad calcem T. I. Aeschyli a se editi, p. 173. seqq. Praeterea veteres Graecos constat amoenam primorum hominum sedem, sive Paradisum, sub Hesperidum hortis, ad Oceanum borealem sitis, descripsisse, qui feraces essent aureis malis a dracone sive serpente custoditis, de quibus Hercules quaedam decerpserit. Exstat quidam Antonini Pii numus, ab *Ezech. Spanhemio* in Notis ad Callimachum p. 670. productus, in quo conspicitur Hercules mala aurea ex arbore decerpens; visitur etiam serpens, Ladon dictus, ex arbore pendens

et mala illa custodiens; arbori adstant Nymphae Hesperides. Ad quem mythum illustrandum Spanhemius hos attulit Versus Apollonii Rhodii *Argonaut.* IV, 1396. seqq.

— — — — ᾧ ἔνι Λάδων
Εἰσέτι που χθιζὸν παγχρύσεα ῥύετο μῆλα,
Χώρῳ ἐν Ἄτλαντος, χθόνιος ὄφις, ἀμφὶ δὲ Νύμφαι
Ἑσπερίδες ποιπνύον, ἐφίμερον ἀείδουσαι.

In quo campo Ladon ad hesternam usque diem aurea custodiebat mala, in Atlantis regione, terrestris serpens, cui Nymphae Hesperides ministrabant, suavissime concinentes. Cf. *J. G. Hasse Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- und Menschengeschichte,* P. I. p. 194. seqq. Sed haud minus notatu dignum est hieroglyphicum quoddam monumentum, quod inter ruinas veterum Thebarum detexit *F. L. Norden,* doctus Danus (Aegyptum invisit a. 1737.), descripsitque non tantum in itinerum suorum Commentariis, sermone franco-gallico scriptis, T. II. p. 125. edit. Paris. 1795. 4., verum et delineatum in tabula aeri incisa LVIII. repraesentavit, memorabile ipsi ideo visum, quod ad lapsum primorum hominum illud referendum putaret. *Si je ne me trompe,* inquit, *il y est fait allusion à la chûte d'Adam et Eve. On y a représenté un arbre verd, à la droite duquel est un homme assis, tenant à la main droite quelque instrument dont il semble vouloir se défendre contre une petite figure ovale couverte de caracteres hieroglyphiques, que lui présente une femme qui est debout à la gauche de l'arbre, pendant que de l'autre main il accepte ce qui lui est présenté. Derriere l'homme paroît une figure debout, la tête couverte d'une mitre, et qui lui tend la main.* Fuere, qui omnem hanc Mosaicam de origine mali narrationem e monumento figuris hieroglyphicis inscripto haustam existimarent, ut Parens meus in Commentatione Repertorio Eichhorniano Literat. bibl. et oriental. P. V. p. 158. seqq. inserta (*Erklärung der Geschichte vom Sündenfall von D. Joh. Geo. Rosenmüller*), *Guil. Frid. Hezel über die Quellen der Mo-*

saischen Urgeschichte, Lemgo, 1780. p. 61. seqq., et *N. Gamqorg* in libro quem inscripsit: *Nysa, oder philosophisch-historische Abhandl. über Gen. II. III.*, Eleutheropolis, 1790. Quorum virorum doctorum sententias accurate exposuit subtiliterque examinavit *Gabler* in Prolegomenis Archaeologiae Eichhornianae (*Urgeschichte*) a se editae praemissis P. II. Vol. 1. p. 288. seqq. Sed redeamus ad scriptorem Hebraeum, qui ita pergit: וַיִּתְפְּרוּ עֲלֵה תְאֵנָה וַיַּעֲשׂוּ לָהֶם חֲגֹרֹת *Et aptarunt frondes ficulneas, sibique subligacula confecerunt.* Significantur vestimentorum, primi omnium artificii, primordia. „Verbum תָּפַר, uti rectissime monet *Gatacker* in *Adversarr. Miscellann.* L. II. Cap. III. p. 278., notat *applicare, complicare, aptare.* Ita jam praeiverat Syrus interpres, reddens דַּבְּקוּ, *adhaerere fecerunt, adaptarunt;* potestque haec significatio firmari adhuc e dialecto Arabica; quippe in qua verbum ثفر in X. Specie, docente *Geuhario*, de vestimento dicitur, cujus partem extremam aliquis ردّ بين رجليه الى حجزته, *inter crura ad sinum, sive ad ventrem, attrahit,* atque adeo corpori *aptat.*" *Scheid.* תְּאֵנָה esse *ficum*, multis probavit *Ol. Celsius* in *Hierobot.* P. II. p. 368., ubi et de nostri loci variis interpretationibus egit p. 398. seq.

8. וַיִּשְׁמְעוּ אֶת־קוֹל יְהוָה אֱלֹהִים מִתְהַלֵּךְ בַּגָּן לְרוּחַ הַיּוֹם *Tum audiverunt vocem Jovae Dei gradientis per hortum ad auram diei.* „Nomen קוֹל ambiguum est, *vocem* enim *loquentis*, et *strepitum* quemvis significat. Pro locorum circumstantiis rerumque natura alterutra eligenda est significatio. Quum autem nulla Dei referantur verba, quibus eum adventare intellexerunt primi parentes, antequam Adamum nomine appellaret, videtur hic designari strepitus nescio quis Dei adventantis praenuntius, cujus meminit alibi Scriptura. Sic 1 Reg. XIX, 12. post ventum procellosum atque presterem *sonus tenuis et lenis* (קוֹל דְּמָמָה דַקָּה) Deum adesse significat. Ex *sonitu* quasi *gressus* in mororum cacuminibus Deum adesse intellexit

etiam David, 2 Sam. V, 24." *Cleric.* Pluribus de hac re egit *Gablerus* ad Eichhorn. T. II. P. II. p. 216. seqq. רוּחַ הַיּוֹם *Spiramentum*, sive *respiramentum diei* est *vespera*, quae quidem simili dictione עַד שֶׁיָּפוּחַ הַיּוֹם, *usque dies refrigerat*, innuitur Cant. II, 16. Etenim in Orientis regionibus aliquot horis ante solis occasum ventus oritur, auras refrigerans, qui per totam noctem flare solet; vid. *Chardin Voyages en Perse*, T. III. p. 282. edit. Langles. Oppositum est חֹם הַיּוֹם, *aestus diei*, infra Cap. XVIII, 1. Alias interpretationes vid. in *Nic. Fulleri Miscell. SS.* L. III. Cap. 5.

14. Mutuum illud serpentum hominumque odium noster repetit de serpente ea, quae maligna versutia homines induxit, ut prudentiam, ita sibi damnosam, diis surriperent; ut animal illud prima quasi caussa dici posset tot miseriarum, quibus humanum genus premitur. Non sunt praetermittenda, quae in hunc et seq Versum monuit *Ammon*, Vir S. R., in libro, qui inscribitur: *Entwurf einer Christologie des Alten Testaments*, p. 17. seq., qui et aliorum interpretationes expendit. אָרוּר אַתָּה מִכָּל־הַבְּהֵמָה וּמִכֹּל חַיַּת הַשָּׂדֶה *Maledictus eris prae omni pecude et prae omni fera agri.* אָרוּר *Maledictus* dicitur tum ille, quem diris atque imprecationibus alii prosequuntur, tum is, cui aliquid mali, ob eas preces, evenit. Quod utrumque Moses hoc loco spectare videtur, ut verborum hic sit sensus: nullum erit brutum, seu inter domestica, seu inter fera, quod magis homines horreant, dictisque abominentur, et exitialiori prosequantur bello. מִכֹּל vetus Latinus interpres vertit *inter omnes*, et potest מִן subinde Latine ita reddi, vid. e. c. 1 Chron. XI, 21. 25. Magis tamen consentaneum videtur, eam Particulam hic pro *prae, magis quam*, capere, quomodo Hebraeos Comparativum exprimere constat. Quod verba proxima attinet, עַל־גְּחֹנְךָ תֵלֵךְ *super ventre tuo gradieris*, duae sunt potissimae de iis sententiae. Aliis, inter quos Josephus *Archaeol.* L. I. Cap. 1. §. 4. et nonnulli recentiores Hebraei, videtur Deus serpentem *ποδῶν ἀποστερήσας σύρεσθαι*

κατὰ τῆς γῆς ἰλυσπώμενον, pedibus privatum volutatum in pulvere sese trahere jussisse. Nec sane, si hoc in animo habuisset Moses, id multo aliter exprimere potuisset. Similter Ovidius *Metamorph.* IV, 578. de Cadmo in anguem mutato dicit: *In pectusque cadit pronus.* Alii vero in natura serpentis quidquam mutatum esse verisimile esse negant. Quod erat naturae cessisse, ex mente scriptoris, in poenam contendunt. וְעָפָר תֹּאכַל כָּל־יְמֵי חַיֶּיךָ *Pulveremque comedes omnibus vitae tuae diebus.* Serpenti pulvis assignatur in cibum (conf. Esaj. LXV, 25. et Mich. VII, 17.), non quod vescatur solo pulvere, sed quia, cum humi repat, non potest quin pulverem in os cum aliis cibis simul ingerat. Ita David in luctu queritur, se comedisse cinerem sicut panem Ps. CII. 10., quia pronus in cinere jacens, pane in terram projecto vescebatur.

15. Quemadmodum זֶרַע הַנָּחָשׁ, *proles serpentis*, totum serpentum genus indicat, ita זֶרַע הָאִשָּׁה est *omne genus humanum.* Jobi XIV, 1. XV, 14. XXV, 4. homines dicuntur יְלוּדֵי אִשָּׁה *nati mulieris*, *γεννητοὶ γυναικῶν*, Matth. XI, 11. Veteres Judaei nonnulli, inter quos Paraphrastae Chaldaei, Jonathan et Hierosolymitanus, *semen mulieres* Judaeos interpretantur, qui temporibus Messiae vim Sammaëlis, sive angeli mortis (vid. supra ad Vs. 1.), amplius non timebant, auxilio nimirum Messiae et Dei. Huc respexisse videtur Paulus Rom. XVI, 20., qui hoc promisso Christianos suos aevi his verbis solatur: *Deus pacis conteret Satanam brevi sub pedibus vestris.* Unde factum, quod plures inter Christianos interpretes *semine mulieris* ipsum Messiam intelligendum putarent, qui, ut 1 Joa. III, 8. dicitur, apparuit, *ut dissolveret opera diaboli*, serpentis antiqui (vid. ad Vs. 1.), atque hinc locum hunc *protevangelium*, sive vaticinium omnium primum de futuro generis humani salvatore, nuncuparent. Quod sequitur הוּא non dubium est referendum esse ad זֶרַע, constructione etiam sequentium vocabulorum hoc postulante, quum Verbum יְשׁוּפְךָ mascu-

lini sit generis. Ita etiam in suo codice legit Graecus Alexandrinus interpres, qui habet: *αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν*, *observabit tuum caput* (nisi fortasse cum Theophylacto legendum sit *αὐτό σου*, nam *σπέρμα* antecessit, ut *σ* e voce sequente praecedenti adnexum sit). Eodem modo legitur in codice Samaritano, in quo librarii error eo minus esse potest, quo minus *Vau* et *Jod* in vetere illo Hebraico charactere adfinia sunt. Sed in Latinae Vulgatae libris editis habetur *ipsa*, quasi in Hebraeo הִיא esset, quod defendunt Romanae ecclesiae asseclae, quia inde sibi videntur *mulieris*, hoc est Mariae virginis, matris servatoris, honorem augere. Attamen variant ipsius veteris versionis latinae codices, pluribus *ipse* exhibentibus, quod et Augustinum et Cyprianum legisse fatetur Lucas Brugensis in suis ad sacra Biblia adnotationibus h. l. Utrumque igitur genus, hominum et serpentum, *mutuas sibi insidias struet*, id quod verbo שׁוּף declaratur, cujus significationem Arabica pandit dialectus. ساف proprie denotat *odorari*, *odoratu rem aliquam investigare*, sive *auram trahere ad vestigandum captandumque*, quo sensu de *venatoribus* usurpatur, qui hac ratione in desertis ferarum lustra solent pervestigare. Ita Scholiastes ad Anthologiam Hudeilitarum, ab *Alb. Schultens* excerptus in *Commentar.* in Job. V, 5. P. I. p. 138. b. ساف وحشا صاد واصل السوف الشمّ وذلك ان الصايد انّما يصيد بالشمّ. *Verbum* שׁוּף *significat: venatus fuit feram; origo autem sita est in odore attracto; quandoquidem venator auram trahendo venationem exercet.* Hinc *observare*, si qua nocendi detur occasio, *insidiari* denotat. Similiter Ammianus Marcellinus Lib. XV. Cap. 2. *Ut enim subterraneus serpens foramen subsidens occultum, adsultu subito singulos transitores* o b s e r v a n s *incessit; ita ille ab imae sortis gregario ad summum evectus militiae munus, inexplebili quodam laedendi proposito conscientiam polluebat.* Sensus igitur verborum

hebraicorum hic erit: vos invicem observabitis, illud (humanum genus), ut conterat tibi caput, tu, ut talum, quo te conculcabit, mordeas. Ita non solum Alexandrinus: *αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν, καὶ συ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν*, verum et Onkelos: הוּא יְהֵי דְכִיר לָךְ מַה דַּעֲבַדְתְּ לֵיהּ מִלְּקַדְמִין וְאַתְּ תְּהֵא נָטַר לֵיהּ לְסוֹפָא *ille memor tibi erit ejus quod fecisti ei a principio et tu observabis ei in finem*, quasi *caput* initium, *calcaneus* finem designaret, quod minime probandum. Plures interpretes Verbum שׁוּף capiunt hic *conterendi* significatu, quem apud Chaldaeos obtinet (cf. not. ad Ps. CXXXIX, 11.). Eum si hoc loco adsciscas, erit Verbum primo quidem sensu nativo, deinde minus proprio usurpatum. Nam si quis aut gradiendo, aut telo serpentem opprimere nititur, ei caput revera conterit; at serpens talum mordens eum *conterere* dici non potest, nisi *καταχρηστικῶς*. Aliorum interpretationes verbi vexatissimi qui scire cupit, evolvat *Gablerum* ad Eichhorn. T. II. P. I. p. 190. seqq. et P. II. p. 282. seqq. Ceterum homo dicitur h. l. *capiti* serpentis insidiari, quia ab iis qui serpentem occidere volunt, caput potissimum petitur, cum quia eo contrito certo interit, cauda vero resecta vivit, tum quia si cauda prematur, caput reflexum, in quo solo venenum est, mordet. Serpens vero hominis *calcaneum* adpediturus dicitur, quia ab eo conculcatus pedem tantum aut tibiam, imo si prope caput prematur, talum dumtaxat morsu adpetere valet.

16. Simili ratione, ut antea factum est in serpente (cf. not. ad Vs. 14.), quae cuique sexui natura tribuit incommoda, hic vertuntur in humanae temeritatis poenam. הַרְבָּה אַרְבֶּה עִצְּבוֹנֵךְ וְהֵרֹנֵךְ „*Multiplicando multiplicabo dolorem et conceptum tuum*, ἓν διὰ δυοῖν, pro, *dolorem conceptus tui. Dolores* autem *conceptus* videntur dici fastidia, aliaque incommoda, quibus obnoxiae sunt post eonceptum mulieres.“ *Cleric.* וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ *Et ad maritum tuum appetitus tuus*, h. e. *maritum tuum*, etiam post durissimos istos puerperii dolores, *appe-*

tes denuo, ejusque *συνουσίαν* flagranter desiderabis. Verbum שׁוּק, docente Arabico شاق, proprie notat *pellere, impellere*. unde الشوق, teste Gehario, idem est, ac نزاع النفس الي الشي, *impulsio, commotio ad aliquam rem*, ejus cupiditas. „Addendum adhuc, *appetitus* illam notionem hoc in Verbo ab Arabibus potissimum traduci ad *appetitum libidinosum*, ut apparet tam e Fhiruzabadio, qui شوق, inter alia esse ait حركة الهوي, *amoris impulsum*; quam e Meidanensi, qui dictum explicans ancillae cujusdam Arabicae, *cum plane jam vinceret illam*, inquit, الشوق, השוק, h. e amoris impetus desideriumque, quo amicum expetebat." *Scheid.* Eodem hoc significatu vocabulum תְּשׁוּקָה reperitur Cantic. VII, 11. Graecus Alexandrinus vertit *ἡ ἀποστροφή σου conversio tua*, non quod תְּשׁוּבָתֵךְ legit, uti nonnulli conjecerunt, sed quod תְּשׁוּקָתֵךְ eodem, quo Aben-Esra sensu sumsit, pro מִשְׁמַעְתֵּךְ *obedientia tua;* qui enim sub alicujus potestate est, vultum semper ad eum convertit, ut ejus imperia exspectet, ut Ps. CXXIII, 2. *oculi servorum* dicuntur esse *ad heros suos*.

17. אֲרוּרָה *Maledicta* erit, h. e. minuetur ejus fertilitas, adeo ut quae sponte antea edebat tellus, ea sine labore humano, eoque non levi, non sint proventura; majori cum molestia, quam olim in Paradiso, fructus terrae ab homine erunt parandi. Notum est, Poetas de seculo aureo paria dixisse iis, quae hic innuuntur. Instar omnium erit Hesiodus:

— — Καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον,

Fructum ferebat fertilis terra sponte multum et copiosum, ἐν Ἔργοις Vs. 117. Conf. *Virgilium Georgic.* I, 125. seqq. et *Eclog.* IV. Vs. 39. seqq., nec non *Ovidium*, *Metamorphos.* L. I. Vs. 136. seqq. Iidem etiam mutationem in deterius postea factam, haud multo aliter, ac Moses, describunt. Pro בַּעֲבוּרֶךָ *propter te* Graecus Alexandrinus posuit ἐν τοῖς ἔργοις σου, quasi בַּעֲבֹדֶךָ legis-

set, ad verbum: *ἐν τῷ ἐργάζεσθαί σε, cum illam coles;* sensu quidem haud spernendo, minime tamen necessario. בְּעִצָּבוֹן תֹּאכְלֶנָּה *Cum dolore eam,* fructus ejus, *comedes,* h. e. sine molesto labore e terra, quod tibi necesse est, non proveniet. Vide Poetas modo laudatos, quibus adjungas *Platonem* in *Politico,* qui de victu hominum non absimili modo: *καρποὺς δ' ἀφθόνους εἶχον ἀπό τε δρυῶν καὶ πολλῆς ὕλης ἄλλης, οὐχ' ὑπὸ γεοργίας φυομένους, ἀλλ' αὐτομάτης ἀναδιδούσης τῆς γῆς. Γυμνοὶ δὲ καὶ ἄστρωτοι θυραυλοῦντες τὰ πολλὰ ἐνέμοντο: fructus autem uberes et copiosos habebant, cum ex quercubus, tum ex alia sylva, non ex agri cultura nascentes, quos terra sponte sua edebat. Nudi autem et sine stragulis magnam partem vitae sub dio degebant.* Postea dicit *αὐτομάτης τροφῆς ἀπολελοιπυίας* homines sibi consulere ipsos oportuisse.

18. וְקוֹץ וְדַרְדַּר תַּצְמִיחַ לָךְ וְאָכַלְתָּ אֶת־עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה *Spinam et tribulum tibi proferet, et agri herbis vesceris,* h. e. nisi diligenter terram colas, ex ea vepreta, atque herbae inutiles pro frugiferis arboribus, et salubribus herbis nascentur. דַּרְדַּר generale nomen est herbae, quae non seritur curaturve, et quae nascitur, ubi nemo agrum colit (Germanice *Unkraut*). אֶת־עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה *herbis agri,* i. e. frumento et oleribus, quae nonnisi laboriosa cultura e terra proveniunt, non fructibus arborum Paradisi, sine molesto labore hominum provenientibus, vesceris.

19. בְּזֵעַת אַפֶּיךָ תֹּאכַל לֶחֶם *Cum vultus tui sudore victum tibi comparabis.* בְּזֵעַת proprie *cum sudore,* i. e. cum multa molestia, majori labore, quam antea in Paradiso. לֶחֶם, *victum quemvis* haud raro significat, ut Ps. CXXXVI, 25. כִּי־עָפָר אַתָּה וְאֶל־עָפָר תָּשׁוּב *Nam pulvis es, atque in pulverem redibis.* Haud absimiliter *Homerus* Iliad. VII, 99.

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

Atque Euripides, cujus verba ita transtulit Cicero, Tuscul. III.

Reddenda est terra terrae. tum vita omnibus
Metenda ut fruges, sic jubet necessitas.

20. Quum primae mulieri nomen esset tribuendum, excogitavit is, cui haec de rebus antiquissimis *φιλοσοφούμενα* debentur, nomen חַוָּה, cujus explicationem mox ipse subjicit: כִּי הִוא הָיְתָה אֵם כָּל־חָי *nam ea erat mater omnium qui vivunt.* Erat itaque חַוָּה scriptori idem quod חָיָה *vixit*, ut הָוָה idem quod הָיָה *fuit*, Vau enim et Jod, ut notat Aben-Esra, מתחלפים *inter se permutantur.* Ac, ut idem etiam monet, ideo nomen primae mulieris cum *Vau* potius, quam cum *Jod* scribitur, ut discrimen esset inter illud, et חַיָּה quod *vitam* atque *animal* significat. Ceterum conf. *Gablerum* ad Eichhorn. T. II. P. I. p. 606. not. 22. et T. II. P. II. p. 298. not. 109.

21. Ulteriores artificii vestium progressus. Quum antea homines ipsi solia tantummodo adhibuissent (supra Vs. 7.), *Deus* nunc e pellibus vestes conficere ipsos docet, quae ad frigus aliaque incommoda arcenda magis essent accommodatae.

22. Quum hominum temeritas jam rapuerit sibi unum eorum, quibus divina natura antecellebat, *sapientiam*, praevidendum est, ne, gustatu fructuum arboris vitalis, alterum etiam, *immortalitatem*, nobis subducant. Manifestum est, Deum, dum prima pluralitatis persona loquitur, sibi conjungere ceteros daemones, אֱלֹהִים, conf. supra ad Vs. 2. Verba הָיָה כְּאַחַד מִמֶּנּוּ, non sunt vertenda, *fuit sicut nostrum unus*, sed *factus est sicut nos.* הָיָה enim, ubi conjungitur cum כ similitudinis, semper *fieri* significat. Veluti Num. XVII, 5. *Ne forte* יִהְיֶה כְקֹרַח וְכַעֲדָתוֹ *fiat instar Corachi, hujusque coetus.* Deut. VI, 26. וְהָיִיתָ חֵרֶם כָּמֹהוּ *et fias anathema ut ille.* 1 Sam. XXV, 26. *Jam vero* יִהְיוּ כְנָבָל *Nabalis instar fiant hostes tui.* Ps. XXXV, 5. יִהְיוּ כְּמֹץ, *fiant glumae instar.* Plura exempla adduxit Scheidius ad h. l. וְעַתָּה פֶּן־יִשְׁלַח יָדוֹ וְלָקַח גַּם מֵעֵץ הַחַיִּים וְאָכַל *Nunc ergo ne extendat manum suam et capiat quoque de arbore vitae et comedat.*

E quibus verbis patet, de fructibus arboris vitae tunc nondum gustasse primos parentes, licet esus eorum ipsis interdictus non esset, vid. II. 16. 17. Aliter quidem statuit *H. A. Schott* in Commentat. I. *de imagine Dei hominibus concessa* p. 38. seqq., qui Particulam גַּם h. l. *porro, amplius* vertendam censet, quod sequutus est quoque in Pentateucho a se et Winzero, V. S. V. latine verso. Verum nullo idoneo testimonio probari potest, גַּם valere *amplius, porro*, quem significatum potius עוֹד obtinet. Videtur ex mente scriptoris *arbor vitae* ad id destinata fuisse, ut homines, si interdictum de non gustandis fructibus arboris prudentiae servassent, exacto longiore vitae spatio debilitatas vires esu fructuum illius arboris subinde recrearent, et sic vitam in perpetuum conservarent. Quum vero longam annorum seriem vivendo tum nondum exegissent, nec fructibus arboris vitae uti necesse ipsis fuerat.

23. לַעֲבֹד אֶת־הָאֲדָמָה *Ad colendam terram*, majori labore, quam antea; nam gravior multo labor est, in inculta terra novos fructus serere, eosque colere, quam ex terra culta fructus feliciter provenientes colligere, et consitas atque adultas arbores curare. Vid. not. ad Vs. 17. Ceterum hanc commutationem conditionis primorum hominum, ad nostri philosophematis rationem, nemo melius pulchriusque exposuit *Frider. Schillero* in singulari Commentatione hac insignita epigraphe: *Etwas über die erste Menschengesellschaft nach dem Leitfaden der mosaischen Urkunde*, capite primo, quod inscribitur: *Uebergang des Menschen zur Freyheit und Humanität.* Extat praestantissima haec disputatio in ejus *Operibus minoribus prosaicis (kleinere prosaische Schriften)*, Lips. 1792. P. I. p. 346. seqq.

24. Est in Babylonia campus interdiu flagrans, *Plinio* memoratus *Hist. Nat.* L. II. c. 19. §. 109., et in eadem Babylonia tractus naphtae plenus, cui magna ignium cognatio, ut praecedente capite dixerat idem Plinius.

Curtius L. V. C. I. §. 16. iisdem in locis cavernae meminit ingentem vim bituminis effundentem. Id bituminis genus ignis rapidissimum Naphta vocabant Babylonii, de quo vide Strabon. Lib. XVI. p. 1078. ed. Almelov. Multa de eo Plutarchus in vita Alexandri c. 35., haec inter alia: Οὕτω δὲ εὐπαθὴς πρὸς τὸ πῦρ ἐστιν, ὥστε πρὶν ἢ θίγειν τὴν φλόγα, δι' αὐτῆς τῆς περὶ τὸ φῶς ἐξαπτομένης αὐγῆς τὸν μεταξὺ πολλάκις ἀέρα συνεκκαίοι. *Ita autem igni cognatum est, ut saepe, cum flammam non attigerit, concepto tantum lucis splendore vicinum aerem accendat.* Addit: καὶ γὰρ ἐστὶν ἡ Βαβυλωνία σφόδρα πυρώδης, ὥστε τὰς μὲν κριθὰς χαμόθεν ἐκπηδᾶν καὶ ἀποπάλλεσθαι πολλάκις, οἷα δὲ ὑπὸ φλεγμονῆς τῶν τόπων σφυγμοὺς ἐχόντων. *Adeo ignita est omnis Babylonia, ut hordeum saepe de terra exiliat atque evibretur, locis illis scilicet ob internum ardorem pulsus quosdam patientibus.* Quod ipsum ansam videtur dedisse huic, quod hic narratur, figmento, de Cherubis, aditum Paradisi ensibus flammas vibrantibus custodientibus. Etenim in regionibus, Babyloniae confinibus, ab Hebraeis poni primorum hominum sedem, vidimus supra ad Cap. II, 8. *Cherubinorum* (i. e. *fortium*, coll. Syr. ܟܪܘܒܐ, *potens, magnus,* et ܟܪܘܒܘܬܐ, *vis, fortitudo,* unde postea ad *tauros* significandos adhibitum) ficta figura, ex humana, bovina, leonina, atque aquilina composita (vid. Ezech. I, 10. et cf. Apoc. IV, 6. 7.), in arcana antiquissimorum Aegyptiorum disciplina, e qua Moses illam transtulit ad Hebraeorum sacra, symbolum videtur fuisse divinae naturae, ita ut per *leonem* significetur robur, generositas, majestas Dei, per *bovem* constantia atque firmitas, per *hominem* humanitas, lenitas, φιλανθρωπία, per *aquilam* naturae coelestis vigor et sublimitas. Hujusmodi enim divini numinis symbola in Aegyptiorum religione usitata fuisse, satis evicit *Spencerus*, qui omnino de hac re est consulendus, *de legibus Hebraeorum ritualibus*, L. III. Diss. V. Cap. III. seqq. p. 231. seqq. ed. Hag. Cf. not. ad Ezech. I, 10. Postea vero a vulgo, cui illius symboli interior significatio ignota esset, ea

species tributa est daemonibus, sive naturis, hominibus fortioribus atque augustioribus, quibus summum numen tanquam ministris uteretur. *J. D. Michaelis* in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* No. 1212. כְּרוּבִים putat esse animalia sphingica, tonanti Dei currui juncta, unde locum nostrum ita accipit: *hic currum tonantem et flammam gladii vibrati collocavit,* i. e. tonitru et fulminum jactu mortales, quoties propius ad illa loca accederent, terruit et repressit. Id quod magis gentium septentrionis mythologiam sapit. Plura egregie de כְּרוּבִים monuit *Gabler* ad Eichhorn. T. II. P. I. p. 234. seqq. nott., ubi et aliorum sententias recenset atque expendit.

Cap. IV, 1. Sequitur narratio de primo homicidio, invidia atque malevolentia commissa. Peioris aevi initium, quale describit *Ovidius*, *Metam.* L. I, 128. seqq.

Protinus irrumpit venae peioris in aevum
Omne nefas: fugere pudor, verumque fidesque,
In quorum subiere locum fraudesque, dolique
Insidiaeque et vis, et amor sceleratus habendi.
Victa jacet pietas; et virgo caede madentes
Ultima coelestum terras astrea reliquit.

Cum ea, quam hic dabimus, interpretatione grammatica, sunt conferenda, quae monuit Auctor libri, qui inscriptus est: *die ältesten Urkunden der Hebräer im ersten Buche Mosis,* p. 115. seqq.; *Hug die mosaische Geschichte des Menschen,* p. 72. seqq.; *Schiller* in Commentat. supra ad Cap. III, 23. laud. p. 361—368. *Operr. minorr.* *P. Buttmann über die mythische Periode von Kain bis zur Sündfluth* in *der Berliner Monatsschrift, März, 1811.* וְהָאָדָם יָדַע אֶת־חַוָּה אִשְׁתּוֹ וַתַּהַר וַתֵּלֶד אֶת־קַיִן *Posthac Eva ex Adamo gravida facta, peperit Cainum.* יָדַע apud Hebraeos, ut γιγώσκειν et *cognoscere* apud Graecos et Latinos, interdum liberis procreandis operam dare significat, ut h. l. קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָֹה *Virum acquisivi cum Jova,* i. e. Jova opitulante, σὺν θεῷ. Sic 1 Sam. XIV, 45. כִּי־עִם־יְהוָֹה עָשָׂה *nam cum Jova fecit,*

i. e. Dei ope usus, Deo favente et opitulante. Eodem sensu *oi* LXX et Vulg. διὰ τοῦ Θεοῦ, *per Deum.* Ex hac itaque explicatione קַיִן idem esset, ac si Graece dixeris Κτησίαν, aut Ἐπίκτητον, quasi hac possessione mater se ditiorem esse credidisset. Simili modo Ps. CXXVII, 3. filii dicuntur נַחֲלַת יְהוָה *haereditas Jovae*, i. e. peculium a Jova concessum. Alii a *possessione*, sive *acquisitione* nomen inditum putant illi, qui primus inter homines certae agri glebae ita se addixit, ut eam coleret, aptamque redderet, quae fructus ederet ad victum sibi necessarios. Esse autem inde ab eo tempore, quo singuli certos terrae tractus, quos possiderent, sibi assignare coeperint, simul etiam avaritiam habendique amorem, inimicitiarum semina, invecta, idem ille declarare haud dubie voluit eo, quod primum, qui agriculturam exercuit, eundem fingeret et primum, qui caedem fecerit. Hic autem philosophantis cujusdam mythus succedente tempore vario modo ita videtur esse auctus atque exornatus, ut rei vere gestae narrationis speciem indueret. Ceterum nomen קַיִן hic a קָנָה deducitur, contra analogiam, ex qua potius a קין deducendum esset (ut צַיִר a צור) quod tamen in *Pohel* est *lamentari*. Sed occurrunt plures aliae hujusmodi duriores etymologiae in hoc libro, vid. e. c. infra V, 29. Nec repudianda est *J. A. Danzii* sententia in Dissert. *Caini nomen vindicatum* Jen. 1680. (repet. in *Thesauro theolog. philolog.* T. I. p. 123. seqq.), fuisse Verbis קָנָה et קין communem *possidendi* significatum, quemadmodum דוּחַ et דָּחָה, בוז et בָּזָה, שׁוּחַ et שָׁחָה significationes communes habent.

2. *Deinde iterum fratrem ejus Habelem peperit; is quidem opilio, Cain autem agricola fuit.* הֶבֶל, *vanitatis* nomen, huic tribuitur, quod *evanuit* quasi, et a fratre peremtus nullam a se reliquit sobolem. צֹאן proprie quidem minores pecudes, seu *oves* et *capras* significat; sed videtur hic pro quibusvis pecudibus sumi. Sunt autem agricolatio et pecudum cura duo antiquissima vitae genera, quum sint omnium maxime necessaria et simpli-

cissima, Sic *Dicaearchus*, a Porphyrio L. IV. §. 2. *de abstinentia* laudatus, veterem vitam Graeciae incolarum describens, prisci illi, inquit, neque terram coluerunt, neque carnes comederunt, sed fructibus terrae sponte natis contenti fuerunt: ὕστερον ὁ νομαδικὸς εἰσῆλθε βίος· — προϊόντος δὲ κατὰ μικρὸν οὕτω τοῦ χρόνου, — εἰς τὸ τρίτον τε καὶ γεωργικὸν ἐνέπεσον εἶδος. Et qui recentioribus temporibus navigationes et itinera per orbem terrarum instituerunt, narrant, eas gentes, quae nondum ex ruditate exierint, venatibus vivere; apud eas autem, quae primam ruditatem deposuerint, agi vitam pastoritiam; cultiores his eas esse, apud quas agricultura exerceretur.

3. מִקֵּץ יָמִים, proprie *a fine dierum*, plerique vertunt *post plures dies;* parum commode profecto, quum nihil quod antea factum esset praecesserit. Sed יָמִים haud raro, maxime si absolute ponitur, *annum* significare constat. Exemplum evidens cumprimis est Levit. XXV, 29.: יָמִים תִּהְיֶה גְאֻלָּתוֹ *redemtio ejus* (domus venditae) *erit dies*, quos ad anni mensuram extendunt et limitant praecedentia, עַד־תֹּם שְׁנַת מִמְכָּרוֹ *donec absolvatur annus venditionis ejus,* et quae adduntur, עַד־מְלֹאת לוֹ שָׁנָה תְמִימָה *donec compleatur ei annus integer.* Adde Num. IX, 22., ubi tempora longiora per gradus ponit noctem, νυχθήμερον, biduum, mensem, יָמִים *dies*, qui proinde sunt *annus.* Alia exempla notat *Bochartus Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. 10. p. 505. Nonnulli volunt hic spectari sacrificium quoddam solemne, quod anno desinente celebraretur, et cujus observatio Mosaica lege denuo sancita sit; sed hoc parum verisimile est. Quod addit, Cainum obtulisse מִפְּרִי הָאֲדָמָה *de fructibus terrae*, videtur innuere, obiter illos, et ut ad manum venerint, non de adipibus, nec de primitiis frugum obtulisse (ut Abel, Vs. 4.), sed de rereliquiis anno completo, quae erat causa, cur ejus oblatio Deo minus grata esset, Vs. 5. Sacrificiorum originem cum nonnullis interpretibus a Dei jussu repetere opus non est. Nam homines etiam sponte sua gratum animum erga Deum oblatione earum rerum, quae eis carissimae

fuerunt, ostendere potuerunt. Cf. librum nostrum *das alte und neue Morgenland*, T. I. No. 14. p. 16. מִנְחָה a radice מָנַח *donavit*, est proprie *donum*, *oblatio*, deinde speciatim de dono Deo oblato, id est, *sacrificio* dicitur.

4. *Idem etiam fecit Abel, et obtulit de adipe pecudum suarum; cujus munera Deus sibi accepta esse significavit.* מִבְּכֹרוֹת צֹאנוֹ וּמֵחֶלְבֵהֶן *De primogenitis pecudum suarum, et de adipe earum;* quae loquutio ἓν διὰ δυοῖν esse videtur, ut sensus sit: *de adipe, aut de lacte primogenitarum pecudum.* חֵלֶב enim de omni *pinguedine* dicitur, et modo *adipem*, modo *lac* significat; posteriori significatione LXX. verterunt. Quia κρεοφαγία ante diluvium ignota fuisse videtur, Grotius censet, victimas nullas tum fuisse mactatas, cum Deo nihil sacrari soleat, nisi quod in usu hominum sit; ideo sub *primo genitis* Deo ab Abele oblatis *lanam ovium* eximiae magnitudinis ac formae, sub חֵלֶב vero *lac* intelligit. וַיִּשַׁע יְהוָֹה אֶל־הֶבֶל וְאֶל־מִנְחָתוֹ *Respexit Deus ad Abelem et sacrificium ejus;* i. e. Deus munus Abelis gratum habuit, quod ignis coelo demissus arguisse creditur, uti in sequentibus temporibus factum est, vid. Levit. IX, 24. Jud. VI, 21. Hanc sententiam Theodotion etiam in versione expressit, καὶ ἐνεπύρισεν ὁ Θεός. אֶל־הֶבֶל וְאֶל מִנְחָתוֹ *in Abelem et in oblationem ejus*, ἓν διὰ δυοῖν, pro: in *oblationem Abelis.* Uberiorem hujus loci explicationem, perpensis etiam aliorum interpretationibus, dedit *Bochardus Hieroz.* P. I. L. II. L. XLIX. p. 537. ed. primae, p. 612. edit. nostrae.

5. וְאֶל־קַיִן וְאֶל־מִנְחָתוֹ לֹא שָׁעָה *Caini oblationem autem non respexit*, i. e., eadem servata metaphora, sprevit. Causam vid. ad Vs. 3. וַיִּחַר לְקַיִן מְאֹד *Et incanduit Caino valde*, scil. אַף, *nasus*, i. e. ira. וַיִּפְּלוּ פָּנָיו *Conciditque vultus ejus*, i. e. „quum agnovisset, oblationem suam non tanti fuisse apud Deum, quanti fuerat Abelis oblatio, se minoris fieri sensit. Haud absimilis occurrit

loquutio Nehem. VI, 16., ubi Nehemias de Judaeorum inimicis, cum murum absolutum esse Hierosolymae comperissent, וַיִּפְּלוּ מְאֹד בְּעֵינֵיהֶם *conciderunt in oculis suis valde*, i. e. de se modestius sentire coeperunt, vel minus superbire. Ut autem quibus omnia ex voto cedunt, ii evecto capite incedunt, unde fit, ut *erecto vultu* esse secundas res significet (vid. Job. XI, 15. XXII, 26.), ita quos suae sortis poenitet, ii dici possunt *demisso vultu* incedere, seu hoc faciant re ipsa, seu iis verbis a corpore translatis animi significetur adfectus." *Cleric.*

7. הֲלוֹא אִם־תֵּיטִיב שְׂאֵת *Nonne si recte feceris, elevatio* scil. פָּנֶיךָ תְּהִי לְךָ *faciei tuae esset tibi?* esses erecto vultu? ex adverso ejus, quod dixerat Vs. 6. *cur vultu es dimisso?* Quasi dicat: si tibi bene esses conscius, non ita dejecto animo esses et vultu. Est enim erectus vultus index bonae conscientiae, dejectus, malae. Graecus Alexandrinus שְׂאֵת ratus esse Infinitivum, de oblatione sacrificiorum id accepit, vertitque, οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς; *annon si recte obtuleris?* quasi Hebraeae voces ad verbum verti deberent: *annon si recte feceris offerendo?* Sed נָשָׂא nusquam *offerre* denotat. Latinus Vulgatus sic vertit: *nonne si bene egeris recipies?* i. e. feres praemium, fructum percipies et mercedem benefacti, quomodo נָשָׂא, etsi in sensu malo, usurpatur Prov. IX, 12. *Si sapueris, tibi sapies, sin illusor,* לְבַדְּךָ תִשָּׂא *solus feres.* Hieronymus in *Quaestt. in Genesin* ad h. l. verba hoc modo interpretatur: *nonne, si bene feceris, dimittetur tibi omne delictum tuum?* Onkelos quoque habet: יִשְׁתְּבֵיק לָךְ *condonabitur tibi,* quem sensum et reliqui Chaldaei interpretes, et plures ex recentioribus sequuti sunt. Verum quamvis נָשָׂא עָוֹן *peccatum condonare* significet, nusquam tamen שְׂאֵת *veniam* sonat. Addit Hieronymus post verba, quae adduximus: „Sive ut Theodotion ait: *acceptabile erit,* id est, munus tuum suscipiam, ut suscepi fratris tui?" Quae ipsa et Hebraeorum nonnullorum interpretatio est, qui שְׂאֵת idem esse dicunt quod אֶשָּׂא פָּנֶיךָ *accipiam faciem tuam*, i. e. tui rationem habebo, mihi

gratus eris, et acceptum tuum sacrificium. Cf. infra XXXII, 21. Mal. I, 8. 9. Pergit: וְאִם לֹא תֵיטִיב לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ *Si vero male egeris, ante fores peccatum jacet*, h. e. statim se prodet, peccatum tuum non magis celari potest, quam id quod pro foribus jacet. Potest etiam sensus esse, peccatum, i. e. prava concupiscentia insidiatur tibi, quemadmodum solent bestiae pro cubili jacentes praetereuntibus insidiari. Nonnulli putant חַטָּאת *peccatum* h. l. positum esse pro poena peccati, quae peccatori immineat; quem sensum autem sequens membrum non admittit. Plures alias hujus loci interpretationes vide in *Pfeifferi Dubiis vexatis* Centur. I. Loc. 12. Sequitur: וְאֵלֶיךָ תְּשׁוּקָתוֹ וְאַתָּה תִּמְשָׁל־בּוֹ *et ad te appetitus ejus*, scil. peccati, *sed tu dominaberis ei*, resistere ei debes. Peccatum tanquam mulier impudica sistitur, quae hominem ad libidinem suam explendam tentet, cui igitur resistere debeat. חַטָּאת ut Dathius monet, forma quidem foemininum est, sed h. l. tanquam masculinum construitur cum sequenti רֹבֵץ et cum affixo תְּשׁוּקָתוֹ, quae synthesis generum saepe obvia est. Sic supra Cap. II, 15. גַּן construitur cum sequentibus affixis foeminini generis. Plura alia exempla vid. in *Gesenii ausführliches Lehrgebäude der hebr. Sprache*, p. 716. Ceterum conf. Henslerum ad loc.

8. Verba וַיֹּאמֶר קַיִן אֶל־הֶבֶל אָחִיו si ita vertuntur: *et dixit Cainus ad Abelem fratrem suum*, desunt quaedam, quoniam nihil sequitur, quod Cainus Abeli dixerit. Multi igitur veterum et recentiorum interpretum propterea codicem Samaritanum secuti sunt, qui addit נֵלְכָה הַשָּׂדֶה *eamus in agrum*. Idem additamentum habent LXX. (*διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον*), Aquila (quanquam *J. G. Scharfenbergius* in *Animadv. ad fragmenta Graec.* p. 4. negat, Aquilam haec verba exhibuisse), Vulgatus, Syrus, Targum Jonathanis et Hierosolymitanum. Ipsi Masoretharum nonnulli codicibus hebraicis hanc notam adscripserunt: פסקא באמצע פסוק (*lacuna in medio versus*). Alii contra, et quidem plerique, monent lectorem, בלא פסקא *nullam esse lacunam*. Nec legerunt verba

כלכה השדה Onkelos, Symmachus, Theodotion et Arabs uterque. *J. D. Michaelis* in *Bibl. Orat.* P. IX. p. 182. pro וַיֹּאמֶר legendum putat וַיֵּמַר a radice מָרַר *amarus fuit*, ut sensus sit: *attamen Cain in fratrem amaro animo fuit. Dathius* significationem verbi أمر אָמַר apud Arabes obviam h. l. adhibet, quae est, *durius loqui cum aliquo*; ut ergo sensus sit: *dure loquutus est Cainus cum Abele fratre suo.* Plura alia hunc locum explicandi tentamina vide in *De Rossii Varr. Lectt.* ad h. l. T. I. p. 5., qui recte observat, Verbum אָמַר significare interdum *cum aliquo loqui*, adducitque locum huic similem Exod. XIX, 25. *Descenditque Moses ad populum dixitque ad eum*, quin subjiciatur, quid dixerit, ubi vertendum est; *loquutus est ad eum*, s. *cum eo.* Quare in codice quodam Seculi XIII., quem de Rossi numero 407. signavit, hoc loco pro וַיֹּאמֶר a prima manu legitur וַיְדַבֵּר. Eodem modo *A. Pfeiffer* in *Dubiis vexx.* Cent. I. Loc. 13.: „Jam diu," inquit, „Cainus ne verbulum fratri fecerat; jam simulans se omnem deposuisse rancorem et colloquium cum eo instituens, incautum adortus occidit."

9. Hoc Dei cum Caino colloquium ex mente ejus, qui haec litteris consignavit, sine dubio vere habitum est, quum in hisce mythici aevi narrationibus frequentiores sint apparitiones Dei et consuetudo quaedam ejus cum hominibus. Anonymus in Repertorio p. 240 (T. II. P. II. p. 261. ed. Gabler.) hoc colloquium interpretatur morsus conscientiae; quae interpretatio hanc ob caussam probari non potest, quia signum, quo Deus Cainum a metu violentae mortis pacatum reddit, argumento est, colloquium ex nostri mente revera praecessisse.

10. מֶה עָשִׂיתָ *Quid fecisti?* Non est interrogatio sciscitantis, sed obstupescentis, q. d. quantum facinus patrasti? quanto te scelere contaminasti? קוֹל דְּמֵי אָחִיךָ צֹעֲקִים אֵלַי מִן־הָאֲדָמָה *Vox sanguinis fratris tui ex terra ad me clamat*, i. e. caedes fratris tui a me vindictam postulat.

Plurale צֹעֲקִים non ad קוֹל, sed ad דְּמֵי refertur, observantque Hebraeorum Grammatici, ubi duo nomina substantiva conjunguntur, Verbum vel Adjectivum sequens haud raro cum posteriore, non cum priore convenire. Sic Exod. XXV, 5. עֹרֹת אֵילִים מְאָדָּמִים *pelles arietum rubro tinctorum* sunt *pelles rubro tinctae*.

11. וְעַתָּה אָרוּר אָתָּה מִן־הָאֲדָמָה אֲשֶׁר פָּצְתָה אֶת־פִּיהָ לָקַחַת אֶת־דְּמֵי אָחִיךָ מִיָּדֶךָ. *Nunc igitur tu maledictus esto!* maledictus, inquam, exul *e terra; quae aperuit os suum, ut susciperet sanguinem fratris tui de manu tua.* Exaggerari putant nonnulli hac loquutione scelus Caini, q. d. ipsa terra, quamvis sensu ac ratione destituta, tamen humaniorem se exhibuit erga fratrem tuum, quam tu, quia sanguinem, quem tu effudisti, recepit et recondidit, ne hominibus patens, horrendum eis adspectum praeberet. Alii his verbis exprimi dicunt sceleris gravitatem, quae Caini conscientiam premat, et tanta sit, ut ipsam ei naturam reddat inimicam et infestam, q. d. ipsa terra, quae quasi ore aperto sanguinem fratris tui de manu tua suscepit, habebit te pro exsecrabili. Alii מִן־הָאֲדָמָה cum Aben-Esra sumunt pro מפאת הארץ *ex parte terrae*, hoc sensu: maledictio ista tibi ex ipsa terra proveniet, quae non dabit fructus suos cum eam coles. Sed ad recte intelligendum hunc Versum ante omnia observandum est, verba וְעַתָּה אָרוּר אָתָּה seorsim sententiam facere, quum maxima distinctio Atnachi voci אָתָּה apposita sit, alteram vero Versus partem, inde a מִן־הָאֲדָמָה descriptionem terrae continere, quae nimirum os suum aperuisset ad accipiendum sanguinem fratris sui e manu sua. Debent ergo verba priora ad membri posterioris initium cum emphasi repeti; *maledictus*, inquam, *tu esto* scilicet *exul ex ista terra, quae aperit os suum*, rel. Est constructio quam *praegnantem* dicunt. Ellipsin Praepositio מִן *ἀσύντακτος* demonstrat; cf. Vs. 14.

12. כִּי תַעֲבֹד אֶת־הָאֲדָמָה לֹא־תֹסֵף תֵּת־כֹּחָהּ לָךְ *Quando terram coles, tibi virtutem suam non addet dare*, h. e.

tibi non exseret amplius insitam fructuum pariendorum et alendorum facultatem. נָע וָנָד תִּהְיֶה בָאָרֶץ *Extorris et incertis sedibus per terram vagaberis.* Notatu dignum est, quod jam Grotius monuit, inter Graecos aliosque populos antiquissimis temporibus exsilium homicidii poenam fuisse; qua de re multa apud Homerum exempla occurrunt, quae collegit *Feithius* in *Antiq. Homer.* L. II. Cap. 8. Comparare liceat cum judicio divino adversus Cainum judicium illud Thesei adversus Hippolytum apud Euripidem in Hippolyto Vs. 1058. seqq.

Ταχὺς γὰρ ᾅδης ῥᾷστος ἀνδρὶ δυστυχεῖ·
Ἀλλ᾽ ἐκ πατρῴας φυγὰς ἀλητεύων χθονὸς,
Ξένην ἐπ᾽ αἶαν λυπρὸν ἀντλήσεις βίον·
Μισθὸς γὰρ ἐστὶν οὗτος ἀνδρὶ δυσσεβεῖ.

Festinata enim mors est gratissima homini infelici; sed e patria terra exul errans in terra peregrina vitam miseram ages; haec enim est merces homini impio. Sic etiam apud *Ovidium Metamorph.* XI, 268. Peleum

— — *fraterno sanguine sontem*
Expulsumque domo patria Trachinia tellus
Accipit.

13. גָּדוֹל עֲוֹנִי מִנְּשֹׂוא *Majus est scelus meum quam quod condonari possit.* עָוֹן nonnulli metonymice de poena peccati accipiunt. נָשָׂא h. l. significare potest et *ferre* et *condonare.* Alii, inter quos *Michaelis*, haec verba interrogative vertunt: *Tamne atrox facinus meum est, ut condonari nequeat?*

14. הֵן גֵּרַשְׁתָּ אֹתִי הַיּוֹם מֵעַל מִפְּנֵי הָאֲדָמָה *En! expellis me hodie ex hac regione.* Voces אֶרֶץ et אֲדָמָה et ipsum terrae globum et parvam ejus regionem significant, ut h. l., ubi ea regio designatur, in qua Adamus cum familia sua sedem habebat; ideo ה etiam vim δεικτικὴν habet et pro הַזֹּאת positum est. מִפָּנֶיךָ אֶסָּתֵר *A conspectu tuo me abdam.* Regio, in qua consederat Adamus, dicta fuisse videtur *in conspectu Dei*, quod eam potissimum Deus tuebatur, et quum homines alibi nusquam essent,

in ea sola tum Adamo tum ejus familiae apparebat; itaque Cainus verebatur ex ea decedere, ibi maxime existimans se tutum esse. כָּל־מֹצְאִי יַהַרְגֵנִי *Quicunque in me inciderit, me occidet.* Verebatur Cainus vindictam familiae Adami. In domo paterna fortasse tutus fuisset, sed cum ex ea ejiceretur, utique vindictam poterat metuere. Ceterum in omnem hunc locum non sunt praetermittenda, quae monuit *Gabler* ad Eichhorn. II, 2. p. 262. not. 95. atque Henslerus p. 274. seqq.

15. Pro לָכֵן LXX. Symmachus, Theodotion, Vulgatus, Syrus, legerunt לֹא כֵן, *οὐχ οὕτως*, *nequaquam*, quos etiam *Dathius* in versione sequitur. Facile לֹא כֵן et לָכֵן confundi potuerunt, quia antiquissimis temporibus (ָ) et ו eundem fere sonum habebant, ut observat *A. Schultens Grammat. Hebr.* p. 54. et multis exemplis ostendit. כָּל־הֹרֵג קַיִן שִׁבְעָתַיִם יֻקָּם *Quique Cainum occiderit, septuplo majores poenas luet. Septuplum* supplicium pro multiplici, ut saepius, veluti Ps. XII, 7. CXIX, 164. Proverb. XXIV, 16. Dicit itaque Deus, eum, qui Cainum occiderit, gravissimas poenas luiturum. Noluit autem Deus Cainum occidi, quamvis capitis reum, sobolis causa, ad humani generis propagationem. וַיָּשֶׂם יְהוָֹה לְקַיִן אוֹת לְבִלְתִּי הַכּוֹת־אֹתוֹ כָּל־מֹצְאוֹ *Tum posuit*, dedit *Jova Caino signum, eum a nemine, qui forte in eum incideret, interfectum iri.* שׂוּם h. l. idem valet quod נָתַן, dedit Deus Caino signum quoddam, quo is certus esset, nihil sibi ab hominibus esse metuendum. Varias hujus Versus interpretationes examinavit *J. A. Danz* in Dissertat. *de Caino contra necem praemunito.* Jen. 1681. 4., recusa ibid. 1732. 4.

16. וַיֵּצֵא קַיִן מִלִּפְנֵי יְהוָֹה *Igitur Cainus discessit e conspectu Dei*, quod sive de *loco, ubi Adamus cum familia habitabat* (vid. v. 14.), sive de *loco, ubi Jehovah cum eo loquutus erat*, intelligi potest. Non putatur autem Cainus solus egressus sedibus paternis, sed uxorem, de qua postea dicitur, secum duxisse; ea enim regio, ubi post expulsionem e domo paterna sedes fixit, non-

dum, ut verisimile nostro est, ab hominibus habitata fuit. נוֹד *Vagatio, exilium*; hoc nomine Cainus locum, ubi consedit, ipse adpellasse dicitur. קִדְמַת־עֵדֶן, *ad orientem Edenis*, hoc est, haud procul a sedibus paternis, quae ad orientem etiam Edenis erant, vid. III, 24.

17. וַיְהִי בֹּנֶה עִיר *Aedificavit urbem*. Sub עִיר *speluncam* intelligendam esse, ut voluerunt *Perizonius* in *Originibus Babylonicis*, T. II. Cap. 3. p. 35. et post eum *Faber* in *Archaeologia Hebraeorum*, p. 36. 37. adeoque Cainum troglodytam fuisse, vel inde parum est verisimile, quod scriptor voce בֹּנֶה utitur. Praeterea ex initio hujus Capitis apparet, Cainum jam agriculturam egisse, quum ex terrae frugibus Deo donum obtulerit; narratur etiam postea, plures ex ejus familia et stirpe artes invenisse, quo satis innuitur, Cainum cum familia sua jam ex prima feritate et ruditate egressum fuisse. Historia autem et experientia omnium temporum docet, homines, qui ad illud culturae fastigium ascenderunt, ut terram colerent et varias cultioris vitae artes invenirent, non amplius in antris et speluncis vitam degere, sed in societatem coalescere et domicilia plura uno in loco figere.

18. Quae sequitur Genealogia posterorum Caini, eam antiquissima illa monumenta servarunt, quod, quum illi fuissent artium quarundam inventores, digni habiti sunt, quorum nomina memoriae traderentur. Sed in his nemo non agnoscet antiquissima artium inventores investigandi pericula. Neque vero sine ratione illi recensentur inter posteros ejus, qui agriculturam exercens, primus certae glebae fuit addictus. Ceterum conf. *Hugi* librum *die mosaische Geschichte des Menschen*, p. 92. seqq. וַיִּוָּלֵד לַחֲנוֹךְ אֶת־עִירָד *Natus est Henocho Irad*. אֶת hic Nominativo servit, ut alias haud raro: vid. *Noldii Concordant.* p. 131. et cf. *Gesenii Ausführl. Lehrg. der hebr. Sprache*, p. 682.

19. Lamechi polygamia e veteris historiae fragmentis refertur simpliciter, et neque probatur, neque vituperatur.

20. הוּא הָיָה אֲבִי יֹשֵׁב אֹהֶל וּמִקְנֶה *Hic fuit pater habitantium in tentoriis et pecuariorum*, h. e. primus, qui Nomadicam sub tentorio egit vitam. Hoc antiquissimo vitae genere deinde Noachi posteri, Abrahamus, Isaacus et Jacobus, Israelitaeque in Arabia deserta usi sunt. *Plinius* de Arabiae populis *Hist. Nat.* L. VI. Cap. 28. *Nomadas inde infestatoresque Chaldaeorum Scenitae claudunt et ipsi vagi, sed a tabernaculis cognominati, quae ciliciis metantur, ubi libuit.* *R. Salomo Jarchi* in h. l.: *Hic* (Jabal) *primus fuit, qui pecudes pavit in desertis, et habitans in tentoriis, ea movit, prout deficiebat pabulum pecoris sui: quando deficiebat pabulum in loco hocce abibat ille, et figebat tentorium suum in alio loco.* Idem de Scythis et Indis veteres testantur. Sic *Diodorus Sicul.* L. II. de Indis dicit *eos nec urbes nec pagos incolere, sed vitam agere sceniticam.* *Justinus* L. II. c. 2. de Scythis: *Hominibus inter se nulli fines. Neque enim agrum exercent, nec domus illis ulla, aut tectum aut sedes est, armenta aut pecora semper pascentibus, et per incultas solitudines errare solitis.* מִקְנֶה proprie est *acquisitio, possessio*; deinde *pecus* hac voce designatur, quoniam veterum possessiones et divitiae maxime pecudibus constabant. Particula ו ante מִקְנֶה vertenda est *cum*, ut Exod. I, 5. Job. XIX, 23. 24. et saepe. Alii supplent רֹעֵה *pastor*. Malim וּמִקְנֶה hic elliptice positum pro וְאַנְשֵׁי מִקְנֶה (Genes. XLVI, 32. 34.) *pecuariorum*. Frequens est ellipsis nominis אִישׁ, vid. not. ad Ps. CIX, 4. et cf. *Waltheri Ellipsis Hebrr.* p. 9. ed. Schulz. LXX. κτηνοτρόφων. Vulgat. *atque pastorum*. Idem Syrus et Onkelos. Uberiorem hujus loci expositionem vide in *Bocharti Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XLIV. T. I. p. 517. seq. ed. Lips.

21. הוּא הָיָה אֲבִי כָּל־תֹּפֵשׂ כִּנּוֹר וְעוּגָב *Is fuit pater omnis tractantis citharam et tibiam*, citharae et tibiae inventor. כִּנּוֹר vix dubium est convenire cum Graeco κινύρα, nomine cum ipsa re, instrumento musico, citharae simili, in Graeciam translato. Originem vocis *J. D. Mi-*

chaelis in *Supplemm. ad Lexx.* p. 1314. quaerit in Syriaco ܟܢܳܒܺܝܢ *cannabis*, quod fortasse cannabinis filis pro chordis primum usi fuerint, quum, ut docuit Spanhemius ad Callimachum p. 466. seqq., pro chordis olim fila ex lino fuissent. Arabibus كِنَّارَة, est *instrumentum musicum quod manibus pulsatur, cithăra, chelys.* Plura de Hebraico כִּנּוֹר et de Graeco κινύρα vid. in *A. F. Pfeifferi* libro de Musica veterum Hebraeorum (*Ueber die Musik der alten Hebraeer*, Erlang. 1779. 4.) p. 27. seqq. Alterum, quod hic commemoratur instrumentum musicum, עוּגָב, quod praeter hunc locum ter tantum (Job. XXI, 12. XXX, 31. Ps. CL, 4.) in V. T. legitur, num sit ex iis, quae inflantur, an vero ad ea pertineat, quae chordis extenduntur (ἐντατικά), dissentiunt. Posterioribus accenset Michaelis l. c., qui *psalterium* interpretatur, et a כִּנּוֹר eo differre putat, quod cithara (כִּנּוֹר) plectro pulsatur, psalterium vero digitis psallitur (cf. Not. ad Ps. XXXIII, 2.). Onkelos vero et alii Chaldaei interpretes ceteris, quibus עוּגָב legitur, locis constanter vertunt אַבּוּבָא, *fistula, tibia*, unde Horatii interpretes deducunt illud Sat. 2. L. I. *Ambubajarum* collegia, quod *ambubajae* fuerint αὐλητρίδες tibicines, mulieres vagae, tibiarum cantu se alentes. A Chaldaeis אַבּוּבָא interposita litera M, ut in *ambire, ambages, ambarvales,* fit *Ambubaja,* tibicina. De nomine עוּגָב vid. et Pfeifferi librum p. 48. seqq. Invenit igitur Jubal utriusque generis instrumenta musica, ἐντατικά, et φυσητικά. „Originem Musicae omittere, noluisse videtur Moses, ut ostenderet mentiri Aegyptios, qui ejus inventionem Thouthi Aegyptio, amico Osiridis, acceptam ferebant. Diodorus Siculus L. I. p. 15. ed. Rhodom. ex sententia Aegyptiorum illum λύραν εὑρεῖν, ἣν ποιῆσαι τρίχορδον, *lyram invenisse eamque fecisse trium chordarum*, auctor est. Plato etiam *de Legib.* II. p. 577. Musicam Aegyptiacam, quam immutare non liceret, Θεοῦ ἢ Θείου τινὸς inventum esse vult.“ *Cleric.*

22. Nomen תּוּבַל־קַיִן Jarchi per compendium dictum putat pro תּוּבַל אוּמָּנוּתוֹ שֶׁל קַיִן, et תּוּבַל ex Chaldaico תַּבְלִין *condimenta*, et תַּבֵּל *condire* (Arabibus quoque تَبَّلَ et تَوْبَلَ *aromatibus oleribusque condivit* ollam), *condientem*, i. e. praeparantem significare ait, integrum itaque nomen denotare תובל והתקין אומנתו שלקין לעשות כלי זיין לרוצחים *qui condivit et aptavit opificium Caini, ut faceret instrumenta armorum homicidis*, i. e. qui excoluit ac praeparavit instrumenta bellica, quibus homicidae uti possent. Quod sequutus est Fagius, „hinc," inquiens „dictus est Tubal-Cain, quod id videlicet quod adhuc deerat paternae ferocitati et crudelitati, adinvenerit, nempe usum armorum, expoliendo chalybem et ferrum, et fabricando arma bellica." Verum si etiam dederimus, posse תָּבַל pro *parare, expolire* sumi, tamen forma vocis תּוּבַל non est *agentis*, quae תּוֹבֵל foret. Dura praeterea est ellipsis nominis מַעֲשֵׂה seu אוּמָּנוּת ante קַיִן. Nomen Persicum Hebraico תּוּבַל consonum, تُوپال *tupal*, denotat *aes, ramenta auri et argenti*, קַיִן vero, Arabibus قَيْن, *fabrum ferrarium*. Unde Gesenius in Lexico Hebraico minori p. 685. conjicit, esse hunc mythum origine Persicum. Nos tamen cum Simonis (*Onomast. V. T.* p. 307.) תּוּבַל habemus pro nomine vero Hebraico, *profluxum, processum* significante, a יָבַל *processit, profluxus*, ut תּוּבַל־קַיִן *processum*, propagationem, progeniem *Caini* denotet. Quae sequuntur, לֹטֵשׁ כָּל־חֹרֵשׁ נְחֹשֶׁת וּבַרְזֶל vertunt: *erudiens omnem opificem aeris et ferri*. Sed verbum לָטַשׁ proprie *contudit*, ut Arabum لَطَسَ, hinc *tundendo acuere* (cf. Job. XVI, 9.) significat, חֹרֵשׁ vero *secans*, hic instrumentum, quo quis aliquid secat exasciatque indicat, estque, ut Salomon Ben-Melech observat, nomen verbale, formae יוֹתֵר, *reliquum*, 1 Sam. XV, 15. Recte itaque R. Salomo Jarchi verba ita exponit: מחדד ומצחצח כל כלי אומנות נחשת וברזל *acuens et expoliens*

omnia instrumenta opificii aeris ac ferri. „Hoc quoque contra Aegyptios a Mose observatum credibile est. Illi in Aegypto, regnante Osiride, dictitabant ἐν τῇ Θηβαΐδι χαλκουργείων εὑρεθέντων καὶ χρυσίων ὅπλα κατασκευάσασθαι δὲ ὧν τὰ θηρία κτείνοντας· καὶ τὴν γῆν ἐργαζομένους φιλοτίμως ἐξημερῶσαι τὴν χώραν, *in Thebaide aeris et auri cudendi inventis artibus arma esse facta, quibus occidendo feras et terram colendo eam studiose cultiorem redderent*, et quae sequuntur apud Diodorum, L. I. p. 14.“ *Clerio.*

23. Verba כִּי אִישׁ הָרַגְתִּי לְפִצְעִי וְיֶלֶד לְחַבֻּרָתִי, *si s. quia virum occidi ad vulnus meum, et puerum ad vibicem meum*, Onkelos paraphrasi ita exposuit: לָא גַבְרָא קְטָלִית דִּבְדִילֵיהּ אֲנָא סָבִיל חוֹבִין וְאַף לָא עוּלֵימָא חַבֵּלִית דִּבְדִילֵיהּ יִשְׁתֵּיצֵי זַרְעִי *non occidi virum, cujus causa ego portarem peccatum, neque juvenem interemi, cujus causa perderetur semen meum.* Accepit כִּי interrogative, *num virum occidi?* quae interrogatio quum negationem valeat, negative vertit: *non occidi.* Deinde per לְפִצְעִי et לְחַבֻּרָתִי poenas significari putavit, quibus se fatetur dignum Lamechus, si caedem commisisset, nempe ut et sibi vicissim vulnus livorque infligerentur, id est, ipse quoque interficeretur; quod longius paulo traxit Chaldaeus, non solum ad Lamechi, verum et posterorum ejus interitum. Plerique vero ex recentioribus interpretes existimant, Lamechum vere caedem commisisse, et his duobus Versibus ei, qui se ideo punire velit, majus malum minari, quam fuisset id, quo Cainus ulciscendus fuisset. Sed haec explicatio, ut Dathius monet, neque contextui neque ipsius carminis apodosi apta est. Praeferenda igitur videtur ea interpretatio, quam dedit *Hessius* in *Geschichte der Patriarchen*, P. I. pag. 83. Ex hujus Doctissimi Viri sententia Lamechus sese jactat propter filios suos, qui artium adeo utilium essent inventores: Cainum progenitorem suum propter caedem non esse punitum, multo minus se posse puniri, si vel simile scelus commisisset. Verba enim non significant, caedem ab eo revera esse patratam,

sed sunt verba hominis admodum insolentis et profani. Ceterum apparet, haec verba a Mose ex quodam carmine antiquo inserta esse: tota enim oratio poëticam quandam sublimitatem spirat. Sensus igitur horum duorum Versuum ex Dathii versione hic erit: *Si propter viri aut juvenis caedem vulnera et plagae mihi intendantur, cum de Caino poena septuplex statuta fuerit, in Lamecho id fiet septuagies septies.* *Herderus* in libro de poëseos Hebraicae indole (*vom Geist der ebräischen Poesie*), P. I. pag. 344. existimat, hoc Lamechi carmen laudes canere gladii a filio inventi, cujus usum et praestantiam contra hostiles aliorum insultus his verbis praedicet: *Lamechi mulieres audite sermonem meum, percipite dicta mea: Occido jam virum, qui me vulnerabit, juvenem, qui plagam mihi infligit. Si Cainus septies est ulciscendus, in Lamecho id fiet septuagies septies.* Sive: et leviores et graviores injurias acerrime ulciscor, pro ratione eorum, a quibus mihi inferuntur. Vere observat Clericus, hanc Lamechi orationem totam ὁμοιοτελεύτοις constare, certe Versuum 2. 3., ubi singuli στίχοι in י — desinunt. Vid. et *J. J. Bellermann Ueber die hebräische Metrik*, p. 212. Ceterum cf. *Henslerum* ad loc. p. 277. seqq., et quae nos observavimus ad Lowthum *de Sacra Hebraeor. poësi* (Lips. 1815.) p. 447. Not. Varias vexatissimi hujus loci explicationes recensuerunt atque examinarunt *Pfeifferus* in *Dubiis vexat.* Cent. I. Loc. 16. *Jo. Guil. Hilliger* in Dissert. *Homicidium et vindicta Lamechi*, in *Thesauro theol. philolog. s. Sylloge Dissertatt. exegeticar.* T. I. p. 141., et *Jo. Joach. Schröder* in Dissert. *de Lamecho homicida ejusque vindicta*, Marb. 1721., repetita in *Thesauro Novo Theol. phil.* T. I. p. 141. seqq.

25. וַיֵּדַע אָדָם עוֹד אֶת־אִשְׁתּוֹ וַתֵּלֶד בֵּן וַתִּקְרָא אֶת־שְׁמוֹ שֵׁת *Et cognovit Adamus iterum uxorem suam, peperitque filium, cujus nomen vocavit Seth.* Haec verba non ita intelligenda, quasi Adamus praeter Cainum et Abelem nullos alios liberos habuerit, ex Vs. enim 4. Cap. V. ap-

paret, eum filias etiam habuisse; sed hoc tantum vult scriptor, inter alios liberos, post Abeli mortem, primum masculini sexus natum ei fuisse Sethum, Abeli loco. כִּי הֲרָגוֹ קָיִן, *quia occidit eum Cainus*, i. e quem occidit Cainus, conjunctio enim causalis כִּי saepius pro relativo pronomine usurpatur, ut Ps. LXXI, 15. *Os meum narrabit salutem tuam*, כִּי *quia non novi numeros*, i. e. cujus non novi numeros.

26. וּלְשֵׁת גַּם־הוּא יֻלַּד־בֵּן *Et ipsi Setho natus est filius.* הוּא in Casu recto positum Latine est in Casu obliquo vertendum, quasi לוֹ scriptum esset, ut infra X, 21., ubi not. vid. Verba אָז הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם יְהוָֹה, *tunc coeptum est vocare in nomine Jovae*, varie explicantur. Alii, inter quos Vulgatus, secundum Codicem Samaritanum, in quo החל exstat, vertunt; *iste* (scil. *Enos*) *coepit invocare nomen Domini.* Alii vertendum censent: *tunc profanatum est in vocando nomine Jehovae*, quia חלל interdum *profanare* significat, quasi scriptor dixerit, nomen, quod mundi creatorem ac dominum significat, rebus creatis impie tributum, et hoc modo idololatriam ortam esse. Quod innuisse videtur *Josephus* cum *Antiqq.* L. I. Cap. 3. §. 1. per septem aetates scribit homines unicum verum Deum *δεσπότην εἶναι τῶν ὅλων* sensisse, deinceps vero *ἐκ τῶν πατρῴων ἐθισμῶν* degenerasse, hoc est, res creatas, seu coelestia corpora adorasse. Concinit Onkelos, cujus haec interpretatio: בְּיוֹמוֹהִי חָלוּ בְּנֵי אֱנָשָׁא מִלְּצַלָּאָה בִּשְׁמָא דַיְיָ *in diebus ejus profani facti sunt homines. ut non precarentur in nomine Jovae.* Quem sensum disertius declarat Jonathan: הוּא דָרָא דְבְיוֹמוֹהִי שָׁרִיאוּ לְמִטְעֵי וְעָבְדוּ לְהוֹן טַעֲוָן וּמְכַנִּין לְטַעֲוָתְהוֹן בְּשׁוּם מֵימְרָא דַיְיָ *Illa* erat *aetas, in cujus diebus coeperunt errare et fecerunt idola, et cognominarunt idola sua nomine verbi Domini.* Quod sequutus Jarchi, qui, postquam observasset, Verbum הוּחַל hic obtinere significatum חוּלִין *profanationum*, sensum hunc esse dicit, tunc profanatum esse nomen Jovae eo, quod sibi fecerint idola, quibus nomen Jovae indiderint. Eadem est *Ant. van Dale* de

hoc loco sententia in libro *de Origine et Progressu Idololatriae*, Cap. II. p. 12. seqq. Sed Clericus hoc dici putat, Sethi posteros de nomine Dei vocari coepisse, ut a ceteris distinguerentur, qui hominum filii dicebantur. Huic interpretationi est consentanea Aquilae versio: *τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖν ἐν ὀνόματι Κυρίου*. Quia enim Cainus a patris sui consuetudine remotus fuit, inter posteros ejus veri Dei cognitio mature extincta nostro videtur; ideoque hi filii hominum vocabantur. Cf. Hessii librum ad Vs. 23. laudatum P. I. p. 74. et *Schilleri Opuscula* p. 372. seqq. Phrasis קָרָא בְּשֵׁם יַעֲקֹב eodem sensu occurrit Esaj. XLIV, 5. XLVIII, 1. Sed phrasis קָרָא בְּשֵׁם יְהוָֹה *invocare nomen Jovae* ceteris omnibus V. T. locis cultum divinum publicum et solennem indicat, vid. infra XII, 8. XIII, 4. XXI, 33. XXVI, 25. 1 Chron. XVI, 8. Ps. CV, 1. Jesaj. XII, 4. XLI, 25. al. Dicit igitur, tunc cultum Dei publicum, vel certos ritus Deum colendi institutos esse. „Descriptis Caini et posterorum moribus et studiis profanis, qui parum de cultu Dei solliciti fuerunt, commemorat Moses, quinam auctores verae religioni restaurandae operam dederint, eamque publico exercitio adversus profanationem Cainiticam propugnarint.“ *Pfeiffer* in *Dubiis vexx.* Cent. I. Loc. 17. Eundem sensum expressit Lutherus, qui Hebraea sic vertit: *zu derselbigen Zeit fing man an, des Herrn Namen anzurufen.* Quam interpretationem pluribus vindicavit peculiari Dissertatione *de b. Lutheri versione verborum Genes. IV, 26.* אז הוחל לקרא בשם יהוה, *Jo. Gabr. Pries*, Rostoch. 1752. quat. Male verterunt LXX. *οὗτος ἤλπισε ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου*, rati הוּחַל a יָחַל *speravit*, descendere.

III. *Adami ex Setho prosapia ad Noachum usque.*

CAP. V—VI, 8.

Cap. V, 1. Verba זֶה סֵפֶר תּוֹלְדֹת אָדָם sunt inscriptionis instar, indicantque novi Capitis initium, quod usque ad proximam similis formulae ἐπιγραφὴν, infra Cap. VI, 9. decurrit. Post expositam orbis terrarum generisque humani ἀρχαιολογίαν jam breviter generationes ab Adamo descendentes per Sethum ad Noachum usque atque diluvium recenset, non immorans singulorum actis, sed summatim tantum tempus vitae singulorum afferens, ut computari possit numerus annorum ab Adamo ad Noachum usque et diluvium, item quos eorum quisque genuerit filios, vel potius quam prolem. Neque enim omnes cujusque liberos enumerat, contentus dicere, quemque filios et filias in genere genuisse, unde de singulis singulos affert tantum filios, ceteris praetermissis, eos videlicet duntaxat commemorans, ex quibus certa successionis serie generatio deducta est ad Noachum usque, et unde post diluvium descenderunt majores Abrahami, propter quem haec series genealogica suscipitur describenda; propius enim nunc Moses accedit ad προπαρασκεύην historiae majorum gentis Hebraeae. Quae etiam causa, cur generatio Sethi tantum afferatur, non Caini. Notandum praeterea, ab Adamo ad Noachum *decem* hoc Capite recenseri generationes, totidemque infra XI, 10. seqq. a Noacho usque ad Abrahamum. Sacer enim habebatur veteribus numerus denarius, quippe qui e duobus aliis numeris sacris, *tres* et *septem* compositus sit, ut observat *J. G. Hasse* in *den Entdeckungen* etc. P. II. p. 51. addens, Platonem quoque in Critia s. Atlantico (*Opp.* T. X. p. 49. edit. Bipont.) *decem* e terra progenitos ho-

mines (בְּנֵי אֲדָמָה) commemorare, quorum primo Εὔηνος nomen fuerit (quasi Εὔας ἀνὴρ dicas). Quod nomine סֵפֶר scriptor hic usus est, quum supra II, 4. et infra VI, 9. X, 1. XXV, 19., et alias simpliciter אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת in hujusmodi inscriptionibus legatur, nonnulli Hebraeorum ideo factum volunt, quod hic proprie sit libri Geneseos initium, superiora consideranda esse tanquam הַקְדָּמוֹת *Praefationes* s. *praecognita*, versaturis in Lege Mosaica scitu necessaria. Quod subtile magis, quam verum videtur. Vix dubium, voce סֵפֶר hoc duntaxat Caput significari. Nomen illud enim, quod proprie *enumerationem, catalogum* denotat, non modo volumen pluribus paginis constans, sed etiam quodvis breve scriptum designat. Deut. XXIV, 1. סֵפֶר כְּרִיתוּת est *repudii libellus.* Ita vocatur *epistola* 2 Sam. XI, 14., item instrumentum adquisitionis Jerem. XXXIII, 11., nec non catalogus genealogicus, ut hic, Nehem. VII, 5. „Nomen אָדָם hoc in Commate signat tam primum parentem, cui id nominis κατ᾽ ἐξοχὴν haesit, quam *hominem*, quum ea vox haud minus Hevam, quam Adamum complectatur. Idem occurrit eodem sensu vocabulum Vs. 2., ut Vs. 3. primum virorum rursus designat.“ *Cleric.* בְּיוֹם בְּרֹא אֱלֹהִים אָדָם בִּדְמוּת אֱלֹהִים עָשָׂה אֹתוֹ *Quo die Deus hominem creavit, eum ad similitudinem suam fecit.* In Hebraeo repetitur vox אֱלֹהִים loco Pronominis suffixi possessivi. Postquam supra IV, 25. 26. dixisset, Adamum genuisse Sethum, hunc vero Enosum, nunc velut de integro totam seriem prosapiae Adami per Sethum recenset, annos vitae singulorum docens, ubi ab Adamo quum esset ordiendum, ejus creationem et uxoris ejus a ceteris deinceps diversam necesse habuit repetere, ut intelligatur, primos parentes non esse genitos, sed creatos absque maris et feminae conjunctione.

2. זָכָר וּנְקֵבָה בְּרָאָם *Marem et feminam creavit eos,* q. d. utrumque autem creavit ab initio, tam marem, quam feminam. Ut mas non genitus, sed e terra creatus est a Deo, sic et femina, licet e costa viri sumta et formata, non e terra, ut vir. וַיְבָרֶךְ אֹתָם *Et benedixit iis*, i. e.

vim procreandi illis indidit tantam sobolem, quae deinceps exponitur. Nam supra I, 28. haec ipsa formula exponitur פְּרוּ וּרְבוּ *crescite et augescite.*

3. וַיְחִי אָדָם שְׁלֹשִׁים וּמְאַת שָׁנָה *Vixit Adamus centum triginta annos.* „Decem aetatibus, quae hic referuntur, tribuuntur semper anni pleni; quasi homines exacto integro anno, initio sequentis, aut genuerint, aut fato functi sint; quum vix dubitari possit, quin tempora generationis et mortis varia fuerint, atque in varios menses promiscue inciderint. Itaque eo deveniendum, ut mensium aliquot anno aut deficientium, aut insuper accedentium, nulla habita esse ratio dicatur, unde accuratam chronologiam hinc colligi non posse liquet.“ *Cleric.* וַיּוֹלֶד בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ *Genuitque in similitudine sua juxta imaginem suam* scil. בֵּן *filium*, quod Latinus Vulgatus perspicuitatis causa addidit. Similis nominis בֵּן seu בָּנִים ellipsis est infra VI, 4. X, 21. De phrasi בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ vid. not. ad I, 26., ubi tamen inverso ordine בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ legitur. Imaginem Adami ejusque similitudinem, quae Setho hic fuisse dicitur, alii volunt esse peccatum naturae humanae insitum, alii contra Adami pietatem, quam imitatus sit Sethus, spectari existimant. Rectius haud dubie ii statuunt, qui solam humanitatem, qua filius patri similis fuit, seposita virtute vel corruptione, intelligendam censent, ex adverso ejus, quod supra Vs. 1. dixerat, Adamum a Deo creatum, non ab aliis progenitum fuisse. Commemoratur vero hoc de solo Setho, neque de prioribus Adami filiis, Caino et Habele, dictum est, quia illius solius in genealogia Adami ratio habetur, quum per eum Adami genus sit propagatum. Phrasi hic usurpatae haud absimilem habet *Livius* in loco, quem produxit Clericus e Lib. V. Cap. 18. P. Licinius de filio ad Quirites, *En vobis*, inquit, *juvenem*, filium tenens, *effigiem atque imaginem ejus, quem vos antea tribunum militum ex plebe primum fecistis.* וַיִּקְרָא אֶת־שְׁמוֹ שֵׁת *Et vocavit nomen ejus*, scil. ejus, quem genuit, filii

sui, *Seth.* Suffixum ad שְׁמוֹ referendum ad nomen omissum בֵּן.

5. Chronologia in iis quae sequuntur intexta est genealogiis, ex more antiquissimorum hominum, qui, quum omnem nominis immortalitatem in posteris positam putarent, quos ex se prognatos reliquerunt, genealogiis ita adsueverunt, ut memoria eas tenerent. Inde factum, ut omnium fere populorum historia antiquissima genealogiis absoluta sit. De Arabibus res nota est, de quorum studio genealogico multa egregie observavit *Joh. Gottf. Eichhorn* in *Dissertat. de antiquissimis historicis Arabum monumentis*, quae legitur in limine *Monumentorum antiquissimae historiae Arabum*, Goth. 1775. Apud Graecos etiam omnis historia a genealogiis profecta est. Prima historiarum inter eos elementa ex heroum atque stirpis Hellenicae conditorum stemmatibus ducta fuisse, satis patet ex eo, quod vetustissimi eorum libri, veluti Acusilai atque Hecataei, inscripti erant περὶ Γενεαλογιῶν. Sed quae omnibus omnino natura sua genealogiis imminent pericula, ut multa nomina sive exciderent memoria eorum, qui ore illas propagarent, antequam litterae essent inventae, sive tabulae genealogicae litteris consignatae, calamitatibus rerumque conversionibus perturbarentur atque mutilae fierent, ea nec vetustissimos Hebraeorum ordines genealogicos effugisse credibile est. Saepe etiam, ne memoria nimia oneraretur nominum mole, stemmata antiquiora in compendium redigebantur ita, ut integri catenarum genealogicarum articuli omitterentur. Taceo alia tam artificia, quam omissionum rationes in hujusmodi tabulis, de quibus pluribus egerunt *Eichhornius* in libro laudato, §. 11. 12. p. 31—40., atque *Surenhusius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς, *Libro IV.* qui inscribitur *de modis explicandi Genealogias secundum veterum Hebraeorum hypotheses*, inprimis Thes. IX. et seqq. p. 96. seqq. Jam vero mancis hisce atque imperfectis genealogiis quum serior aetas chronologiam intexeret, et talem quidem, quae ad ultima usque rerum primordia ascenderet, atque

longa annorum series inter pauca nomina esse distribuenda, factum est, ut singulis hominibus incredibilis annorum vitae numerus assignaretur. De quo tamen nemini facile erroris suspicio est oborta in illa historicae artis infantia, cui, quo remotius quidquam esset, eo majorem miri atque insoliti speciem gerere videbatur. Sic, teste *Josepho Antiqq.* L. I. c. 3. §. 9., Manetho, Berosus, Mochus, Hestiaeus et alii exterorum scriptores tradidere, priscos homines vixisse mille annos. *Lucianus* quoque in libello, qui inscribitur μακρόβιοι, eas antiquae historiae reliquias, quibus longa veterum vita narrabatur, collegit. Cf. librum nostrum, *das alte und neue Morgenland*, P. I. No. 18. p. 21. seqq. Varro, a *Lactantio* in *Institt. Divin.* L. II. c. 12. laudatus, quum de antiquis illis loqueretur, qui putabantur mille annos victitasse, ait, *apud Aegyptios pro annis menses haberi, ut non solis per XII. signa circuitus faciat annum, sed luna, quae orbem illum signiferum XXX. dierum spatio illustrat.* Sed tales annos in nostris stemmatibus accipi non posse, ut veteres nonnulli interpretes statuerunt, longaevitatem illorum, quorum hic mentio fit, ad nostrum vivendi modum revocaturi, cognoscitur ex numero annorum, quibus illi liberos procrearunt. Qui anni enim si menses essent, necesse foret, hos omnes ante pubertatis annos genuisse. Nec terminus apparet in hac chronologia, ad quem usque menses pro annis numerandi sint, quum sensim longaevitas eorum, qui hic recensentur, ad Abrahamum decrescat. Alia interpretum tentamina retulit atque perpendit *Henslerus* in *den Bemerkb. über Stellen in den Psalmen und in der Genesis*, p. 280. seqq. Sed quod ipsi verisimile est, prisci illius שָׁנָה spatium ante diluvium tribus, postea octo tantummodo mensibus circumscriptum fuisse, impugnavit argumentis non contemnendis Vir quidam doctus in libri Hensleriani censura, quae inest *Eichhornii Bibliothek der biblischen Litteratur*, P. IV. Fasc. I. pag. 105. seqq., ubi simul quaedam bene admonentur tam universe de

antiquissimorum hominum in tempore computando ratione, quam speciatim de nostris his genealogiis. Cf. *J. A. Kanne* Commentationem, quam inscripsit: *Ueber das hohe Alter der Altväter und die Jahrrechnung in der Sündfluthsgeschichte* in auctoris *biblischen Untersuchungen und Auslegungen*, Erlang. 1819. P. I. p. 1. et *G. Bredow Ueber die hohen Lebensjahre der Patriarchen*, in ejus *Untersuchungen über wichtige Gegenstände der alten Geschichte*, *Geographie* etc. P. I. No. 1. Singulos, qui in hac genealogia recensentur, vitam suam vere ad eum, qui iis assignatur, annorum numerum perduxisse, probare studuit *Car. Christ. Krause*, doctus quondam in alma nostra Lipsiensi Medicus, in Dissertat. *longam hominum antediluvianorum vitam a dubiis vindicante causasque eam praestantes expendente*, secundo auctius et emendatius edita Lips. 1793. in oct. Alexandrini interpretes in annorum numero partim consentiunt cum Hebraeis codicibus, partim ab iis dissentiunt. Consentiunt, si attendas annos vitae. Dissentiunt in eo, quod aliter eos dividant. Sumunt enim, neminem procreare sobolem potuisse ante centesimum et quinquagesimum annum. Hinc, quum Hebraei tribuant Adamo ante Sethum genitum annos CXXX., post genitum DCCC.; Graeci ante Sethum ponunt CCXXX., postea tantum DCC. Prodeunt anni vitae aequales, DCCCCXXX. Itidem Hebraei assignant Setho ante genitum Enosch annos CV., Graeci CCV. Contra sumit Samaritanus, neminem post centesimum quinquagesimum annum patrem fieri potuisse, atque ad hanc rationem annos, quos patres vixisse dicuntur, dividit. Qua de re pluribus disseruit, lectionemque textus Hebraei et Alexandrinae et Samaritanae praeferendam esse, ostendit *J. D. Michaelis* in *Commentatione de Chronologia Mosis ante diluvium*, quae in *Ejus* Commentatt. Societati regiae Goetting. per annos 1763—1768. oblatis *prima* est.

22. וַיִּתְהַלֵּךְ חֲנוֹךְ אֶת־הָאֱלֹהִים *Ambulavit Henochus cum Deo.* Phrasis *ambulare cum aliquo* proprie familia-

rem et amicam cum aliquo conversationem indicat, ut 1 Sam. XXV, 15. כָּל־יְמֵי הִתְהַלַּכְנוּ אִתָּם *toto tempore ambulationis nostrae cum iis*, id est, conversationis; et Ps. XXXV, 14. כְּאָח לִי הִתְהַלָּכְתִּי *quasi frater esset mihi, ambulavi* cum eo, tam familiariter conversatus sum ut frater. Forma Hithpaël Verbi הָלַךְ habet vim frequentativam, vid. Job. I, 7. II, 2. 1 Sam. XXX, 31. al. Sed הִתְהַלֵּךְ אֶת־הָאֱלֹהִים est Deum ceu ducem sectari, ex ejus praescripto unice agere omnia, idem quod הָלַךְ אַחֲרֵי אֱלֹהִים *ambulare post Deum*, Deut. VIII, 19. XI, 28. XIII, 4. 1 Reg. XIV, 8. al. Quo sensu eadem, quae hic, phrasis usurpatur de Noacho ad pietatem ejus exprimendam infra VI, 9. Bene Saadias: سَلَكَ خَنُوخ فِي طَاعَةِ ٱللّٰه *ambulavit Chanoch in obedientia Dei.* Onkelos: וְהַלִּיךְ חֲנוֹךְ בְּדַחַלְתָא דַייָ *ambulavit Chanoch in timore Dei.* Pseudo-Jonathan: וּפְלַח חֲנוֹךְ בְּקוּשְׁטָא קֳדָם יְיָ *et cultum praestitit Chanoch in veritate coram Jova.* Graecus Alexandrinus: εὐηρέστησεν Ἐνὼχ τῷ Θεῷ. Quod sequutus Syrus: ܘܫܦܪ ܠܐܠܗܐ *et placuit Deo.* Similis est phrasis הִתְהַלֵּךְ לִפְנֵי אֱלֹהִים *incedere coram Deo*, infra XVII, 1.

24. Quod repetit, Henochum *cum Deo ambulasse*, non est otiosa ταυτολογία, sed cohaeret cum eo, quod proxime sequitur, indicatque, qualem se gesserit, cui soli obtigerit, quod subjicitur: וְאֵינֶנּוּ *et non fuit*, i. e. quum nondum implesset dimidium annorum vitae, aliis tum concessorum (cujus quippe aetas trecentis sexaginta quinque annis absoluta fuit, Vs. 23.), non amplius inter mortales apparuit. Simili phrasi *Livius* utitur (L. I. c. 16.) de morte Romuli: *nec deinde in terris Romulus fuit.* De Semiramide refert Diodorus Siculus L. II. c. 20., quod ex conspectu hominum sese subduxerit, tanquam migratura ad Deos. Hercules quoque ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη, ut dicit *Lysias Orat. XXXI.* p. 494. De corpore Aspa-

lidis puellae, sibi ipsi, ne tyranno cuidam, Tartarus peregrinis, ob ferociam, dicto, in potestatem veniret, neve ab eo vitiaretur, laqueo gulam frangentis, haec consignavit *Antoninus Liberalis Fab. XIII.* Τὸ δὲ σῶμα τὸ τῆς Ἀσπαλίδος ἐξερευνῶντες πάντα τρόπον, ὅπως κηδεύσωσιν ἐπισήμως, οὐκ ἠδυνήθησαν εὑρεῖν· ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἀφανίσθη κατὰ θεόν. *Corpus vero Aspalidis summa cum cura requirentes* (Melitenses), *quo honeste sepelirent, nusquam invenerunt, quandoquidem illud, volente sic Deo, evanuit.* Conf. Odyss. Δ, 561. כִּי־לָקַח אֹתוֹ אֱלֹהִים *Sumsit enim eum Deus.* Quo loquendi modo sunt, qui nihil aliud indicari putent nisi hoc: Henochum post trecentesimum sexagesimum quintum aetatis annum (praematura illis temporibus morte) obiisse, nec cuiquam locum et genus mortis ejus innotuisse. Illud tamen, quod in commemorando morte ceterorum omnium patriarcharum antediluvianorum Moses constanter dicit וַיָּמֹת *et mortuus est* (vid. Vs. 5. 8. 11. 14. 17. 20. 27. 31.), de Henocho vero, postquam numerum annorum vitae ejus indicasset, illa formula non utitur, et vitae ejus terminum aliis plane verbis designat, satis arguit, oportere illi, cum terris excederet, singulare quid et prorsus extraordinarium prae ceteris contigisse. Jam quum de Elia vivo in coelum sublato idem, quod hic, Verbum לָקַח usurpetur 2 Reg. II, 3. 5. 9. 10., vix dubium est Mosen innuere voluisse, Henochum eodem modo rebus humanis ereptum esse. Nec aliter verba hebraea intellexisse videtur Onkelos: וְלֵיתוֹהִי אֲרֵי לָא אָמִית יָתֵיהּ יְיָ *nec exstitit* amplius; *neque enim occidit eum Jova.* Sed clarius Jonathan: וְהָא לֵיתוֹהִי עִם דַּיָּרֵי אַרְעָא אֲרוּם אִתְנְגִיד וּסְלִיק לִרְקִיעָא בְּמֵימַר קֳדָם יְיָ *et ecce! non amplius erat inter incolas terrae; nam subtractus est, et ascendit in coelum per verbum, quod est coram Jova. Josephus Archaeol.* L. I. Cap. 3, §. 4. Οὗτος, ζήσας πέντε καὶ ἑξήκοντα πρὸς τοῖς τριακοσίοις, ἀνεχώρησε πρὸς τὸ θεῖον· ὅθεν οὐδὲ τελευτὴν αὐτοῦ ἀναγεγράφασι. *Hic* (Henochus) *exactis trecentis sexaginta quinque annis discessit ad Deum, quare obitum ejus in fastos non*

retulerunt. Concinit scriptor epistolae ad Hebraeos XI, 5.: Πίστει Ἐνὼχ μετετέθη τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον. Cf. Sirach. XL, 18. Vita Henochi, ut jam observavimus, brevior fuit quam aliorum patriarcharum ante diluvium. Hujusmodi praematura et subita mors ab omnibus fere antiquis gentibus pro signo divini favoris et praemio eximiae pietatis habebatur. *Aeschines Dial.* 3. (Axiochus, sive de morte) §. 9. Καὶ τοῦτο (propter hujus vitae aerumnas) καὶ οἱ θεοί, τῶν ἀνθρωπίνων ἐπιστήμονες, οὓς ἂν περὶ πλείστου ποιῶνται, θᾶττον ἀπαλλάττουσι τοῦ ζῆν. Conf. Fischeri not. ad loc. et Homer. Odyss. O, 245. seqq. Quodsi homines illis temporibus putabant, Henochum propter pietatem suam a Deo e terra in sedem beatam vocatum esse, certo de futura vita post mortem aliquam notitiam habebant. Ceterum videtur et apud alios antiquitatis populos obscura quaedam Henochi superfuisse memoria, cujus vestigia exstant apud Stephanum Byzantinum in voce Ἰκόνιον, in qua Phrygiae urbe refert ante diluvium vixisse quendam Annacum (nomen detortum ab חֲנוֹךְ *Chanoch*), qui ultra trecentos annos (365) vitam produxerit. Qui autem circum habitabant, consulto oraculo, quamdiu essent victuri, responsum tulisse, hoc mortuo omnes perituros. De eodem Suidas, quem Nannacum, corrupto nomine, vocat. Regem eum fuisse narrat antiquiorem Deucalionis aetate, qui quum futurum diluvium praescivisset, omnibus popularibus in templum congregatis, cum lacrymis supplicasse. Varias hujus, qui de Henocho agit, loci interpretationes, Arabumque (apud quos *Idris* إِدْرِيس vocatur) et Judaeorum de illo mythos referunt *Jo. Drusius* in libello singulari, quem inscripsit: *Henoch, sive de patriarcha Henoch, ejusque raptu et libro, e quo Judas Apostolus testimonium profert,* Franequ. 1615., legitur et in *Critt. S. S.* T. VI. p. 2032. edit. Francof.; *Aug. Pfeiffer* in Dissertat. *de Henocho;* Viteb. 1670. in quat., repetita in Ejus *Operr. philologg.* T. I. p. 519., et *Joa. Heber* in *Disquisit. phi-*

log. exeget. de pietate et fatis Enochi, Bamberg. 1789. in quat. Cf. librum nostrum: *das alte und neue Morgenland*, P. I. No. 17. p. 19.

27. *Metusalah* omnium diutissime vixit, et mors ejus in annum diluvii cadit. Utrum vero ante diluvium obierit, an in aquis diluvii ipsis perierit, non liquet.

29. וַיִּקְרָא אֶת־שְׁמוֹ נֹחַ לֵאמֹר *Et vocavit nomen ejus Noach, dicendo*, q. d. simul causam afferens cur ita eum vocari vellet. זֶה יְנַחֲמֵנוּ מִמַּעֲשֵׂנוּ וּמֵעִצְּבוֹן יָדֵינוּ מִן־הָאֲדָמָה אֲשֶׁר אֵרְרָהּ יְהוָֹה *Hic consolabitur*, recreabit *nos ab opere nostro et a dolore manuum nostrarum ex terra*, ex parte terrae propter terram, *cui maledixit Jova.* In quo dicto est non una difficultas. Primum ratio nominis impositi, quae hic affertur, ipsi nomini non videtur respondere. Nam cum filium suum Lamechus nominat נֹחַ, quod nomen *quietem* sonat, exspectatur, ut nominis rationem allaturus, deinde dicat זֶה יְנִיחֵנוּ, quia *iste quietem dabit nobis*, non autem יְנַחֲמֵנוּ *consolabitur nos.* Nam si de consolatione per filium affutura nomen ei indere voluit, debuit eum נַחוּם seu מְנַחֵם vocare. Nodum secant potius, quam solvunt, qui, uti Grotius, Capellus et Hubigantius, יְנִיחֵנוּ scribendum censent, auctoritate τῶν LXX., qui διαναπαύσει verterunt. Nec admittendum est, quod Jarchi יְנַחֲמֵנוּ exponit dispescendo in duas voces, יָנִיחַ מִמֶּנּוּ *faciet quiescere*, levabit *a nobis opus nostrum et laborem*, quia tum sequi oporteret Accusativum, non Ablativum cum Praepositione מִן. Sed necesse non est, hic servari grammaticam analogiam, quae et alibi violatur, ut supra Cap. IV, 1. in nomine Caini, unde apparet, Hebraeos in illa nominum notatione sensum magis quam verba respexisse. Codex Samaritanus et versiones omnes lectionem textus Hebraei exprimunt. Est igitur hic non tam ratio ex etymo nominis petita, quam allusio vocum, sive παρονομασία, quia Verbum נִחַם et sono et significatione vicinum est nomini נֹחַ, quod *quietem* notat; est enim, ut Aben-Esra observat, consolatio, quies a dolore cordis,

sive, qui consolatur alium, ei quietem conciliat, additque Hebraeos habere in talibus magis rationem sensus, quam verborum. Exemplum affert nomen יְרֻבֶּשֶׁת, quo Gideon 2 Sam. XI, 21. nuncupatur, qui alias יְרֻבַּעַל dicitur, quia idolum בַּעַל, a quo dictus, revera est בֹּשֶׁת *res turpis.* Similiter cum Lea Genes. XXIX, 32. peperisset majorem natu filium suum, dicitur eum appellasse רְאוּבֵן, et dixisse: כִּי רָאָה יְהוָֹה בְּעָנְיִי *nam vidit Deus afflictionem meam*, licet vocabuli עָנְיִי nullum plane vestigium in illo nomine reperiatur. Nec est spernenda *Seb. Ravii* conjectura in *Exercitatt. ad Hubigantii Prolegomm.* p. 101. proposita, maluisse Lamechum potius voce יְנַחֲמֵנוּ, quam יְנִיחֵנוּ, uti, quod illa aptior esset ad illum rhythmum efficiendum, qui in hoc dicto observatur, quem nemo non agnoscat, si verba eo modo, quo invicem sibi respondent, disponamus:

זֶה יְנַחֲמֵנוּ
מִמַּעֲשֵׂנוּ
וּמֵעִצְּבוֹן יָדֵינוּ
מִן הָאֲדָמָה
אֲשֶׁר אֵרְרָהּ
יְהוָֹה׃

Vides, esse in זֶה יְנַחֲמֵנוּ non solum totidem syllabas ac in מִמַּעֲשֵׂנוּ, verum et sub literis quinque postremis easdem vocales. Nec praetermittendum, et Lamechi illius senioris filii Methusaelis, dictum, quod supra IV, 23. 24. affertur, esse rhythmicum. Sed difficilius adhuc restat explicandum, quid sit, quod hic dicitur Noachus solaturus et recreaturus homines a molestia, quam perferebant *ex parte terrae, s. propter terram, cui Jova maledixit?* Non pauci ex Hebraeis, inter quos Jarchi, haec de Noacho dicta volunt, quod quum terra adhuc manibus tantum coleretur, Noachum agriculturae instrumentorumque ruralium, vomerum, sarculorum, aratrorum, et quae huc pertinent, quibus commodior fiat terrae colendae ratio, inventorem fore genitor praesentisceret. Alii haec verba eo referunt, quod usum vini, quo curas suas so-

lent homines pellere, primus introduxit Noachus, IX, 20. 21. Clericus Lamechum censet sperasse, fore, ut nascens filius, postquam adoleverit, sibi sit adjumento in tam operosa agricolatione. Idem tamen et ceteros patriarchas de filiis suis sperasse oportet, nec tam singulare quid erat, quod commemoratu dignum esset. Nos quidem haud dubitamus, respici his verbis ad illud, quod in superioribus repetita vice (III, 17. IV, 12.) dictum est, fuisse terram ob hominum peccata a Deo sterilem redditam, ut nonnisi magno labore adhibito fruges ferat; ominatum igitur esse Lamechum ob pietatem filii sibi nati in melius mutatum iri conditionem terrae, ita ut ad priorem naturam, qua ante peccatum fuerat, sit reditura, et homines se melius sint habituri sub Noacho pio, et alios quoque ad pietatem reducente. Plures alias de hoc loco conjecturas retulit *Theod. Hasaeus* in Dissert. *de oraculo Lamechi ad Gen. V, 29.* Brem. 1712., quae et in *Thesauro novo theolog. philol.* Vol. I. p. 150. seqq. legitur. Sed quod ipse adstruere studet, Lamechum ex suis posteris oriturum sperasse Messiam, qui et in V. T. oraculis tanquam is, qui homines sit consolaturus describatur, et in scriptis Talmudicis quoque מְנַחֵם *consolator* nuncupetur, vix habet, quo sese commendet, quum ejusmodi spem apud se fovisse patriarchas illos, qui ante diluvium vixerunt, nullo argumento probari possit, et totum hoc Lamechi dictum manifeste ad agriculturam et conjunctas cum ea molestias, ob hominum peccata, pertineat.

Cap. VI, 1. וַיְהִי כִּי־הֵחֵל הָאָדָם לָרֹב עַל־פְּנֵי הָאֲדָמָה *Et factum est, quod coeperit homo augescere super faciε terrae.* Sed הָאָדָם patet collective poni ad notandum universum genus humanum. Hic tamen Caini soboles, sive deterior humani generis pars hac voce designari videtur, quia de ea in sequentibus versibus praecipue agitur.

2. וַיִּרְאוּ בְנֵי־הָאֱלֹהִים אֶת־בְּנוֹת הָאָדָם כִּי טֹבֹת הֵנָּה

Et viderunt filii Dei, quod filiae hominum bonae essent, scil. מַרְאֶה *adspectu,* i. e. pulchrae, ut infra XXIV, 16. Rebecca טֹבַת מַרְאֶה vocatur. Sed quinam fuerint, qui בְּנֵי־הָאֱלֹהִים hic nuncupantur, disceptatur ob ambiguitatem nominis אֱלֹהִים. Quum enim id nomen subinde de *magistratibus* usurpetur, ut Exod. XXI, 6. XXII, 7. 8., et Ps. LXXXII, 1. 6. *principes* ita appellentur, haud pauci viros potentes, qui inter alios potentia et opibus praecelluerunt, et rerum gubernacula gesserunt, בְּנֵי־הָאֱלֹהִים hic appellari existimarunt. Ita Symmachum *filios potentum* transtulisse, testis est Hieronymus in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l. Onkelos quoque בְּנֵי רַבְרְבַיָּא, et Saadias atque Arabs Erpenii بَنُو ٱلْأَشْرَافِ *filii magnatum,* interpres Samaritanus בני שלטניה *filii dominatorum.* אָדָם vero quum haud raro, praesertim ubi τῷ אִישׁ opponitur, *plebejos, homines de vulgo* significet (cf. not. ad Jesaj. II, 9.), hoc dici volunt, adeo increvisse illa aetate malitiam, ut etiam principes, judices et magistratus, quorum esset animadvertere in flagitia hominum, omni honestate seposita, quasvis de vulgo mulieres rapuerint, ut suam libidinem explerent. A qua sententia haud longe discedit *S. F. Ritter,* qui in Commentatione super hoc loco inserta *dem Museo für Religionswissenschaft* ab Henkio edito, Vol. II. Partic. 3. p. 450. seqq., בְּנֵי־הָאֱלֹהִים *viros liberos, ingenuos* intelligit, qui sese cum filiabus plebejorum sive servorum commiscuerint. In quam interpretationem plura verissime monuit *H. A. Schott* in Comment. II. *de notione cognationis Dei hominumque in Genesi* p. 10. Sed quum *filiorum Dei* appellatione aliis V. T. locis, veluti Deut. XIV, 1. Ps. LXXIII, 15. Prov. XIV, 26. verum Deum colentes insigniantur, sunt, qui tales et hoc loco indicari putent, et eos quidem, qui inter posteros Sethi fuerint, de quibus et capiendum volunt, quod supra IV, 26. dicitur, tempore Enosi *invocari nomen Jovae coeptum esse.* Ita et Clericus, nisi quod is, interpretationi, quam ipse adoptavit, loci modo comme-

morati convenienter, Sethi posteros *filios Dei* ideo vocari autumet, quod de nomine Dei appellati fuerint; vid. not. ad IV, 26. „Hi," inquit, „collocari sibi optarunt uxores ex iis, quos אָדָם *homines*, aut *filios hominum* peculiari appellatione vocitabant. Quae quidem conjunctio, licet haud illicita, tamen male cessit Sethidis, atque hoc observari a scriptore sacro, ut ex alienigenis petenda non esse matrimonia, vel hoc prisco exemplo Israelitas obiter doceret, haud inepte forte quispiam suspicetur. Vid. et infra XXIV, 3. XXVI, 35. XXVII, 46." Sed quod Clericus *filios Dei* appellari putat Sethi posteros, qui de nomine Dei nuncupati fuerint, nititur falsa loci IV, 26. interpretatione, ut ibi vidimus, unde nec ea, quam hujus loci dedit, interpretatio stare potest. Recte monet Schott in Commentat. laud. p. 9., quemadmodum בְּנוֹת־הָאָדָם, quae *filiis Elohim* opponuntur, consensu omnium interpretum sensu proprio *filiae* dicuntur *hominum* (ab hominibus oriundae), ita et *filios Elohim* sensu proprio ita dictos intelligendos esse. Quum igitur supra II, 9. III, 5. אֱלֹהִים *naturae* sint *supernates, daemones*, בְּנֵי־אֱלֹהִים erunt iis geniti, non ab Adamo ejusque posteris, sed ab illis naturis coelestibus oriundi ἡμίθεοι. Job. I, 6. II, 1. בְּנֵי־אֱלֹהִים faciunt *coelitum concilium*; cf. not. ad Ps. XXIX, 1. p. 754. De naturis humanâ praestantioribus, quales *angeli* vulgo appellantur, hunc locum Hebraei antiqui et scriptores Christiani primorum seculorum magno consensu intellexerunt. In versionis Graecae Alexandrinae codice Vaticano, antiquissimo illo et praestantissimo, et in nonnullis aliis ejusdem versionis optimae notae codicibus, ab Holmesio indicatis, ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ h. l. legitur. *Josephus Antiqq.* L. I. Cap. 4. §. 1. Πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι Θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες, ὑβριστὰς ἐγέννησαν παῖδας, καὶ παντὸς ὑπερόπτας καλοῦ, διὰ τὴν ἐπὶ τῇ δυνάμει πεποίθησιν. *Nam multi angeli Dei cum mulieribus consuescentes, filios genuerunt injuriosos et omnis honesti contemtores propter potentiae fiduciam.* Vid. et *Philonis* librum *de Gigantibus* T. I. p. 262.

ed. Mang. *Lactantii Institutt.* L. II. c. 14. „Quemadmodum," inquit Schott l. l. p. 11., „inter alias gentes de origine hominum, qui robore suo et virtute bellica prae ceteris eminerent, ita judicatum est, ut ex connubiis Deorum hominumque prognati dicerentur, unde apud Graecos et Romanos numerosa illa heroum familia exstitit; ita inter Hebraeos traditio antiqua de נְפִילִים, hominibus corporis statura immani gaudentibus (cf. Vs. 4. Num. XV, 33.), robore summo et fortitudine bellica insignibus (גִּבּוֹרִים Vs. 4.), qui olim in terra inclaruissent, percrebuerat." *Plato* in dialogo, quem *Cratylum* inscripsit, in *Opp.* T. III. p. 260. ed. Bip.: Οὐκ οἶσθα ὅτι ἡμίθεοι οἱ ἥρωες; πάντες δήπου γεγόνασιν, ἐρασθέντες, ἢ θεὸς θνητῆς, ἢ θνητοὶ θεᾶς. *An ignoras, semideos esse heroes? Omnes utique vel ex amore Dei cujusdam erga mortalem feminam, vel ex amore mortalium erga Deas sunt geniti.* Similiter in *Apologia Socratis*, T. I. p. 64. Εἰ δὲ ἂν δαίμονες θεῶν παῖδές εἰσι, νόθοι τινὲς, ἢ ἐκ νυμφῶν, ἢ ἔκ τινων ἄλλων, ὧν δὲ καὶ λέγονται, τίς ἂν ἀνθρώπων θεῶν μὲν παῖδας ἡγοῖτο εἶναι, θεοὺς δὲ μή; *Si vero daemones deorum filii sunt, spurii videlicet, vel ex nymphis, vel ex aliis feminis, quis, quaeso, filios deorum esse putet, Deos vero neget?* Plura hujusmodi vid. in *Gottl. Wernsdorfii Exercitat. histor. crit. de commercio angelorum cum filiabus hominum ab Judaeis et Patribus Platonizantibus credito*, Viteb. 1742. 4. Verbis, quae alterum hujus Versus hemistichium faciunt, וַיִּקְחוּ לָהֶם נָשִׁים מִכֹּל אֲשֶׁר בָּחָרוּ *et ceperunt sibi mulieres ex omnibus, quas delegerunt sibi*, indicari videtur, illos sibi suo arbitratu mulieres cepisse, per vim scilicet, uti sibi visum esset, et uti eas delegissent.

3. וַיֹּאמֶר יְהוָה לֹא־יָדוֹן רוּחִי בָאָדָם לְעֹלָם *Tum Jehova dixit, non judicabit, s. litigabit spiritus meus in homines s. cum homine in perpetuum*, i. e. non perpetuo redarguam homines de peccatis; nil proficio tot admonitionibus, increpationibus et minis, frustra tamdiu eorum vitia redarguo. Ita Symmachus: οὐ κρίνει τὸ πνεῦμά μου τοὺς ἀν-

θρώποις. Vult Moses justam Dei iram ostendere, ex gravissimis causis ortam, non temere conceptam in humanum genus, ut illud delere statuerit. יָדוֹן pro יָדִין, forma, uti videtur, obsoleta. דון, quod h. l. *arguere, reprehendere, admonere* interpretamur, *J. D. Michaelis* in *Suppl. ad Lexx. Hebrr.* P. II. p. 423. 424. ex Arabico دون explicandum putat, quod proprie *inferius*, deinde *vile, contemtum* denotat; ita ut significatione *vilis, contemtus fuit* in verbum Hebraicum translata, totius commatis sensus hic sit: *non feram, ut spiritus meus, per prophetas admonens homines, ab his in perpetuum contemnatur: puniam! mortales sunt! omnes post centum et viginti annos interibunt.* LXX. οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις, quam interpretationem secutus est Vulgatus, consentiuntque Syrus, Onkelos, Saadias, et interpres Persicus. Michaelis l. c. suspicatur, hos omnes דון interpretatos esse *descendere coelitus, versari in terra, habitare in corpore humano;* ita ut eorum sententia haec fuisset: spiritus meus, animae coelestis originis, non in humano corpore habitabunt, ergo totum hoc genus ex hominibus angelisque mixtum, internecione delebo. LXX. enim, ut plerique veterum Interpretum, rati esse videntur, concubitu angelorum cum filiabus hominum gigantas natos esse. Alii alias illius interpretationis rationes afferunt; vid. Commentat. nostr. *de Versione Pentateuchi Persica* p. 19. Cf. *Buxtorfii Anticrit.* p. 638., *Pfeifferi Dubia vexx.* Cent. I. Loc. 22., *P. Buttmann über den Mythos von der Sündfluth*, p. 14. seqq. edit. sec., et *G. B. Winer de versionis Pentateuchi Samaritanae indole*, p. 31. בְּשַׁגָּם plerisque est Particula caussalis ex Praefixis בּ, שׁ, et גַּם composita, sicuti plerique veterum statuerunt; atque verba בְּשַׁגָּם הוּא בָשָׂר sic vertunt: *quia etiam caro est.* Verum ut taceamus, גַּם, *etiam* hic plane otiosum esse, deberet vox ex tribus istis Particulis composita aliis punctis vocalibus instructa esse, et בְּשֶׁגַּם efferri. Accedit, quod hujusmodi Particularum compositiones seriori tan-

tum Hebraismo, seu potius stylo Rabbinico sint propriae. Pluribus refutavit illam de voce בְּשַׁגָּם sententiam *J. F.* **Bernd** in peculiari de hoc vocabulo ejusque significatu *Exercitat. crit. philol.* Hal. 1732. 4., docuitque referendum esse ad radicem שָׁגָה *erravit,* ita ut בְּשַׁגָּם sit Infinitivus Pihel cum Praefixo et Affixo, et cum verbis הוּא בָשָׂר vertendum: *dum errare eos facit caro,* i. e. dum eos in varios libidinis errores abduxit corrupta eorum indoles; quia *carni* laxarunt dominium, et carnis voluptatibus adeo alte sunt immersi, ut emendationis spes plane nulla sit. Ita etiam σάρξ, qua voce LXX. h. l. usi sunt, in N. T. de vitioso et corrupto homine usurpatur. Plura de hoc loco disputavit Schott in Commentat II. supra ad Vs. 2. laud. p. 13. seqq. וְהָיוּ יָמָיו מֵאָה וְעֶשְׂרִים שָׁנָה *Constituo eis terminum centum et viginti annorum;* scil. quo poenitentiam agere possunt. יָמִים, quod de quolibet temporis spatio dicitur, h. l. id spatium temporis est, intra quod homines resipiscere deberent, quo elapso, si vitam nondum mutaverint, a Deo poena afficerentur. Josephus, et post eum alii interpretes, his verbis modo aetatem singulorum hominum definiri putant. Sed videmus non paucos post diluvium, ante Abrahamum maxime natos, illud vitae spatium esse supergressos.

4. הַנְּפִלִים LXX. verterunt *Gigantes,* quos sequutus est Vulgatus. Sunt tamen qui dubitent, an voce illa genus quoddam singulare hominum, altiori, quam solita, statura, significetur. Quum enim נָפַל et *incidere, hostiliter irruere,* denotet, ut Job. I, 15.; נֹפְלִים *irruentes,* dici putant praedones, latrones, qui fortasse equis latrocinia exercerent, ut Arabum hodie multi; ex quo genere etiam Centauri Graecorum fuerunt. Aquila quidem et Symmachus videntur *latrones* intellexisse; hic enim βιαίους, ille ἐπιπίπτοντας vertit. Onkelos גִּבָּרַיָּא *fortes,* et uterque Arabicus interpres الجبابرة reddidit, quod est forma collectivum indicans nominis جبّار, quo nomine non

solum *virum fortem*, verum et *statura aliis eminentiorem*, *gigantem* notari constat, unde idem nomen et de *procera palma*, *quae manu attingi nequit*, atque de *magno et pingui camelo* usurpatur. Verum et Hebraeo נְפִלִים *gigantes*, homines statura valde procera indicari, apparet e Num. XIII, 33. 34., ubi exploratores Hebraei, in Cananaeam missi, narrant, omnem populum, quem in ea terra viderint, esse אַנְשֵׁי מִדּוֹת *procerae staturae homines*, adduntque, se ibi vidisse et אֶת־הַנְּפִילִים *Nephilaeos*, *filios Anac* מִן־הַנְּפִלִים, „quibuscum collati," inquiunt, „visi nobis fuimus locustarum instar, quales etiam illis videbamur." Ubi observa, vocem נְפִילִים plene scriptam, quae prior legitur, esse nomen proprium gentis, alteram vero, defective scriptam, ut hoc Geneseos loco, esse appellativum et notare *gigantes*, qui quidem ab *irruendo* (נָפַל vid. supra), utpote violenti praedatores, dici potuerint. Nec tamen repudianda sententia eorum, qui נְפִלִים *defectores*, *apostatas* proprie notare existimant, a *deficiendi* significatu, quem verbum נָפַל 2 Reg. XXV, 11. Jerem. XXXVII, 13. 14. XXXVIII, 19. obtinet. Syris quoque ܢܦܠܐ est *apostata*, qui a Deo defecit. Tales enim erant illi, qui hic Nephilim vocantur, similes Gigantibus seu Titanibus ethnicorum, qui, uti Lucianus in *Dea Syra* dicit, ὑβρισταὶ κάρτα ἐόντες ἀθέμιστα ἔργα ἔπρασσον, *quum perquam insolentes essent*, *nefaria facinora perpetrarunt*. *Josephus Antiqq.* L. I. Cap. 3. §. 1. post verba supra ad Vs. 3. allata addit: ὅμοια γὰρ τοῖς ὑπὸ γιγάντων τετολμῆσθαι λεγομένοις ὑφ᾽ Ἑλλήνων, καὶ οὗτοι δρᾶσαι παραδίδονται, *iis enim*, *quae Gigantes ausos esse tradunt Graeci similia et isti perpetrasse dicuntur.* Malim tamen adstipulari *J. G. Hassio*, qui in *den Entdeckungen* etc. P. II. p. 62. Not. נְפִלִים, a נָפַל *cadere*, *deciduos*, *dejectos*, βεβλημένους, dici arbitratur, quod, Titanum instar, de coelo fuissent deturbati. Concinit Jonathan, qui hoc loco pro הַנְּפִלִים haec posuit: שַׁמְחַזַאי וְעוּזִיאֵל הִינּוּן נְפִילִין מִן שְׁמַיָא *Schamchazzai et Uziel*, *qui*

qui de coelo sunt dejecti. Plura quae ad hunc mythum pertinent ex scriptis Judaicis attulit *Eisenmenger* in opere quod inscripsit: *entdecktes Judenthum*, T. I. p. 380. Ceterum cf. ***Michaelis** Supplemm.* p. 2005. et ***Hugii*** libellum, *die mosaische Geschichte des Menschen,* p. 99. Pergit Moses: וְגַם אַחֲרֵי־כֵן אֲשֶׁר יָבֹאוּ בְּנֵי־הָאֱלֹהִים אֶל־בְּנוֹת הָאָדָם וְיָלְדוּ לָהֶם *et etiam postea cum filii Dei ingrederentur ad filias hominum,* cum iis concumberent, *pepererunt iis* scil. filios, eandem nominis בָּנִים ellipsin vid. supra Vs. 3. אַחֲרֵי־כֵן Aben-Esra interpretatur אחר המבול *post diluvium*, observatque respici ad Enakaeos, quos Moses Num. XIII, 33. gigantibus, מִן־הַנְּפִלִים, oriundos describit. אֲשֶׁר hic valet *quum, quando*, ut infra XXX, 38. Jos. IV, 21. et saepius, vel *postquam*, ut Levit. VI, 3. Num. XXXII, 23. Pro Particula causali capit h. l. אֲשֶׁר Onkelos דִּי יָעֲלוּן, nec non Syrus, ܡܛܠ ܕܥܠܘ, et Saadias, لأنّ, *quoniam ingressi sunt*, quod minus probandum. Addit: הֵמָּה הַגִּבֹּרִים אֲשֶׁר מֵעוֹלָם אַנְשֵׁי הַשֵּׁם *hi sunt illi potentes, qui a longo inde tempore viri nominis*, celebres. גִּבּוֹר *valde validus, vir fortis, heros.* Verum in hoc nomine non sola laus est fortitudinis, sed et aliqua violentiae et caedis nota, ut Ps. LII, 3. *quid de malo patrato gloriaris*, הַגִּבּוֹר *parricida*, et Ps. CXX, 4., ubi lingua delatoris comparatur cum חִצֵּי גִבּוֹר, *sagittis parricidae.* שֵׁם hic *famam* designat, sicut *nomen* pro *fama* etiam Latinis usitatum est. Itaque אֲשֶׁר מֵעוֹלָם אַנְשֵׁי הַשֵּׁם sunt *famosi illi antiqui orbis tyranni.* Cf. *J. H. **Starkii** Nott. selectt.* ad h. l., ubi plures hujus Versus explicationes recensentur et dijudicantur.

5. וְכָל־יֵצֶר מַחְשְׁבֹת לִבּוֹ רַק רַע *Et omne figmentum cogitationum cordis ejus tantum malum.* יֵצֶר *omne id quod fingitur*, proprie *de operibus fictilibus* dicitur, deinde ad *animum* refertur, et *cogitationes*, *consilia*, *machinationes* denotat, ut h. l. Eadem significatione occurrit 1 Chron. XXVIII, 9. XXIX, 18. לֵב apud Hebraeos

et *cor* et *animum* significare, ut κῆρ, καρδία et ἦτορ in N. T., notum est. רַק רַע, *nil aliud praeter malum.* כָּל־הַיּוֹם, per *omne vitae tempus*, ὅλην τὴν ἡμέραν, Rom. VIII, 36.

6. וַיִּנָּחֶם יְהוָֹה *Poenituit Jovam*, est loquendi modus, qui dicitur antropopathicus, quia, quod homines facere solent, si eos operis facti poenitet, ut illud improbent et deleant, id Deus fecit. וַיִּתְעַצֵּב אֶל־לִבּוֹ Et *doluit apud se*, idem fecit, quod faciunt homines cum dolent propter quidpiam, quod factum nollent.

8. וְנֹחַ *Noachus tamen*, ו hic vim particulae exceptivae habet. מָצָא חֵן בְּעֵינֵי יְהוָֹה *Invenit gratiam apud Jehovam*, loquendi forma in V. T. perquam frequens quae piam et probam vitam designat.

IV. *Jova Noacho diluvium futurum adnunciat eique mandat, ut navigium exstruat* (VI, 9—22.). *Describitur diluvium magnum, quo omnia perierunt, exceptis Noacho ejusque familia et animalibus, quae navigium Noachi intraverant* (VII.). *Finito diluvio Noachus cum suis navigio egressus Deo sacra facit* (VIII.). *Deus pangit foedus cum Noacho* (IX, 1—7.). *Noachus mala imprecatur Canaani et moritur* (IX, 18—29).

Novi Capitis initium designant verba in fronte posita: אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת נֹחַ, quae vertenda sunt: *haec est historia Noachi*; nam תּוֹלְדוֹת hic eodem, quo supra II, 4. sensu capiendum esse, res ipsa docet, quum nomina trium filiorum Noachi Vs. 10. minime totius hujus pericopes argumentum constituere possint. Observat et Aben-Esra, תּוֹלְדוֹת hic notare הקורות כטעם מה ילד יום וכמוהו אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת יַעֲקֹב *eventa, quasi: quae peperit dies, ut infra* XXXVII, 2., i. e. totam seriem et historiam rerum ab aliquo actarum, et quae ei aut ejus tempore contigerunt. Salomo Ben-Melech tamen voce תּוֹלְדוֹת non proprie *eventa* significari dicit, sed adhiberi de illis propterea, quod illa simul cum generationibus eadem operâ describuntur. Prorsus vero convenit epigraphe illa argumento; quae enim hoc Capite leguntur omnia et singula spectant ad Noachum.

Si in qua alia, tum maxime in hac pericopa manifesta deprehendi indicia duorum, ex quibus illa coagmentata sit, monumentorum, statuunt plerique recentiorum post Astrucium; alternantem videlicet nominum Dei, אֱלֹהִים et יְהוָה, usum, frequentes earundem rerum repetitas com-

memorationes, et certas loquendi formulas, quae alterutri illorum scriptorum sint propriae, satis illud arguere, earumque notarum ope, quae cujusque illorum sint, discerni posse arbitrantur. Duo ista monumenta invicem discreta, et primae, uti volunt, formae suae restituta exhibent *Astruc* in libro: *Conjectures sur les memoires originaux de la Genese,* p. 47. seqq.; *Eichhorn* in Commentatione, quam inscripsit: *Ueber Mosis Nachrichten von der Noachischen Fluth, in Repertorio für bibl. und morgenl. Literat.* P. V. p. 185. seqq.; translata deinceps maximam partem in auctoris *Einleit. in das A. T.* P. II. p. 304. seqq. edit. tert.; *J. C. Gatterer Weltgeschichte in ihrem ganzen Umfang* (Götting. 1785.) P. I. p. 11. seqq.; *C. D. Ilgen die Urkunden des ersten Buchs v. Moses* etc. p. 31. seqq. 47. seqq.; *P. Buttmann über den Mythos v. der Sündfluth,* p. 6. seqq. edit. sec.; et *C. G. Kelle die h. Schriften in ihrer Urgestalt,* P. II. p. 92. seqq. et p. 101. seqq. Sed quam parum certi duces sint illae notae ad discernenda duo, e quibus hanc pericopam compositam esse volunt, monumenta; illud ostendit, quod Seviri isti in secernendi negotio, quod susceperunt, mirum quantum inter se discrepant. Saepe enim quae unus assignat monumento veteri ei, in quo nomen *Elohim* usurpatur, eadem alter tribuit alteri monumento, cujus auctor nomine *Jehova* uti solet, et contra. Est praeterea aliud, quod omne illud, quod viri illi docti sumunt de duobus monumentis in hac pericopa inter se junctis, suspectum facit. Aut enim Geneseos scriptor illa monumenta integra invicem coagmentavit, aut ex utroque nonnulla duntaxat selegit, quae inter se conjunxerit. Hoc si sumas, mirum erit, cur non repetitiones et ἐναντιοφανείας omiserit; illud vero, apparebit in utroque monumento seorsim sumto narratio manca et hiulca, quod demonstrarunt *D. J. Koeppen* in libro qui inscribitur: *die Bibel, ein Werk der göttlichen Vorsehung,* P. II. p. 468. seqq. edit. sec., et *J. G. Hasse* in *den Entdekkungen,* P. II. p. 224. seqq. et p. 241.

Cap. VI, 9. נֹחַ אִישׁ צַדִּיק תָּמִים הָיָה בְּדֹרֹתָיו *Noachus vir rectus et integer fuit in aetatibus suis*, i. e. inter aequales suos. דּוֹר enim, quod primum *temporis longiorem orbem, seculum* significat (ut ostendit Michaelis in *Supplem. ad Lex. Hebr.* P. II. p. 429.), etiam denotat tempus, quo iidem homines vivunt, *aetatem, generationem*, eo, quo historici tres fere generationes uni dare seculo solent, sensu (*Menschenalter*). Haec est usitatissima hujus vocabuli significatio, unde et factum, ut LXX., sicuti h. l., ita plerumque id γενεὰν vertant. De sensu formulae אֶת־הָאֱלֹהִים הִתְהַלֶּךְ־נֹחַ vid. not. ad Cap. V, 22. De תָּמִים vid. not. ad Ps. XV, 2.

10. Nomina trium filiorum Noachi, quae jam supra V, 32. in fine tabulae genealogicae decem patrum antediluvianorum consequutionis causa commemoraverat, hic initio novi Capitis, quo Noachi historiam traditurus est, repetenda duxit, ut lectorum memoriae consuleret.

11. Quod dicit, *corruptam esse terram*, וַתִּשָּׁחֵת הָאָרֶץ, i. e. homines terrae, לִפְנֵי הָאֱלֹהִים *coram Deo*, sunt qui intelligant, eos palam peccasse. Sed Aben-Esra ita capit: ut servus, qui praesente Domino ei rebellat et ejus praesentiam non reformidat, eum contemnit. Fiunt autem omnia *coram Deo*, quia omnia, quae hic fiant, videt.

12. Hoc Versu idem, quod in antecedente dictum erat, repetitur, non profecto, quod auctor alterius monumenti verba retinuerit, quod nec ii sumunt, qui hanc narrationem e duobus monumentis compositam volunt, quum utroque hoc Versu nomen אֱלֹהִים usurpetur, sed est περισσολογία quaedam, qualis vetustissimis scriptoribus haud infrequens. כִּי־הִשְׁחִית כָּל־בָּשָׂר אֶת־דַּרְכּוֹ *Quia corrupit omnis caro viam suam*; „hoc est, omnes homines, in quos solos corruptio ejusmodi cadit, ut Deut. V, 23. Ps. CXLV, 21. Joel III, 1. Quanquam vox *caro* universa earum naturarum genera, quae carne constant, adeoque omnia animalia complectitur; attamen homines,

qui ceteris omnibus praestant, velut κατ' ἐξοχὴν ita appellantur. Sic et supra III, 20. *mater omnium viventium* dicitur, quae hominum omnium fuit. Apud Arabas etiam بَشَرٌ *homines* passim signat." *Cleric.*

13. קֵץ כָּל־בָּשָׂר בָּא לְפָנַי *Adest finis omnis carnis apud me*, i. e. jam constitui, ut brevi omnes homines intereant. קֵץ LXX. καιρὸς, Aquila et Symmachus melius τέλος et πέρας verterunt. מִפְּנֵיהֶם, *ab iis*, LXX. ἀπ' αὐτῶν. וְהִנְנִי מַשְׁחִיתָם אֶת־הָאָרֶץ vertunt nonnulli: *auferam eos e terra;* אֵת enim pro מֵאֵת positum volunt, ut infra XLIX, 25. 2 Reg. XXIII, 35. At LXX. καὶ τὴν γῆν, similiter Onkelos: עִם אַרְעָא *una cum terra.* Ita et Aben-Esra, מַשְׁחִית ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetens, quasi esset: *perdam eos*, perdam et *terram.* Ea tamen diluvio non fuit perdita quoad substantiam, sicut homo. Recte Syrus ܥܠ ܐܪܥܐ *super terram* reddidisse videtur. Valet enim אֵת nonnumquam idem quod עַל, ut 1 Reg. IX, 25. Ps. LXVII, 2., coll. XXXI, 17.

14. עֲשֵׂה־לְךָ תֵּבַת עֲצֵי־גֹפֶר *Fac tibi arcam arborum s. lignorum Gopher*, exstrue tibi arcam e lignis Gopher. Vocem תֵּבָה, quae praeter hanc de eluvione Noachica narrationem duntaxat Exod. II, 3. 5. legitur de juncea fiscella, pice et bitumine illita, in qua infans expositus est Moses, Graecum Alexandrinum interpretem, consentientibus ceteris veteribus recte κιβωτὸν reddidisse, docet consonum Aethiopum תָבֹת, et Arabum تَابُوتٌ, quod utrumque *arcam* signat. Josephus quoque *Antiqq.* L. I. Cap. 3. §. 2. et, qui ab eo laudatur, Nicolaus Damascenus, voce λάρναξ utitur, quod item *arcam* indicat, hic vero, re ipsa flagitante, navigii genus absque remis et velis, arcae in modum constructum textumque, unde nonnulli veterum תֵּבָה *navem* interpretantur. Berosus, a Josepho l. l. §. 6. excitatus, πλοῖον habet. Versio Samaritana, עבד לך ספינה, *fac tibi navem.* Abulfeda in de-

scriptione urbis Nesibis, سفينة نوح, *navis Noae.* Clericus putat nomen תֵּבָה explicandum esse ex Chaldaico תוּב ejusdem cum Hebraico שׁוּב significationis, quod non solum *redire*, verum et *habitare* esse vult, unde תֵּבָה sit *habitatio*, uti a צוּד est צֵידָה *venatio*. *J. R. Forstero* in libro *de Bysso antiquorum*, p. 113. תֵּבָה compositum videtur ex Coptico *Dsoi* vel *Thoi*, *navis*, et *Bai* vel *Bith palmarum ramus*, ut sit *navis ex palmarum ramis confecta.* Quae originatio, si quoque loco Exod. II, 3. apta esset, nostro tamen non convenit. Cf. *J. D. Michaelis Orient. Biblioth.* P. X. p. 190. XVIII. p. 20., et *J. G. Te Water* in Append. ad *Jablonskii Opuscula* P. I. p. 432. Praeterea nec Clericus dissimulat, et ipsos ethnicos inter alias antiquae famae reliquias de eo, qui e diluvio evaserat, et illud servasse, eum ἐν λάρνακι *in arca* salutem invenisse. Vid. *Grotii* notas ad suum *de veritate religionis Christ.* librum, L. I. §. 16. p. 68. ed. Jen., et *P. Buttmann über den Mythos der Sündfluth*, p. 28. ed. sec. De עֲצֵי־גֹפֶר interpretes variare non est mirum, quum גֹּפֶר nec in codice Hebraeo recurrat, nec in dialectis cognatis exstet. Graecus Alexandrinus vertit ξύλα τετράγωνα, quae *Is. Vossius* in Dissert. *de LXX. Interpretibus* Cap. 12. non *ligna quadrata*, sed *arbores quadrangulas* reddenda esse contendit. Iis autem pinum, abietem, cedrum pinastrum, piceam et sapinum comprehendi ait, quarum arborum materia fabricandis navibus praecipue apta fuerit. Cur vero illae *quadrangulae arbores* dicantur, causam comminiscitur hanc, quod, quum ceterarum arborum rami inaequali admodum situ et ordine e truncis suis prodeant, soli propemodum praedictarum arborum rami ita aequaliter sese exerant, ut quaterni simul explicentur et paribus a terra intervallis, instar quatuor brachiorum, pares quoque conficiant angulos. Nec alias arbores signari Hebraeis vocibus עֲצֵי־גֹפֶר putat; nam גֹּפֶר haud diversum esse a כֹּפֶר quod *picem* et *resinam* denotat, ut igitur *arbores resiniferae* indicentur. Sed *Hillerus* in *Hierophyt.* P. I. p. 376.

Graecum interpretem potius ligna asciis in quadrum figurata intellexisse dicit, a quo non multum discedat vulgatus Latinus interpres, qui *ligna laevigata* posuit, probante Hillero, quia גֹּפֶר per metathesin literarum ר et ף idem sit quod גרף, *dedolatum, seu runcina laevigatum.* Onkelos vertit קַדְרוֹם *cedrus*, Syrus ܩܕܪܘܣ, quod Castellus *juniperum*, J. D. Michaelis ad Castelli Lexic. Syriac. a se editum, *cedrum* notare putat, Arabs uterque شَشْار, quod alii *juniperum*, alii *buxum*, alii *cyparissum* interpretantur. *Nic. Fullerus* in *Miscellann. SS.* L. IV. Cap. 5., *Bochartus* in *Phaleg.*, L. I. Cap. 4. p. 25. *Celsius* in *Hierobot.* P. I. p. 328., et *Hasse* in *den Entdeckungen* P. II, p. 78. not. argumentis non contemnendis probare studuerunt, גֹּפֶר esse *cupressum*, sive *cyparissum*, primum ob nominis similitudinem, si enim ἀπὸ τοῦ κυπαρίσσου terminationem sustuleris, κύπαρ et γόφερ parum different; deinde quod alia materia firmior non sit adversus cariem et tineas, unde forsan factum, ut codicis Vaticani Scholiastes ἐκ ξύλων ἀσήπτων interpretatus est; tum apta est cupressus, ut Bochartus potissimum probavit, ad naves conficiendas; denique circa Babyloniam, ubi primae generis humani sedes fuere, et potissimum in Adiabene, ingens fuit cupressorum copia, unde Alexander integram classem aedificavit, teste Arriano, Lib. VII. Levia sunt quae huic sententiae opposuit *J. D. Michaelis* in *Supplemm.* p. 346., nec quod ipse sumit, עֲצֵי־גֹפֶר esse *arbores adultas*, optimae et plenae aetatis, collato Arabico جَفَرَ *amplus fuit, incrementum cepit,* verisimile, quum id nimis sit generale. Verba קִנִּים תַּעֲשֶׂה אֶת־הַתֵּבָה *nidos facies arcam*, Hieronymus reddidit *mansiunculas in arca facies.* Recte Salomo Ben-Melech in h. l.: קִנִּים *sunt habitacula divisa, quemadmodum faciunt columbis;* in quae claudenda erant animalia. וְכָפַרְתָּ אֹתָהּ מִבַּיִת וּמִחוּץ בַּכֹּפֶר *Eamque intus et foris pice obduc.* כֹּפֶר plane convenit cum Arabico كُفْرٌ *pix qua*

picantur naves; nec opus est, cum Ludovico de Dieu ad h. l. conferre Arabicum كافور (כאפור) *camphora,* quae species est resinae sive bituminis.

15. Longitudo arcae CCC., latitudo L., et altitudo XXX. cubitorum definitur. In quibus dimensionibus magnopere laborarunt interpretes, cubitos, quia juxta modum vulgarem sumendo non putabant capiendis omnium generum animantibus et alimentis in annum sufficere, ampliantes, adeo ut quidam cubitum novem pedum esse voluerint. Sed vanas esse hujusmodi disquisitiones, etiamsi ad historicae narrationis veritatem exigenda haec essent, nemo non intelligit, quum mensuras pro diversitate regionum et temporum variari constet. Cf. quae Vater notavit in Commentario p. 73.

16. צֹהַר plerique interpretes *fenestram* vertunt Hieronymum sequuti, qui hanc vocis expositionem a magistro suo Hebraeo accepisse videtur; consentiunt enim in illa Hebraei. Nec aliud intellexerit Symmachus, qui διαφανὴς *pellucidum* vertit. Huic tamen interpretationi *A. Schultens* in *Specim. Observatt. in V. T.* ad h. l. vere opposuit, primo quidem, צֹהַר pro *fenestra* nusquam, neque in vicinis etiam linguis, apparere, deinde, absurdum esse, sumere, unicam tantum fenestram in tantae molis aedificio fuisse, unius tantum cubiti altitudine; verba enim, quae sequuntur, אֶל־אַמָּה תְּכַלֶּנָּה, *ad cubitum perficies illud,* haud dubie ad צֹהַר referenda esse, ut plura hujus formae nomina sunt feminina. „Est autem a vero quam remotissimum, molem trecentos cubitos longam, quinquaginta latam, triginta profundam, in tres contignationes distinctam, in plura loculamenta divisam etiam, unicae fenestrae subsidio, permagnam etiam, aëri vitali et lumine potuisse repleri.“ Hanc absurditatem animadvertentes alii צֹהַר *lumen* interpretati sunt, ut Onkelos et Samaritanus, qui voce נְהוֹר usi sunt, ad significationem nominis צָהֳרַיִם *meridies* respicientes. Ex hoc generali mandato facile intellexisse Noa-

chum dicunt, opus esse necessariis adminiculis, quibus sufficientem singulis contignationibus lucem in arcam intromitteret. Hanc tamen interpretationem non admittit quod de צֹהַר dicitur esse cubitale faciendum. Quae quum ita sint, praeferenda omnino Schultensii sententia, nomine צֹהַר *tectum* arcae notari, idque devexum, quo imber facile dilaberetur, collato Arabico ظَهْر *dorsum*, quod dein ad gibbosas et elatas partes, tecta etiam aliaque devexa notandum transfertur. Unde hunc locum ita transfert: *tectum facies arcae illudque ad cubitum perficies superne.* „Altitudo tantum," addit, „istius tecti indicatur Noacho; facile enim intelligebat, tectum arcae imponendum ejusdem cum ea longitudinis et latitudinis esse debere; altitudo autem fuit unius tantum cubiti, quae mensura apta est et sufficiens ut culmine paulatim fastigiato, et in angulo obtuso desineret, quo arca idonea redderetur diffundendis ab utroque latere imbribus. In hunc sensum vertisse puto LXX. interpretes: ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτὸν, *colligens*, i. e. contrahens superne *facies arcam.*" Minus arridet quod J. D. Michaelis tam in *Bibl. Orient.* P. XVIII. p. 26. quam in *Supplemm.* p. 2070. *dorsi* nomine *convexitatem navis* intelligendam putat, quae aquis innatat (*den Bauch des Schiffes*), ut jubeatur Noachus navigium subtus convexum facere, non quadratum, ut arcam. תַּחְתִּיִּם שְׁנִיִּם וּשְׁלִשִׁים תַּעֲשֶׂה *Inferiora, secundana et tertiana facies* scil. navem; i. e. tres construes contignationes, infimam, mediam et supremam, in quas animalia et victus ad ea sustentanda distribuenda erant. תַּחְתִּיִּם *Inferiora* scil. *tabulata*, quod etiam apud שְׁנִיִּם וּשְׁלִשִׁים suppleri debet. LXX. κατάγαια, διώροφα καὶ τριώροφα. *Joa. Buteonis* liber *de arca Noae*, qui primum prodiit in Operibus ejus, Lugd. 1554. in quat. et *Matth. Hosti Inquisitio in fabricam arcae Noae*, Frcof. 1575, in oct. leguntur in Tomo *sexto* Criticorum sacrorum, Francofurti ad Moen. 1696. editor.

17. וַאֲנִי הִנְנִי מֵבִיא אֶת־הַמַּבּוּל מַיִם עַל־הָאָרֶץ *Nam ecce ego venire faciens*, adducturus sum, *diluvium, aquas*, seu ante מַיִם repetendum est מַבּוּל sine ה articuli, quum nomini regenti praemitti Articulus non solet, ut sit: *diluvium, diluvium*, inquam, *aquarum*. Supra Vs. 7. Deus in universum tantum comminatus fuerat, se perditurum omnes homines, nec tamen, quo exitii genere id esset facturus, commemorarat. Quum autem interim jusserit Noacho, ut arcam aedificaret tam operosam, dubitare is poterat, quorsum tantum laborem esset suscepturus; nunc consilium suum et causam hujus praecepti de arca facienda ei aperit; sibi constitutum esse, homines ceteros aquarum eluvione perdere, et eum solum hac ratione in arca servare.

18. וַהֲקִמֹתִי אֶת־בְּרִיתִי אִתָּךְ *Pangam foedus meum tecum*, tibi hoc promitto. Vox בְּרִית (a בָּרָה *dissecuit*, ob *dissectionem animalium* in pangendis foederibus usitatum, cf. infra XV, 10.) ubi de hominibus solis sermo est, quaslibet conventiones aut pactiones mutuas significat; at ubi de Deo agitur, saepe aut sponsiones aut leges notat. Hoc loco mera est *sponsio*, qua Deus Noachi ejusque familiae salutem curae sibi futuram esse, pollicetur, tacitam et necessariam obsequii a Noachi parte exigens conditionem.

19. שְׁנַיִם מִכֹּל *Bina de omnibus*, i. e. de singulis animalibus singula paria. לְהַחֲיוֹת אִתָּךְ *vivifices* scil. illa *tecum*, i. e. ut ea viva tecum serves.

Cap. VII, 1. וַיֹּאמֶר יְהוָה לְנֹחַ *Dixitque Jova Noacho*, scilicet imminente diluvio, quo tempore effluxerant CXX. anni, de quibus ad VI, 3., cum aedificata jam esset arca.

2. Supra VI, 19. in genere tantum dixerat de binis animalibus ex unaquaque specie, nunc addit novum praeceptum de animalibus mundis ultra superius de binis ex quoque genere sumendis. מִכֹּל־הַבְּהֵמָה הַטְּהוֹרָה תִּקַּח־לְךָ שִׁבְעָה שִׁבְעָה *Ex omni bestia munda sume tibi septem*

septem, i. e. septena, אִישׁ וְאִשְׁתּוֹ *virum et uxorem ejus*, i. e. marem et feminam. בְּהֵמָה Clericus observat hic omnia terrestria animalia, parva, magna significare, quamquam alias majora solet designare. „In hac tota historia בְּהֵמָה, חַיָּה, רֶמֶשׂ modo confunduntur, modo distinguuntur, unde quae veterum Hebraeorum esset ἀκυρολογία colligere est." Vocibus שִׁבְעָה שִׁבְעָה volunt nonnulli, inter quos Clericus, *septem paria*, i. e. quatuordecim ex unaquaque mundorum animalium specie designari. Verum solent Hebraei per voces repetitas cujuscunque generis non duplicare rem, sed distribuere eundem numerum expressum singulis speciebus, vid. e. c. Num. III, 47., uti recte observat *J. A. Danz* in *Interprete Ebraeo-Chald.* p. 23. ed. Tymp., plura alia isti interpretationi obvertens. In capiendis animalibus mundis jubet servare numerum septenarium, ut sacrum et mysticum. Sic Num. XXIII, 1. Bileamus jubet septem altaria construere, septem tauros offerre, et alia septena. Et infra Vs. 4. septem dies Noacho praescribit Deus, intra quos sit diluvium adducturus. Ex animalibus, quae non sunt pura, Noachus jubetur in arcam recipere שְׁנַיִם *bina*, marem et feminam, ut diserte additur, non: *bina paria*, quod esset שְׁנַיִם שְׁנַיִם, uti hic habet textus Samaritanus, quocum Graecus Alexandrinus et Vulgatus consentiunt. Praeterea pro אִישׁ וְאִשְׁתּוֹ, in fine Versus, codex Samaritanus habet זָכָר וּנְקֵבָה *masculum et feminam*, uti est Vs. 3. 9. Vix dubium, esse glossema, quia vocabula, quae in nostris codicibus leguntur, ad humanam speciem proprie pertinent. Plura autem de mundis, quam immundis animalibus Noachus in arcam recipere jubetur, quod illa hominibus majori sunt usui. Ceterum innuere voluisse videtur, qui haec literis consignavit, discrimen inter animalia munda et immunda, quod postea lege Mosaica sancitum est, fuisse jam in orbe primo servatum.

3. Post הַשָּׁמַיִם in codice Samaritano additur הַטְּהֹרָה, quod etiam legerunt LXX. et Syrus. Verum non opus est hoc additamento, quum, ut ostendit *Michaelis*

(*Einleit. in die göttl.* |*Schriften des A. B.* P. I. Sect. I. §. 49. p. 241. 242.), sponte quisque intelligat, necesse fuisse, ut utriusque generis aves (et mundae et immundae), servarentur. Praeter illud הַטְּהֹרָה LXX. Samaritanus et Syrus et haec addunt: *καὶ ἀπὸ πάντων τῶν πετεινῶν τῶν μὴ καθαρῶν δύο δύο ἄρσεν καὶ θῆλυ.* At haec manifeste a glossatore sive librario quodam, qui hunc Versum simillimum praecedentis facere voluit, inserta sunt; id quod etiam הַטְּהֹרָה additum suspectum reddit.

4. כִּי לְיָמִים עוֹד שִׁבְעָה *Quia ad*, i. e. intra, vel potius *post dies adhuc septem,* ל significat *post*, ut 2 Sam. XIII, 23. Jerem. XXII, 4. et saepius. Voce עוֹד denotatur, diluvium coepturum esse non intra septem dies, sed iis demum elapsis, ut Joh. III, 4. Pluviam se demissurum super terram dicit Deus אַרְבָּעִים יוֹם *quadraginta dies* totidemque noctes. De numero quadragenario, qui in V. et N. T. saepe pro indefinito ponitur, vid. *P. J. Bruns* peculiarem Commentationem in *den Memorabilien* P. VII. p. 53. et quae notavimus ad Ezech. IV, 6. Pro כָּל־הַיְקוּם *omne quod subsistit* Jonathan posuit כָּל גְּוִיַּת אֱנָשׁ וּבְעִיר *omne corpus hominis et jumenti.* Minus commode Graecus Alexandrinus *ἀνάστημα* vertit, cum respectu ad radicem קוּם stare.

9. שְׁנַיִם שְׁנַיִם *Duo duo*, i. e. bina; unde Clericus liquere putat, esse supra Vs. 2. per שִׁבְעָה שִׁבְעָה *septem paria* mundorum animalium intelligenda. Sed observat Danz l. l., patere quidem ex hoc loco, par unum e qualibet animantium specie introiisse, sed non opus esse, ut inter septem tria sint paria. „Unum sufficit, praeter quod in puris insuper quinque superaddita sine respectu ad sexum et ad copulationem mutuam, quae ad victum faciebant et victimam, cui mares magis erant apti."

11. בַּחֹדֶשׁ הַשֵּׁנִי *Mense secundo*, i. e. Novembri, ex *Lud. Cappelli* computatione in *Chronologia sacra.* Ante exitum ex Aegypto Israelitae annum incipiebant ab Octobri mense, qui postea ab eis *Tisri* vocabatur; cujus

initium in XXII, Septembris incidebat. Secundus mensis fuit *Marohesvan*, cujus primus dies nobis est Octobris XXI. Decimus septimus igitur dies mensis Hebraeorum secundi erit VI. Novembris. Hoc vero anni tempore circa Virgiliarum occasum, in Orientis regionibus copiosi imbres decidere solent. נִבְקְעוּ כָּל־מַעְיְנוֹת תְּהוֹם רַבָּה *omnes abyssi magni fontes proruperunt*, i. e. Oceanus per continuos imbres intumuit et magnam terrae partem inundavit; accedebat aquarum sub terra latentium proruptio. תְּהוֹם supra I, 2. aquam, qua omnia initio tegebantur, notavit; alias nunc significat *mare*, ut Ps. XXXIII, 7. Prov. VIII, 27. 28., nunc aquas subterraneas, ut Deut. VIII, 7. Ezech. XXXI, 4. Hic vero additum רַבָּה *mare magnum* seu Oceanum intelligi oportere ostendit, ita tamen, ut nec aquae subterraneae sint excludendae. אֲרֻבֹּת הַשָּׁמַיִם נִפְתָּחוּ *Et fenestrae coeli patuerunt*, quod Dathius recte interpretatur, *nubes immensam aquarum vim effuderunt*. אֲרֻבֹּת, quod proprie *fenestras* denotat, LXX. καταῤῥάκται verterunt, Aquila et Symmachus θυρίδες. Denotantur agmina aquarum e concretis nubibus effusa.

13. בְּעֶצֶם Pronominis significationem hic habet, ut saepe, notatque *hoc ipso die*, scilicet eo, quem Vs. 11. noster dixit.

14. וְכָל־הָעוֹף לְמִינֵהוּ כֹּל צִפּוֹר כָּל־כָּנָף *Et omnis volucris pro specie sua, omnis avicula, omnis ala.* Ex Clerici quidem et aliorum interpretum sententia aves hic in tres species dividuntur, in maximas, quales sunt struthiones et aquilae (עוֹף), mediocres, quales sunt columbae, turtures, passeres (צִפּוֹר), et minimas, quales sunt muscae aliaque id genus insecta (כָּנָף). Et *Job. Ludolfus* in *Append. secunda ad histor. Aethiopic.* p. 30. seqq. multum operae insumsit, ut ostenderet, עוֹף כָּנָף, pro quo hic per ellipsin solum כָּנָף positum est, indicare *insecta*, ac de nostro speciatim loco egit p. 34. seqq. Neque tamen haec sententia argumentis satis firmis probari potest. Multo minus probandum, quod *J. D. Michaelis* in der

Einleit. in die göttl. Schriften des A. B. P. I. Sect. 1. §. 49. p. 240. et in *Supplemm.* p. 2139., collato Arabico ظُفْر צִפּוֹר *ungulas* esse putat, ita ut horum verborum sensus hic sit: *omnes volucres secundum speciem suam et secundum ungulas et alas diversae.* (*Alle Vögel nach ihren Gattungen, nach Klauen und Flügeln verschieden*). Sed *ungula* Hebraeis est צִפֹּרֶן, et צִפּוֹר reliquis omnibus V. T. locis quasvis aves notare constat, pluribusque ostendit Bochartus *Hieroz.* P. II. L. I. Cap. 21. Quod autem hoc loco omnes, quibus Hebraei uti solent ad aves significandas, voces coacervantur, causa videtur nulla alia esse, nisi ut indicaret scriptor, omnes omnino volucres, cujuscunque generis, in arcam receptas esse. LXX. tria Hebraica vocabula aves designantia reddiderunt hac una appellatione: *πᾶν ὄρνεον πετεινὸν κατὰ γένος αὐτοῦ.*

16. וַיִּסְגֹּר יְהוָה בַּעֲדוֹ *Quo facto Jova ipse fores occlusit.* Quod necesse fuit, quoniam Noachus extrinsecus januas bitumine obducere non potuit. בַּעֲדוֹ *post eum*, i. e. postquam Noachus arcam ingressus est. Ceterum in hoc Versu utrumque Dei nomen, אֱלֹהִים et יְהוָה legimus. Sed Ilgen, qui hanc pericopam alterutri eorum scriptorum, qui, ex sua sententia, nonnisi nomine אֱלֹהִים usus sit, tribuendam censet, pro יְהוָה hic iterum אֱלֹהִים ponendum vult (*Tempelarchiv* p. 49. not.), ad quam suam conjecturam cupide arripit, quod in unico Kennicotti codice אֱלֹהִים repetitum legitur. Quum tamen, uti ipse fatetur, veteres omnes יְהוָה exprimant, mendum ait esse inveteratum. Contra Eichhorn (*Repertor.* P. V. p. 209. not.) verba וַיִּסְגֹּר יְהוָה בַּעֲדוֹ ejus quidem scriptoris, qui nomine יְהוָה uti solet, esse putat, sed transposita conjicit e fine Versus 9., ubi pro verbis כַּאֲשֶׁר צִוָּה אֱלֹהִים אֶת־נֹחַ legi deberent. Similem conjecturam protulit Astruc (*Conjectures*, p. 345.), qui tamen ad eam confugit hypotheseos suae tuendae necessitate coactus; praemittit enim haec: *J'avoue que c'est peut estre le premier exemple, qui soit bien concluant pour autoriser une exception à la re-*

gle. Vater denique (*Commentar*, p. 71.) verba postrema hujus Versus ab alia manu, quam quae cetera scripsit, inserta opinatur. Apparet ex hoc uno exemplo, quam vagas et incertas conjecturas pariat illa de duobus vel tribus monumentis veteribus, e quorum singulis verbis coagmentata sit Genesis, opinio. Nobis non est dubium, auctorem, ut ejusdem intra paucorum verborum ambitum nominis repetitionem vitaret, primum אֱלֹהִים, tum יְהוָֹה posuisse. Nec aliam alternantis nominis אֱלֹהִים et יְהוָֹה rationem in aliis V. T. libris quis quaerat. Similiter supra VI, 22. VII, 1., ne unum idemque Dei nomen intra breve spatium repeteretur, primum אֱלֹהִים, tum יְהוָֹה positum observamus.

19. Quum Versu superiore dixisset: וַיִּגְבְּרוּ הַמַּיִם וַיִּרְבּוּ מְאֹד עַל־הָאָרֶץ *et invaluerunt aquae, et creverunt valde super terram*, nunc repetit cum exaggeratione וְהַמַּיִם גָּבְרוּ מְאֹד מְאֹד עַל־הָאָרֶץ *et aquae invaluerunt valde valde*, maxime, *super terram*. Divellendos volunt hosce Versus Astruc et Ilgen, quorum hic (l. l. p. 32.) Versum 18. Elohistae, quem sibi finxit, secundo, Versum 19. Elohistae priori, ille vero (l. l. p. 51.) Versum 18. monumento veteri, quod literâ B. designat, in quo nomen יְהוָֹה regnet, Versum 19. alteri monumentorum, A. ab ipso signato, in quo nomen אֱלֹהִים usurpari soleat, tribuendum censet. Nos quidem non possumus non assentiri Clerico haec ad hunc locum animadvertenti: „Quamvis frequentes sunt, ut subinde observamus, apud Hebraeos, simplices et sine emphasi repetitiones; attamen iisdem fere vocibus hic rem repetitam, datâ operâ, verisimile est, ut vehemens ac subitum aquarum exprimeretur incrementum. Ac sane est aliqua in verbis gradatio: 1. crescunt aquae, ut arca ab humo elevetur, et vacillare incipiat; 2. ita augentur, ut jam libere quaquaversum moveatur; 3. ipsi teguntur montes. Commate 17. augmentum narratur aquae, sine ulla particula, quae ejus vehementia significetur; sequente additur vocula מְאֹד; tandem Vs. 19. repetitur מְאֹד מְאֹד. Qui ergo credunt,

haec esse additiones perspicuitatis causa quasi glossemata insertas, toto coelo falluntur. Vid. not. ad XLI, 57." Sequitur: וַיְכֻסּוּ כָּל־הֶהָרִים הַגְּבֹהִים אֲשֶׁר־תַּחַת כָּל־הַשָּׁמָיִם *et tecti sunt omnes montes alti, qui* erant *sub toto coelo,* quasi dicat: ita invaluerunt aquae illo diluvio, ut illis altissimi quique montes operti fuerint, quaqua patet orbis terrarum. Unde est manifestum, generale describi diluvium, sicut et Aben-Esra inde collegit, quod infra Vs. 20. omnia animantia deleta dicuntur. Estque fama de ingenti diluvio, quo prisci orbis impia progenies deleta esset, paucis piis servatis, inter plerasque gentes servata. Quae Chaldaeorum Berosus et Assyriorum Abydenus de ea eluvione tradiderunt, referunt *Josephus Antiqq.* L. I. C. 3. §. 6. et *Eusebius Praeparat. Evangel.* L. IX. C. 12. Nota sunt, quae de illo diluvio, quod Deucalionis tempore orbem vastavit, uno illo cum uxore Pyrrha servato, narrant Graeci et Romani, quae poetico ornatu vestita exposuit *Ovidius Metamorph.* I. 270. seqq. Alia, quae huc pertinent e veteribus scriptoribus collegerunt *Grotius de veritate relig. Christ.* L. I. §. 16. not. p. 64. seqq. ed. Jen., et Ed. *Stillingfleet Origg. S. S.* L. III. Cap. 14. §. 8. p. 1093. seqq. Cf. *Buttmann über den Mythos von der Sündfluth*, p. 21. seqq., et librum nostrum: *das alte und neue Morgenland*, P. I. No. 19. p. 22. seqq.

23. Quae Vs. 21. 22. de omnium animantium interitu dicta erant, hoc Versu mutatis duntaxat verbis repeti videntur. In quo ii, qui e pluribus antiquioribus monumentis, singulis eorum verbis retentis, Genesin compositam volunt, firmissimum suae sententiae argumentum deprehendi dicunt. Hinc Astruc Versum 21. e monumento B., Versum 22. e monumento A., et Versum 23. e monumento C. desumtum putat. Eichhorn vero Versus 21. 22. e monumento eo, cujus auctor nomine אֱלֹהִים, Versum 23. ex eo, cujus auctor nomine יְהוָֹה, uti solet, depromptos censet. Ilgen denique Versus 21. 22. Elohistae suo priori, Versum 23. Elohistae alteri tribuit. Nos

tamen persuadere nobis haud possumus, scriptorem prudentem, qualem Geneseos auctorem fuisse nemo facile neget, tam anxio et minuto singula aliorum verba retinendi studio otiosas repetitiones coacervasse. Verum minime pro mera repetitione vel *ταυτολογίᾳ* reputandum est, quod hoc Versu legitur, sed ad rem exaggerandam facit, ut supra Vs. 19. Nam quum Versibus duobus superioribus dixisset, exspirasse (וַיִּגְוַע) et mortua esse (מֵתוּ) omnia, quae vitalem spiritum ducerent in terra, mori autem quis ita posset, ut posteros et sui memoriam relinquat; nunc, Verbo וַיִּמַח usus, significat, ita plane deletam et absumtam esse diluvio corruptam et impiam prioris orbis progeniem, ut nullae ejus reliquiae superstites mansissent. וַיִּמַח אֶת־כָּל־הַיְקוּם *Delevitque*, scil. Jova, vel: diluvium, *omne quod subsisteret*, existeret. Saadias: مَحَا ٱلْمَآءُ كُلَّ ٱلنَّاسِ *delevit aqua omnes homines.* In libris nonnullis, velut in Bibliis Plantinianis anni 1566. in octonis et in Bibliis Rabbinicis a Buxtorfio editis, pro וַיִּמַח legitur וַיִּמַּח, Niphal (pro וַיִּמָּח), *deletum est*, uti mox sequitur וַיִּמָּחוּ. Ita אֵת ante אֶת־הַיְקוּם foret Nominativi nota, ut supra IV, 18. Sed in libris emendatioribus est וַיִּמַח, cum Mem raphato. Mercerus in Bibliis Reginae (Galliae) manuscriptis Mem sine Dagesch scriptum reperiri testatur, hac addita ad marginem notâ Masorethica: ל׳ רפי, i. e. non occurrere vocem וַיִּמַח alias, ut hic, cum מ raphato, seu signo Dagesch carente. Activum s. Cal, וַיִּמַח, exprimunt et veteres omnes.

Cap. VIII, 1. וַיִּזְכֹּר אֱלֹהִים אֶת־נֹחַ *Recordatus est Deus Noachi;* ita se erga Noachum gessit, ut, qui amici periclitantis recordantur, ei opitulatus est. וַיַּעֲבֵר אֱלֹהִים רוּחַ *Fecit Deus transire ventum*, immisit ventum, ut partim exsiccarentur aquae, partim in Oceanum repellerentur.

2. וַיִּסָּכְרוּ מַעְיְנֹת תְּהוֹם וַאֲרֻבֹּת הַשָּׁמָיִם *Et clausi sunt*

fontes abyssi et cataractae coeli, i. e. obstructi sunt Oceani fontes nec imbres amplius de coelo cadebant. Narrantur in hoc Versu, quae post quadraginta dies, quibus imber deciderat, evenerunt. LXX. pro וַיִּסָּכְרוּ posuerunt *ἐπεκαλύφθησαν*, legentes fortasse וַיְּסֻכּוּ a rad. סָכַךְ *texit*.

3. וַיָּשֻׁבוּ הַמַּיִם מֵעַל הָאָרֶץ *Redierunt aquae e terra*, aquae, quae ex Oceano in terram effusae erant, recedentes in pristinum locum redierunt. הָלוֹךְ וָשׁוֹב *Eundo et recedendo*, i. e. continuo diffluebant. Verbum הָלַךְ enim, si in Infinitivo alio verbo adponitur, *continuationem* denotat, ut 1 Sam. VI, 12. *iverunt eundo et mugiendo*, i. e. neque mugire desierunt. Ut vero per centum quinquaginta dies aquae partim creverunt, partim auctae manserunt; ita per totidem dies rursus facta est earum imminutio. Hoc est quod dicit: וַיַּחְסְרוּ הַמַּיִם מִקְצֵה חֲמִשִּׁים וּמְאַת יוֹם *et defecerunt aquae a fine CL. dierum*, i. e. post CL. dies, exactis tot diebus.

4. וַתָּנַח הַתֵּבָה. *Requievitque arca*, i. e. resedit ac substitit loco firmo terrae, videlicet innixa, cum ante hac huc illuc fluctibus agitata circumferretur. בַּחֹדֶשׁ הַשְּׁבִיעִי *Mense septimo*, anni scilicet, non diluvii. Pro בְּשִׁבְעָה־עָשָׂר *decimo septimo* die Graecus Alexandrinus habet *ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι*, quod Vulgatus sequitur, quasi בְּשִׁבְעָה עֶשְׂרִים legisset, aut legendum censuisset, probante *Lud. Cappello Critica S.* L. IV. Cap. 17. p. 740. edit. Hal., quod id ordini historiae convenientius putat, contra quem pluribus disputavit *Buxtorfius Anticrit.* p. 595. seqq. עַל הָרֵי אֲרָרָט *In montibus Araraticis.* Hos montes in Armenia sitos esse, omnes fere interpretes consentiunt. Ita jam vertit h. l. Vulgatus, *super montes Armeniae.* Atque ita reddiderunt quoque LXX. Esaj. XXXVII, 38. *διεσώθησαν εἰς Ἀρμενίαν.* Est etiamnum hodie regio in Armenia, quam incolae *Ararat* vocant, sita medio fere loco inter Araxem, lacusque Van et Orniam, quae in d'Anvilliana Asiae delineatione invenitur sub gradu longit. 63. lat. 39. De qua *Hieronymus* in *Commentario* in Jes.

XXXVII, 38. *Ararat regio in Armenia campestris est, per quam Araxes fluit, incredibilis ubertatis, ad radices Tauri montis; qui usque illuc extenditur.* Mons quidem ipse, in quo subsiderit navis, certe non potest definiri, sed tamen verisimile est, illum in ea quaerendum esse regione, ubi hodie *Macis* invenitur, mons duodecim milliaribus Gallicis ab urbe Erivan ad Orientem situs, aeternis nivibus tectus, et a Persis *Couh Nouh*, i. e. *Mons Noachi* dictus. In ejus cacumine navim Noachi adhuc incorruptam extare, credunt etiamnum Mohammedani, *Kaempfero Amoenitt. Exott. Fasc. II. Rel. X.* §. 2. p. 428. 429., et *Chardinio Voyages*, T. II. p. 188. ed. Paris 1811. testibus. Quae sententia ob hanc praecipue caussam probabilis efficitur, quod hic mons situs est in ipsa Araratica regione, quam supra descripsimus, et quam d'Anvillius in Asiae delineatione vocat *Ararat ou Macis.* Fortasse eundem montem intelligit Nicolaus Damascenus, cujus verba refert *Josephus Antiqq.* L. I. c. 3. §. 6. ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν, Βάρις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος ἔχει περισωθῆναι, καί τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον ἐπὶ τὴν ἀκρώρειαν ὀκεῖλαι, καὶ τὰ λείψανα τῶν ξύλων ἐπὶ πολὺ σωθῆναι. γένοιτο δ' ἂν οὗτος, ὅν τινα καὶ Μωϋσῆς ἀνέγραψεν ὁ Ἰουδαίων νομοθέτης. *Est super Minyada in Armenia mons ingens, Baris dictus, in quem multos diluvii tempore confugientes fama est servatos esse, et quendam in arca vectum ad summum ejus jugum appulisse, lignorumque reliquias diu conservatas esse. Iste fortasse idem ille est, de quo etiam scripsit Moses, Judaeorum legislator.* Cf. *J. D. Michaelis Supplemm.* p. 130. seqq., et librum nostrum: *das alte und neue Morgenland*, P. I. No. 20. p. 28. seqq. „Ceterum dicitur arca quievisse *in montibus Armeniae*, quum in uno montium quieverit, non in pluribus, phrasi Scripturae usitata, cum minus accurate aliquid, quod tanti non est, describit. Sic Jud. XII, 7. de Jephta: *sepultus est in urbibus Gilead*, id est, in quapiam Gileaditis urbe,

quam nomine appellare neglexit. Matth. II, 20. *quaerentes animam infantis* non plures dicuntur, sed Herodes solus." *Cleric.*

7. וַיֵּצֵא יָצוֹא וָשׁוֹב *Exivit exiendo et redeundo*, i. e. avolabat et revolabat. LXX. vertunt καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψεν, quod Vulgatus sequitur: *qui egrediebatur et non revertebatur.* Syrus quoque ܘܢܦܩ ܡܦܩ ܘܠܐ ܗܦܟ *et egressus est egrediendo et non rediit.* In Alexandrino versionis Graecae codice additur: τοῦ ἰδεῖν εἰ κεκόπακε τὸ ὕδωρ, quod glossema est e commate sequenti desumtum. Hinc orta est inter criticos quaestio, Hebraeine librarii negationem detraxerint, an addiderint Graeci? de qua pluribus agit *Bochartus Hieroz.* P. II. L. II. C. 12. T. II. p. 801. seqq. Existimat Graecum interpretem legisse וְלוֹא יָשׁוּב, *et non reversus est*, ut Futurum pro Praeterito sumatur; quod perspicuum magis esse censet eo, quod in Hebraeo legitur. Neque enim facile esse se expedire hisce verbis: *exiit exeundo et redeundo.* Nam quum *exiit exeundo* sit Hebraicae linguae consentaneum, quod sequitur, *exiit redeundo*, esse durum et oppositum in apposito, ut Logici loquuntur. Sed vere observat Clericus, יֵצֵא non esse cum שׁוֹב conjungendum, sed dumtaxat cum proximo יָצוֹא, quod quia in Infinitivo erat, sequens etiam Verbum eandem structuram sequutum est. Similis constructio est 1 Sam. VI, 12. 2 Sam. III, 16. „Quia enim dictum fuerat הָלְכוּ הָלוֹךְ et וַיֵּלֶךְ הָלוֹךְ *ibant*, et *ibat eundo*, ideo additur in priore loco וְגָעוֹ *et mugiendo*, in posteriore וּבָכֹה *et flendo*, quum alioquin dicendum fuisset גָּעוֹת *mugientes* et בֹּכֶה *flens*, ex Grammaticorum canonibus. Igitur sensus est, corvum semel egressum dum exsiccabantur terrae, saepius rediisse, denuoque exiisse." Cf. et *Buxtorfii Anticrit.* p. 615.

8. וַיְשַׁלַּח אֶת־הַיּוֹנָה מֵאִתּוֹ לִרְאוֹת הֲקַלּוּ הַמַּיִם מֵעַל פְּנֵי הָאֲדָמָה *Emisit etiam columbam a se, ut videret, an terra aquis esset desiccata.* Quum ex corvi volatu, qui cadaveribus insistere potuit, et humidis etiam gaudet lo-

cis, quo in statu terra esset, satis cognoscere nequiret Noachus, aliquando post emisit columbam, quae nonnisi siccis insidet locis, libenterque humi pascitur, quum seminibus in terram deciduis vescatur; ac praeterea ex locis remotissimis ad nidum redit. Cujus ex reditu Noachus cognoscere potuit, terras adhuc aquis esse obtectas. *Cleric.* Plura vid. apud Bochartum l. l. P. II. L. I. Cap. 6. T. II. p. 560. seqq. edit. Lips.

11. וַתָּבֹא אֵלָיו הַיּוֹנָה לְעֵת עֶרֶב וְהִנֵּה עֲלֵה־זַיִת טָרָף בְּפִיהָ *Venit autem columba ad eum tempore vespertino, oleae folium viride in rostro tenens.* Vocabulum טָרָף vulgo *decerptum* vertunt, Chaldaeo et Arabe praeeuntibus. Sed decerptum fuisse illud folium, dicere non erat necesse. Alii substantive *folium* reddunt; vocem Hebraicum cum Chaldaica et Syriaca טַרְפָּא *folium*, conferentes. Id quod sensum parum commodum reddit, quum עָלֶה *folium* proxime praecesserit. Conferendum potius est טָרָף cum Arabico طَارِفٌ, *novus, recens*, ita ut עֲלֵה־זַיִת טָרָף sit *oleae folium recens*, i. e. viride. Cf. *Michaelis Supplemm.* p. 1034. Ceterum columba oleae folium adtulit, potius quam alius arboris, quia olea semper viret, et sub aquis etiam viridis conservatur, Theophrasto et Plinio testibus. Ille in *Historia Plantarum*, L. IV. c. 8.: Ἐν δὲ τῇ θαλάττῃ ἐρυθρᾷ δενδρά τινα φύεται· καὶ καλοῦσιν αὐτὰ δάφνην καὶ ἐλαίαν. Quae verba Plinius *Hist. Nat.* L. XIII. c. 25. ita vertit: *In mari rubro (mirum est) sylvas vivere, laurum nimirum et olivum, ferentem baccas.*

13. וַיְהִי בְּאַחַת וְשֵׁשׁ־מֵאוֹת שָׁנָה *Fuit sexcentesimo primo anno*, scil. לְחַיֵּי נֹחַ, *vitae Noae*, ut Cap. VII, 11. unde LXX. h. l. addunt ἐν τῇ ζωῇ τοῦ Νῶε. Verbis חָרְבוּ הַמַּיִם מֵעַל הָאָרֶץ *exsiccatae sunt aquae a terra*; et postremis Versus, חָרְבוּ פְּנֵי הָאֲדָמָה *exsiccatae sunt facies*, superficies *terrae*, non significari, terram prorsus exsiccatam fuisse omnibus locis, in quibus nullae postea aquae fuere, inde patet, quod Versu proximo id differtur in vi-

gesimum septimum diem mensis secundi, hoc est, in quinquaginta dies (יָבְשָׁה הָאָרֶץ). Sed hic innui videtur, loca omnia eminentiora fuisse siccata. Vel, ut Jarchi exponit: נעשה כמין טיט שקרמו פניה של מעלה *facta est terra instar luti, quod superne crustum obduxit*, sed intus nondum est siccum. LXX. haud male hoc Versu ἐξέλιπε τὸ ὕδωρ ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς, proximo vero ἐξηράνθη ἡ γῆ posuerunt.

20. Cum dicit Noachum holocausta obtulisse ex *omnibus* pecoribus et volucribus mundis (מִכֹּל הַבְּהֵמָה הַטְּהֹרָה וּמִכֹּל הָעוֹף הַטָּהֹר), videtur quatuor tantum animantium mundorum genera intelligere, quae e Lege offerri possent sacrificio, boves, oves, sub quibus hircos et capras complectere, ex avibus columbae et turtures, vid. Levit. I, 2. 10. 14.

21. וַיָּרַח יְהוָה אֶת רֵיחַ הַנִּיחֹחַ *Ac odoratus est Jova odorem quietis*, i. e. suavitatis, εὐωδίας, ut LXX. habent, q. d. suavem et fragrantem odorem, quo ejus animus veluti pacaretur. Nam fragrans odor animum turbatum exhilarat et recreat. Innuit, accepta et grata fuisse Noachi sacrificia Deo. Hinc Onkelos וְקַבֵּל יְיָ בְּרַעֲוָא יָת קוּרְבָּנֵיה *et accepit cum favore sacrificium ejus.* Syrus pro נִיחֹחַ posuit ܫܘܡܢܐ, quod proprie *sevum, adipem* holocausti denotat. Alii, ut Clericus et Dathius, נִיחֹחַ explicandum putant ex phrasi הָנִיחַ חֵמָה, *quiescere facere irdm*, i. e. placere, Ezech. XXIV, 13., ut נִיחֹחַ sit *placamen*, victima piacularis. Cf. *Jo. Buschii* Dissert. *de odore quietis sacrificii Noachici*, in *Thesauro* (Dissert.) *theolog. philolog.* (vet.) T. I. p. 150. seqq. וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל־לִבּוֹ *Dixit Jehova ad cor suum*, i. e. constituit apud se. Apud Hebraeos enim, ut apud Graecos poëtas, *anima mea* aut *cor meum* saepe pro Pronomine *ego* usurpari constat. Syrus: ܘܐܡܪ ܡܪܝܐ ܒܠܒܗ *dixitque Dominus in corde suo.* Onkelos בְּמֵימְרֵיה *in verbo suo.* LXX. καὶ εἶπε Κύριος ὁ θεὸς διανοηθείς. Sunt, qui Suffixum ad

לִבּוֹ ad Noachum referant, et אֶל pro עַל capiant, ut haec phrasis non differat ab hac: דִּבֵּר עַל־לְבַב פְּלוֹנִי *loqui secundum cor alicujus*, i. e. grata, quae animum alicujus deliniant, dicere, eum solari, ut infra XXXIV, 3. Jesaj. XL, 2. ad quem loc. cf. not. Aliis אֶל־לִבּוֹ simpliciter valet: *ad eum.* Ita Saadias: وَقَالَ ٱللّٰهُ لِنَبِيِّهِ *et dixit Deus prophetae suo.* לֹא אֹסִף לְקַלֵּל עוֹד אֶת־הָאֲדָמָה *Non addam maledicere ultra terrae*, diluvio eam perdendo, בַּעֲבוּר הָאָדָם *propter hominem*, i. e. διὰ τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων, ut LXX. ponunt, sive, ut Onkelos explicat: בְּדִיל חוֹבֵי אֱנָשָׁא *ob delicta hominum.* כִּי יֵצֶר לֵב הָאָדָם רַע מִנְּעֻרָיו *Quia figmentum cordis ejus*, i. e. quidquid homo animo fingit, molitur et machinatur, *malum est inde a pueritia*, itaque novis quotidie opus foret diluviis et plagis generalibus ad eos perdendos, quum perpetua sit eorum et innata malignitas.

22. חֹרֶף, quod *hyemem* denotare constat, LXX. verterunt ἔαρ, nec hoc solo loco verum et Ps. LXXIV, 17. et Zach. XIV, 8. *Michaelis* in *Supplemm.* p. 937., ubi plura in h. l. disputat, Alexandrinos homines id pro climatis Aegyptii ratione fecisse, et ἔαρος nomine *hyemem* intellexisse conjicit; qui enim nobis menses hyemales ii Aegyptiis vernales. Quia diluvio omnia haec turbata, interrupta, et confusa fuerant, toto fere anno terra aquis operta, ut nec sementis nec messis suas haberent vices, nec suus hyemis aut aestatis, frigoris aut aestus, ad maturandum aut comprimendum fruges usus esset, quin nec diei et noctis suus usus, ut interdiu ad suum opus et terrae culturam homo in terra posset proficisci, et dierum aut noctium brevitas aut longinquitas in terra perciperetur plane cooperta et immersa aquis, ideo promittit, haec deinceps more solito locum habitura, et horum suas vices in usum hominum futuras. Ceterum conf. *Henslerum* ad h. l. p. 336.

Cap. IX, 1. Repetuntur hic verba benedictionis, quibus ad primos parentes usus fuerat Deus, supra I, 28., quod de integro esset reparandus orbis.

2. וּמוֹרַאֲכֶם וְחִתְּכֶם יִהְיֶה עַל כָּל־חַיַּת הָאָרֶץ *Timor, terrorque vestri sit super cuncta animalia terrae*, i. e. in omnia animalia imperium exercere iisque pro arbitrio utimini. Nam quibus *dominamur*, ea nos *timent*. His verbis Deus Noacho, tanquam secundo Adamo, imperium in animalia dat. Simul autem probabile visum erat illi, qui haec exaravit, concessisse Deum Noacho filiisque in novo orbe quaedam, quae ad eorum vitam facilius tuendam pertinerent, et leges praescripsisse, quibus muniti et instructi societatem inter se commodius tuerentur, et politiam retinerent, cujus defectu videbatur prior ille mundus ita in deterius ruisse, ut tandem effrenes in omne scelerum genus, ruptis omnis honestatis et pudoris repagulis, sint prolapsi.

3. כָּל־רֶמֶשׂ *Omne, quod sese movet*, nam רֶמֶשׂ hic est generale, non speciale pro reptili, אֲשֶׁר הוּא־חַי *quod est vivum*, q. d. omne animans gressile, quod super terram graditur et sese motitat. כְּיֶרֶק עֵשֶׂב נָתַתִּי לָכֶם אֶת־כֹּל *Tanquam herbam virentem dedi vobis omnia*, scil. animantia. Respicit illud, quod I, 29. dixit. Cum antea herbas et fructus vobis dederim, ait Deus, nunc praeterea vobis animantia concedo.

4. אַךְ־בָּשָׂר בְּנַפְשׁוֹ דָמוֹ לֹא תֹאכֵלוּ *Modo ne carnem cum ejus anima sanguine ejus comedatis.* Quum obscurum posset esse, quid *carne cum ejus anima* (בָּשָׂר בְּנַפְשׁוֹ) intelligatur, additur דָמוֹ, *κατὰ πρόσθεσιν ἐξηγητικήν*, uti Grammatici loquuntur. Manifeste hoc liquet ex Deut. XII, 23., ubi diserte *sanguinis* interdicitur esus, eo, *quod sit anima.* Ita interpretatur et *Josephus Antiqq.* L. I. C. 3. §. 8., ubi Deus ita loquens inducitur: *δεσπότας γὰρ ἁπάντων ὑμᾶς εἶναι πεποίηκα, — χωρὶς αἵματος, ἐν τούτῳ γάρ ἐστιν ἡ ψυχή, dominos omnium vos feci, excepto sanguine, in hoc enim est anima.* Sensus: volo, ita vos san-

guinem animalium edendorum effundere, ut crudelitatem interim vitetis, ne eorum carnem simul cum sanguine comedatis. Videtur hic utrumque includi, ne aut membrum ex animante adhuc viva palpitans, aut etiam sanguis adhuc palpitans edatur. Jarchi aliique Hebraei recentiores sentiunt vetari hic esum membri de vivente animali abscissi, quales delicias hodienum Habessinis placere constat; vid. *das alte und neue Morgenland*, P. I. No. 22. p. 39. et 309. Nec improbabilis est quorundam sententia, hoc interdicto viam quasi sterni ad feritatem hominum inter se impediendam, quum immanitas erga bestias sit veluti tirocinium scelestioris crudelitatis.

5. וְאַךְ אֶת־דִּמְכֶם לְנַפְשֹׁתֵיכֶם אֶדְרֹשׁ *Sanguinem vestrum animarum videlicet vestrarum quaeram*, i. e. ulciscar, vindicabo. Voce דָּרַשׁ designatur h. l. non solum quaestio, qualis est, quae a judicibus instituitur, sed etiam poena, quae post exercitam quaestionem reis damnatis infligitur, ut infra XLII, 22. Hinc Ps. IX, 13. Deus dicitur דֹּרֵשׁ דָּמִים *quaesitor sanguinum*, i. e. caedium ultor. לְנַפְשֹׁתֵיכֶם *J. D. Michaelis* in Commentat. I. *de poena homicidii*, quae legitur in Ejus *Syntagm. Commentatt.* P. I. p. 31., habet pro Dativo commodi: *animabus vestris*, i. e. in commodum et ad conservationem vitae vestrae. Sed praestat ל exponere possessive, ut proprie sit: qui ad animas vestras, vitam vestram, pertinet; vel: *vitae vestrae*. Ita 2 Reg. V, 9. *Stetit ad januam* הַבַּיִת לֶאֱלִישָׁע *domus Elisae*. Vid. de hac Genitivi periphrasi *Gesenii ausführl. Lehrgeb. der hebr. Sprache*, p. 673. Cf. infra ad Vs. 10. Postquam generaliter dixisset, se ultorem caedium exstiturum; jam specialiter addit: מִיַּד כָּל־חַיָּה אֶדְרְשֶׁנּוּ *a manu omnis bestiae requiram eum* sanguinem. מִיַּד כָּל־חַיָּה nil aliud valere, quam simplex מִכָּל־חַיָּה, vix est quod moneamus. כָּל־חַיָּה Graecus Alexandrinus recte vertit πάντων τῶν θηρίων, et Vulgatus: *cunctarum bestiarum*. At Samaritanus habet חַי *vivens*, qua voce significantur *homines*, vid. supra III, 29. Ps. CXLIII, 2. Sed vix dubium est, esse hoc cor-

rectoris male seduli, qui convenientius credidit poenas ab hominibus, quam a feris repeti. Verum quae praecedunt et sequuntur, faciunt pro eo, quod in Hebraeo legitur. Nam a sanguine animalium, uti recte observat *Seb. Ravius* in *Exercitatt. ad Hubigantii Prolegomm.* p. 54.: „legislator progreditur ad sanguinem hominis, tanquam digniorem et praestantiorem, cujus effusionem, ob hanc causam, tam sibi displicere docet, ut etiam animalia ipsa, ratione carentia, datura sint poenas, si hominem occiderint, ut qui creatus sit ad imaginem Dei (Vs. 6.), multo magis homines poenas daturos esse; si caedem humanam perpetrarent." Vix autem dubium est, praeludere hoc ad praeceptum postea datum (Exod. XXI, 28.) de bove cornupeta, si hominem occiderit, lapidando. Quamvis poenae, quae proprie dicuntur, in bruta non cadant, tamen ea quodammodo poenas luunt, cum propter violatos homines occiduntur. וּמִיַּד הָאָדָם מִיַּד אִישׁ אָחִיו אֶדְרשׁ אֶת־נֶפֶשׁ הָאָדָם *Et, quando magis, de manu hominis, de manu, inquam, viri fratris ejus requiram animam hominis*, i. e. cujusque sanguinem de eo, qui illum interfecerit, repetam. אִישׁ אָחִיו valere *unum alterum*, notum. Ita infra XXVI, 31. *Jurarunt* אִישׁ לְאָחִיו *alter alteri*. „Bene monent interpretes, verba מִיַּד אִישׁ אָחִיו continere repetitionem verborum antecedentium מִיַּד הָאָדָם, haud quidem otiosam, sed emphaticam, quae digito monstret conjunctionem hominum fraternam. Verba אִישׁ אָחִיו appositionem efficiunt, prius autem fere redundat, ut Levit. XXI, 9. Haec minus perpendens Samaritanus scripsit (consentientibus octo codd. hebraicis, Syro et Vulgato) inserta copula: מיד איש ואחיו, i. e. *a manu unius cujusque* (cf. Ezech. IV, 17.), quod praeferunt Hubigantius et Ilgenius. Bene vero lectionem difficiliorem retinere jubent Geddesius et Vaterus." *Gesenius* in Commentat. *de Pentat. Samarit.* p. 37.

6. שֹׁפֵךְ דַּם הָאָדָם בָּאָדָם דָּמוֹ יִשָּׁפֵךְ *Effundentem sanguinem humanam* quod attinet, *ejus sanguis per hominem*, vicissim, *effundatur*. שֹׁפֵךְ, quod est Nominativus

absolutus, sunt, qui non ad solos homines pertinere, verum et ad bestias extendi velint, ut sit: quidquid effuderit sanguinem hominis. Ita Michaelis in Commentat. supra laud. p. 33. Nobis vulgo recepta sententia, qua שֹׁפֵךְ de homine duntaxat capitur, potior videtur. Nam quum Versu, qui proxime praecedit, de utrisque, et bestiis et hominibus ob caedem commissam puniendis dixisset, nunc de homicida puniendo repetit, ob majorem hominis dignitatem, de qua postrema Versus verba. בָּאָדָם nonnulli vertunt *in homine*, quod ad majorem emphasin additum putant, *in ipso homine*, si quis ipsius sanguinem fuderit. Parum commode. Alii: *in hominibus*, sive *inter homines*, coram hominibus. Ita Onkelos: דִּישׁוֹד דְּמָא דֶּאֱנָשָׁא בְּסָהֲדִין עַל מֵימַר דַּיָּנַיָּא דְּמֵיהּ יִתְּשַׁד *qui effundit sanguinem inter testes*, re testibus comprobata, *ejus sanguis ex sententia judicum effundatur*. Disertius Jonathan: *Qui effundit sanguinem humanum coram testibus, eum judices ad mortem condemnent; qui vero effundit absque testibus, de eo dominus mundi ultionem sumet in die judicii.* Verum ita textui infertur aliquid, de quo scriptorem cogitasse minime est verisimile. Neque permittunt accentus istam interpretationem; nam בָּאָדָם cum sequenti est jungendum, quum praecedat distinctivus major, Zakeph-katon הָאָדָם֔ impositus. Nil igitur restat, nisi ut ב hic, ut alias saepe, instrumentum significare sumamus, pro *per*, ut dicat Deus: qui hominem occiderit, eum vicissim per hominem occidi volo, et capite plecti lege talionis. כִּי בְּצֶלֶם אֱלֹהִים עָשָׂה אֶת־הָאָדָם *Quia Deus hominem ad imaginem suam fecit;* cf. Gen. I, 27. Mutata est constructio verborum. Nam quoniam verba antecedentia verba Dei sunt, quae sequuntur, esse deberent: *ad imaginem meam feci hominem.* Quum homo ad Dei imaginem sit factus, aequum est, ut, qui Dei imaginem violavit et destruxit, occidatur, cum Dei imagini injuriam faciens, ipsum Deum, illius auctorem, petierit. „Ratio autem haec non interficiendi hominis," inquit Clericus, „huc redit: bruta quidem, quorum dominium ad

homines pertinet, occidere licebit; at hominem, qui ad instar Dei iis dominatur, et nemini nisi Deo obsequium omnibus numeris absolutum debet, temere interficere nefas."

7. וְאַתֶּם פְּרוּ וּרְבוּ *Et vos, s. vos igitur crescite et augemini*, q. d. videtis me hac prohibitione velle consulere generis humani propagationi; quin ergo illi incumbitis?

9. וַאֲנִי הִנְנִי מֵקִים אֶת־בְּרִיתִי אִתְּכֶם *Et ego ecce! stabilio foedus meum vobiscum.* Quum tamen Vs. 11. mera sequatur promissio de terra perpetuo conservanda, ne unquam aquis tota vastaretur; quaeritur, quomodo Deus hic *foedus* cum Noacho ejusque posteris dici possit erexisse? Observandum itaque, בְּרִית sumi aliquando de *immutabili* Dei de quacunque *re statuto*, quo sensu dicitur Jerem. XXXIII, 20. בְּרִיתִי הַיּוֹם וּבְרִיתִי הַלָּיְלָה *foedus meum diei et foedus meum noctis*, i. e. inviolabile meum statutum de diei noctisque vicissitudine. Verum quod maxime huc pertinet, nomen בְּרִית haud raro usurpatur pro certo ac stabili promisso, etsi mutuum non sit; ut Exod. XXXIV, 10. הִנְנִי אָנֹכִי כֹּרֵת בְּרִית *ecce ego pango foedus*, i. e. voluntaria promissione me adstringo. Unde כָּרוֹת בְּרִית *secare* vel *ferire foedus* absolute et citra legem aut conditionem ab altera parte praestandam significat, promittere, vid. 2 Chron. VII, 18. Cf. *Barth. Haen* Dissertat. *de natura foederis Noachici ad Gen. IX, 9—18.*, Franequ. 1694., repet. in *Thesauro novo theol. philol.* P. I. p. 161. seqq.

10. בָּעוֹף בַּבְּהֵמָה וגו' *In avibus, in pecudibus*, rel., i. e. ex genere avium, pecudum, etc. Quum animalia bruta poenas humano generi irrogatas participarent, aequum videbatur, ut beneficii hominibus concedendi promissio ad illa extendatur. מִכֹּל יֹצְאֵי הַתֵּבָה *Ex omnibus exeuntibus arcâ*, pro מִכֹּל אֲשֶׁר יָצְאוּ מִתֵּבָה *ex omnibus, quae egressa sunt ex arca.* Solent enim Hebraei suo Participio Benoni passim pro Praeterito uti; vid. *Gese-*

nii ausführl. Lehrgeb. der hebr. Spr. p. 792. לְכֹל חַיַּת הָאָרֶץ *Cum*, vel *ex omni*, inquam, *animante terrae*. ל hic videtur ad declarationem pertinere, quasi dicat רְצוֹנִי לֵאמֹר *volo dicere*; ut supra Vs. 5. אֶת־דִּמְכֶם לְנַפְשֹׁתֵיכֶם *sanguines vestrarum* scilicet animarum, s. animas scilicet vestras.

11. Quum jam supra Vs. 9. dixisset וַאֲנִי הִנְנִי מֵקִים אֶת־בְּרִיתִי אִתְּכֶם, hic idem repetit, nisi quod pro Participio hic usurpet Praeteritum וַהֲקִימֹתִי. Neque tamen otiosa est haec repetitio, sed perspicuitatis studio tribuenda, quia Vs. 10. plura inseruisset, et nondum dixisset, qua de re foedus sit stabiliendum, q. d.: stabiliam, inquam, vobiscum foedus meum de eo, quod non talis unquam futura sit aquarum illuvies, ut universum terram submergat.

12. זֹאת אוֹת־הַבְּרִית *Hoc erit signum foederis*. „Quum אוֹת," inquit Clericus, „σημεῖον quodvis sonet, malui voce *tessera* uti, quae hanc in rem aptior est. Notae sunt *tesserae hospitales*, quibus conspectis hospites se invicem agnoscebant. Sed erant etiam tesserae pacis et belli. Vid. *Gellii Noct.* L. X. Cap. 27., et *Pomponium de orig. jur.* L. II. Hic coelestis arcus est veluti tessera pacis, qua Deus diluvium se non amplius terris immissurum significat."

13. אֶת־קַשְׁתִּי נָתַתִּי בֶּעָנָן *Arcum meum posui in nube*. Non est dubium intelligi iridem, sive arcum pluvium, quem Deus *suum* vocat, vel quod quaecunque in nubibus sunt, videntur esse in Dei sede, quum Deus in nubibus tabernaculum suum constituere dicatur Ps. XVIII, 2., vel quod Deus auctor est iridis. Non est, quod hos loco disputemus cum pluribus Hebraeorum et nostrorum, fueritne, ex mente scriptoris, iris ante diluvium jam inde ab orbe condito, an nunc primum, cum hoc foedus cum Noacho est percussum, apparuerit? Nil obstat, quo minus putavit, qui haec consignavit, rem, quae jam erat, naturalem scilicet, a Deo assumtam esse in signum sui foederis, seu confirmandae promissionis suae causa. Cf.

Vateri not. ad h. l. Ceterum Homerus quoque, Clerico observante, non semel Jovis peculiari voluntati iridem tribuit, eaque varia praesagiri vult. Sic Iliad. XVII, 547.

Ἠΰτε πορφυρέην ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ
Ζεὺς ἐξ οὐρανόθεν, τέρας ἔμμεναι ἢ πολέμοιο,
Ἢ καὶ χειμῶνος δυσθαλπέος, κ. τ. λ.

Veluti cum purpuream irim mortalibus extenderit Jupiter e coelo, signum ut sit aut belli, aut procellae frigidae. Vid. et *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 23. p. 43.

17. Hic Versus clausulam facit et summam omnium quae inde a Vs. 8. de foedere Dei cum Noacho dicta sunt. Aliud quid hac repetitione Jarchi indicari vult. Quia supra generaliter tantum proposuerat Deus, se signum foederis hujus arcum in nube constituere, nec interim eum in coelo collocaret, mox Deum putat ad majorem rei confirmationem in re praesenti iridem in coelo collocasse, inductis repente nubibus et arcu in illis, tumque adjecisse: en tibi signum, de quo eram loquutus!

18. Absolutis iis, quae ad diluvium pertinent, progreditur auctor ad progeniem filiorum Noachi, per quam genus humanum post diluvium propagatum est. Verum priusquam ad illam accedat, quod fiet Capite sequente, quoddam factum Noachi commemorat, cujus occasione Canaanem Chami filium, diris devovit, quod quia per occasionem plantatae vineae accidit, simul docet, cui vitae instituto Noachus se post diluvium addixerit. Quum autem nomina filiorum Noachi jam ter commemorasset (V, 32. VI, 10. VII, 13.), nunc initio novae narrationis quartum illa ponit, non tantum ut lectoris memoriae succurreret, verum et eo consilio, ut sciamus, non alios ex arca egressos fuisse, quam hos ipsos tres, qui ingressi fuerant. וְחָם הוּא אֲבִי כְנָעַן *Cham vero est pater Canaanis.* Quod hic dici necesse fuit, quia mox dirae, in Canaanem pronunciatae, memorandae erant, quae alioqui intelligi non potuissent. Commode igitur id hoc loco

obiter tantum dicitur, praetermissis reliquis Chami filiis, de quibus infra ex professo scriptor acturus erat. Omnino vero ex antiquis monumentis diligenter recensentur, quae Cananaeorum gentem apud Israelitas in contemtum et odium adducere possent.

19. וּמֵאֵלֶּה נָפְצָה כָל־הָאָרֶץ *Et ab illis dispersa est tota terra*, i. e. sparsim habitata et frequentata. Quam sententiam ita expressit Hieronymus: *ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram. Terra dispersa* dicitur, quia homines per eam dispersi; ut infra X, 5. מֵאֵלֶּה נִפְרְדוּ אִיֵּי הַגּוֹיִם *ab illis divisae sunt insulae gentium*, i. e. disperserunt se homines per orbis terrarum regiones. Simile est illud Jon. I, 4. וְהָאֳנִיָּה חִשְּׁבָה לְהִשָּׁבֵר *et maris cogitabat frangi.* Supervacanea est J. D. Michaelis conjectura in *Supplemm.* p. 1997., pro נָפְצָה legendum esse נָפְּצָה, a פוץ, cui Arabici فَيَضَ significatum, *diffluere, abundare,* tribuit, ut haec verba ita sint vertenda: *et ab his inundata est tota terra.* A. Schultensii interpretationem, in *Origg. Hebr.* L. I. Cap. 3. p. 46. propositam, *ex his* (tribus Noachi filiis) *uterum excussit* (ex Arabico نَفَضَ) *universa terra*, i. e. innumerorum millium mater et facta, refutavit Vater ad h. l. Cf. Gesenii Lexic. Hebr. majus sub נָפַץ.

20. אִישׁ הָאֲדָמָה *Vir terrae*, i. e. *agricola*, ut אִישׁ מִלְחָמָה (Exod. XV, 2.), *vir belli*, virum bellicosum denotat. וַיָּחֶל וַיִּטַּע כָּרֶם *Et coepit Noachus et plantavit vineam*, i. e. *plantavit vineas;* ex noto Hebraismo, quo duo Praeterita aut Futura adhibentur, quorum posterius est Infinitivi loco. Vites haud dubie in ea regione, ubi Noachus vivebat, sine hominum cultura, sua sponte crescebant; Noachus vero eas nobiliores reddere vinumque ex uvis exprimere coepit, adeoque vini inventor factus est. Aegyptii et plurimae antiquae gentes id, quod hic Noacho tribuitur, Isidi et Osiridi tribuunt. Sic Diodorus in Bibl. L. I. docet εὑρέτην γενέσθαι τὸν Ὄσιριν τῆς ἀμπέλου,

πρῶτόν τε οἴνῳ χρήσασθαι, καὶ διδάξαι τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους τὴν γεωργίαν, invenisse Osiridem vitem, primum vino usum esse, et docuisse alios homines agriculturam.

24. בְּנוֹ הַקָּטָן hoc loco vertendum esse *filius ejus natu minor* (comparate cum Semo, natu maximo), neque vero, *natu minimus*, patet ex eo, quod quinque aliis locis *Chamus* semper secundo loco ponitur, veluti V, 32. VI, 10. VII, 13. IX, 6. X, 1. Ita et infra Cap. XXVII, 15. *Jacobus erat* בְּנָהּ הַקָּטָן vertendum est *filius ejus natu minor*, atque XXIX, 18. Rachela dicitur הַבַּת הַקְּטַנָּה *filia natu minor.* Conf. et 1 Sam. VVII, 13. 14. Diligenter in hunc locum inquisivit *Jos. Frider. Schelling* in *Repertorio litterat. bibl. et oriental.* P. XVII. p. 14—19. Conf. infra ad Cap. X, 21.

25. עֶבֶד עֲבָדִים יִהְיֶה לְאֶחָיו *Sit servus servorum fratribus suis*, i. e. vilissima servitute pressus et fratribus suis addictus sit. *Fratres* autem pro *fratrum suorum posteris* positi sunt. Pro אָרוּר כְּנָעַן hoc et sequenti Versu nonnulli interpretes suspicantur, legendum esse אָרוּר חָם אֲבִי כְנָעַן. Sed neque in codice ullo ita scriptum invenitur, neque receptum sollicitare opus est. Filii nomen pro patre ponitur, quod dirae in filium pronunciatae etiam in patrem redundant. Qui enim potest pater laeto esse animo, ubi filiis male esse videt, aut illis in posterum et eorum posteris adversa et vilissima quaeque praedici? Ceterum ex antiqua hac fama de Canaane, ab avo exsecrato, repetebantur haud dubie illa, qua haec scripta sunt, aetate, causae inimicitiarum, quae Hebraeis inde a vetustissimis temporibus Hebraeis cum Cananaeis fuerunt; quae quidem nec a nostro, in ea, quam contexuit, rerum antiquissimarum historia, erant praetereundae, ut appareret, Hebraeos, Semi posteros, jure suo potitos esse Cananiticae terrae.

26. בָּרוּךְ יְהוָה אֱלֹהֵי שֵׁם *Benedictus* sit *Jova, Deus Semi.* „Solent homines Deo *benedicere*, quando beneficio aliquo ab eo adfecti sunt: vid. e. c. infra XIV, 19. 20.

Nec ii duntaxat, quibus collatum est beneficium, ea utuntur formula; sed alii etiam, qui secundis rebus utentibus bene volunt. Sic Jethro, quum intellexisset, quot bona Deus Israëli fuisset largitus, in haec verba erumpit: *Benedictus Jova, qui vos e manu Aegyptiorum liberavit,* Exod. XVIII, 10. Sic et Achimahazus 2 Sam. XVIII, 28. victoriam Davidi gratulans: *Benedictus Jova Deus tuus, qui tradidit viros*, rel. Vid. et 1 Reg. X, 9. 2 Chron. IX, 8. Haec ergo est gratulationis formula, quae huc redit: est quod gratias agamus Deo, propter ingentia quae in te, o Seme, collaturus est beneficia." *Cleric.* וִיהִי כְנַעַן עֶבֶד לָמוֹ *Eritque Canaan servus iis*, scil. Semi posteris. Nam שֵׁם et יֶפֶת hic non solos patres, verum potissimum eorum posteros indicare, non est dubium. De לָמוֹ collective semper usurpato vid. quae diximus in *dem neuen theolog. Journ.* P. II. p. 308.; cf. *Gesenii ausführl. Lehrgeb. der hebr. Sprache* p. 221.

27. In verbis יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת exponendis in duas potissimum partes interpretes secedunt. Sunt, qui יַפְתְּ *pelliciendi* significatu, quem in Piel obtinet, capiant, atque haec verba nectentes proximis, וְיִשְׁכֹּן בְּאָהֳלֵי־שֵׁם, locum ita exponant: *alliciet Deus Japhetum, ut habitet in tentoriis Semi.* Sed primum פָּתָה fere in malam partem trahitur, et *decipere* notat, idque in Piel duntaxat. Deinde eo significatu constanter cum Accusativo jungitur, quum hic cum Dativo construatur. Quare praeferenda eorum sententia, qui Verbo פָּתָה significationem Aramaeis usitatiorem, *dilatari*, tribuunt, et quum Futurum apocopatum formae Hiphil hic positum sit, verba sic vertunt: *dilatet Deus Japheto* (ut infra XXVI, 22. הִרְחִיב יְהוָה לָנוּ *dilatavit Jova nobis*), scil. *locum*, *habitationem*, sive: *dilatationem faciat Japheto*, i. e. amplissimam regionem ei colendam largiatur. Ita Graecus Alexandrinus: πλατύναι ὁ Θεὸς τῷ Ἰάφηθ scil. κατοίκησιν. Arabs ab Erpenio editus: يوسع الله ليافث *amplitudinem concedat Deus Japheto.* Saadias: يُحَسِّنُ اللّٰهُ إلى يافث *benefa-*

ciat Deus Japheto. Non dubium cepisse et eum יַפְתְּ *dilatandi* significatu; sed quum Hebraeis aeque atque Arabibus *locum amplum alicui dare* valeat: aliquem ex angustiis liberare, exhilarare (vid. not. ad Ps. IV, 1.), illum sensum expressit. Chaldaeus et Syrus vocem Hebraeam retinuerunt. Sed Jonathan: יַשְׁפַּר יְיָ תְּחוּמֵיהּ דְּיֶפֶת *condecoret Jova terminos Japhet.* Retulit יַפְתְּ ad radicem יָפָה, *pulchrum esse*, quod non admittunt rationes grammaticae; unde Aben-Esra hanc interpretationem לא יפה *minime decorum* vocat. Plura vid. in *Fulleri Miscell. SS.* L. II. Cap. 4. Verborum, quae sequuntur, וְיִשְׁכֹּן בְּאָהֳלֵי־שֵׁם duplex potest sensus esse, pro Nominativo, qui subauditur. Alii volunt repeti nomen אֱלֹהִים, hoc sensu: *habitabit Deus in tentoriis*, habitationibus, *Semi.* Quod eo referunt, quod Deus primo in tentorio conventus, deinde in templo Salomonis, inter Israelitas, Semi posteros, praesentem se ostendit. Cf. Ps. CXXXII, 13. 14. Ita hunc locum intellexit Onkelos: וְיַשְׁרֵי שְׁכִינְתֵּיהּ בְּמַשְׁכְּנֵיהּ דְּשֵׁם *et habitet praesentiae ejus symbolum in tabernaculo Semi.* Eodem sensu Arabs Erpenii: ويسكون نوره في اخبيا شم *et habitet lux ejus in tentoriis Semi.* Sed recte alii, uti *Bochartus Phaleg.* L. III. Cap. 1. p. 169., monent, quum antecedens comma totum ad Semum pertineat, hoc toto Japhetum respici credibile esse; deinde, si ultima verba: *et huic quoque servus erit Canaan*, ad Japhetum referantur, quae proxime antecedunt, *habitabit in tentoriis Semi*, ad eundem referri necesse esse. Quare non dubium, esse nomen *Japheti* hic repetendum, ut verborum sensus hic sit, Deum aliquando Japheti fines ita prolaturum, ut habitet etiam in sedibus Semitarum. Quod Jonathan, Chaldaeus interpres, eo refert, quod et Japhetitae aliquando Jovae religionem amplexuri Semitis, sive Judaeis, sese jungant. Id enim volunt paraphraseos suae verba: וְיִתְגַּיְירוּן בְּנוֹי וְיִשְׁרוּן בְּמַדְרְשָׁא דְּשֵׁם *et proselyti fient filii ejus, et habitabunt in schola Semi.*

V. *Genealogia filiorum Noachi, et terrarum inter ejus posteros divisio, Cap. X. Subjungitur narratio de structura turris Babylonicae, sermonum perturbatione et hominum per terras dispersione, C. X, 1. — XI, 9.*

Cap. X, 1. Hoc Caput geographiam continet antiquissimam, genealogiae intextam, pro Hebraeorum omniumque Orientalium populorum more, qui, a pueritia genealogiis memoria tenendis adsueti, in chronologia et geographia genealogiam adhibent. Nomina autem, quae in hoc Capite occurrunt, non omnia virorum ac proprio vocabuli sensu filiorum nepotumque Noachi esse, sed gentium etiam urbiumque et regionum, jam ex eo liquet, quod multi in illis pluralis numeri leguntur (ut v. 13. 14.), nec verisimile est, patrem filiis nomina pluralia indidisse. Simillimae his, quae sequuntur, sunt illae, quas apud *Apollodorum Biblioth.* Lib. II. C. 1. § 4. legimus, populorum origines, geneologiis intextae. Veluti: Ἔπαφος δὲ βασιλεύων Αἰγυπτίων γαμεῖ Μέμφιν τὴν Νείλου θυγατέρα, καὶ [illegible] ταύτης κτίζει Μέμφιν πόλιν, καὶ τεκνοῖ θυγατέρα Λιβύη[illegible] ἀφ᾽ ἧς ἡ χώρα Λιβύη ἐκλήθη. Λιβύης δὲ καὶ Ποσειδῶνος γίνονται παῖδες δίδυμοι, Ἀγήνωρ καὶ Βῆλος κ. τ. λ. Ad quae, quod monuit Heynius, dignum est, quod hic apponatur (in *Nott. ad Apollodor.* T. I. p. 261.): *In his commentis vestigia apparent antiquissimorum conatuum, origines populorum investigandi: communi tamen errore homines eo deferri videas, ut partim ad unum progenitorem, cujus dudum omnis perierat memoria, et nomen, omnia referant, putentque, nomine invento, ut Inachi, etiam hominem, stirpis auctorem, esse a se inventum; partim ut etymologiis inanibus captis populorum origines deprehendisse se arbitrentur, uti supra in*

Medo ac Perse, nunc in Belo, Aegypto, Danao, Cepheo, Agenore videmus, ut per eos Aegyptiorum, Arabum, Phoenicum, Argivorum, et in Phineo forte Thracum, communis aliqua omnium stirps et origo prodatur. Condonanda haec ac similia sunt antiquitati, non sequenda; itaque nemo in animum induxerit, ex iis argumentari, quae in Oriente vetere *et recentiore de populorum originibus passim tradita sunt.* Sed redeamus ad Hebraeum nostrum. Quaedam ex nominibus hoc Capite obviis, naturam ingeniumque terrarum et urbium indicant, in quibus illae gentes habitarunt, veluti Aegyptus, מִצְרַיִם, quod quidem *limites* notare putant, quia haec terra limitem inter Asiam et Africam facit (Arabice مِصْر), *Sidon*, a צוּד, *venari, piscari*, ob piscium ubertatem, עוּץ *Damascena regio*, proprie *vallis*, quia Damascus in valle sita erat etc., quod infra pluribus ostendetur. Ceterum in ea, quae sequitur, geographia genealogica non omnes gentes, quae tunc terram incolebant, sed eae tantum recensentur, quae Israelitis, Aegyptiis et forsitan etiam Phoeniciis cognitae erant. Et quidem de populis, qui proxima cognatione Israelitas attingebant, ut de Arabibus Joctanitis, paulo refert copiosius, deinde de coloniis Aegyptiorum et Phoenicum, denique et de Europae maritimis, quae Phoenicum navigationibus patefacta erant, nonnulla dicit. Cf. quae de ratione et origine hujus tabulae egregie observat Doederlein in censura libri Hensleriani in *dem neuen theologischen Journal*, T. I. Fasc. V. p. 387. Sed de toto hoc Capite copiose et magna cum eruditione disputavit *Sam. Bochartus* in *Phaleg et Canaan*, sive *Geographia Sacra* (quae primum prodiit Cadomi 1646. fol.), cum qua conjungendum est *J. D. Michaelis Spicilegium Geographiae exterae Hebraeorum post Bochartum*, P. I. Goetting. 1769. P. II. Goetting. 1780. 4., ejusque *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.*, atque *J. R. Forsterus* in *Epistolis ad J. D. Michaelis, hujus spicilegium Geographiae Hebraeorum exterae*

jam confirmantibus, jam castigantibus, Goetting. 177: 4. Quibus adde *C. F. Volney Recherches nouvelle sur l'histoire ancienne.* P. I. (Paris. 1814.) *Chap.* XVII. *Examen du Chapitre X. de la Genèse, ou Systéme ge graphique des Hebreux,* p. 217—239.

2. Versibus 2. 3. 4. 5. Japheti posteri recensentu גֹּמֶר esse Cimmerios, sive Celtas antiquissimos, qui inte Borysthenem olim et Tanaim, in Chersoneso etiam Tau rica habitarunt, atque Bosporo Cimmerio nomen relique runt, intelligendos esse, valde verisimile fecit *Michaelis* in *Spicileg.* P. I. p. 19—24. et in *Supplemm.* p 333—337. Haec gens antiquissima et fortissima, de qu Strabo et Herodotus nonnulla memorant, Homero jam nota, magnas et multas in Asiam minorem incursione fecit; a Scythis vero Cyaxaris tempore ex Europa puls denuo in Asiam minorem irrupit, sed ab Alyatte iterur ex Asia ejecta est, quod incidit in Josiae tempora; paul post haec gens aut deleta aut dispersa interiit; Straboni enim tempore Cimmeriorum nomen tantum in urbe, mon te, muro et Bosporo supererat. Concinit cum hujus gen tis nomine domestico, *Cymr,* Hebraicum גֹּמֶר. Et ord gentium, quas Moses hoc Versu nominat, *Gomer, Ma gog, Medi,* suadet, Gomeritas fuisse gentem, Magogiti sive Scythis, et Medis finitimam; id quod cum Cimmerii bene convenit, quippe qui antiquissimis temporibus Eu ropae et Asiae confinia habitaverunt. Nec obstat hui sententiae, quod Bochartus ei opponit, *Geograph. S.* I 1. L. III. c. 8. *tam versus Aquilonem remotos fuiss Cimmerios, ut eorum famam vix putet ad Judaeos ema nasse.* Potuerunt enim, ut monet Michaelis l. c., Israe litarum majores ex terra boreali Chaldaeorum oriund posteris suis notitiam septentrionalium quorundam popu lorum tralatitiam relinquere. *Josephus Antiqq. I,* גֹּמֶר *Galatas* interpretatur, Gallos fortasse intelligens, qu suo tempore stipendia in Palaestina faciebant. Sed vi *Michaelis Supplemm.* p. 335. seq. מָגוֹג est *Scyth populorum orientalium,* i. e. ultima septentrionis et Orie

tis septentrionalis, parum cognita, quae Arabes simili appellatione يأجوج ومأجوج, comprehendere solent. Vid. *Bocharti Phaleg.* L. I. c. II. p. 13. et Lib. III. c. XIII. p. 212. seqq. et *Michaelis Supplemm.* p. 1471. seqq., ubi, quae in *Spicil.* P. I. p. 24. seqq., disputaverat, corrigit. Eandem sententiam jam dixit *Josephus Antiqq.* L. I. c. 6.: Μαγώγης τοὺς ἀπ᾽ αὐτοῦ Μαγώγας ὀνομασθέντας ᾤκισε, Σκύθας δὲ ὑπ᾽ αὐτῶν (τῶν Ἑλλήνων) προσαγορευομένους. Cf. quae scripsimus ad Ezech. XXXVIII, 2., ubi מָגוֹג inter septentrionales gentes recensetur. מָדַי *Medorum* gentem designare, omnes consentiunt, quae eas regiones habitabat, quae hodie *Schirvan* et *Adserbedschan* vocantur. In Danielis et Estherae libris פָּרַס וּמָדַי *Persi* et *Medi* saepius appellantur. Josephus: ἀπὸ μὲν τοῦ Μάδου Μαδαῖοι γίνονται ἔθνος, οἳ πρὸς Ἑλλήνων Μῆδοι κέκληνται. יָוָן Javanis nomine *Graecos* intelligi, dubium non est. In litteris radicalibus יון *Jonum* nomen facile agnoscas. יון enim sonare potest יָוָן, ut punctorum auctores voluere, sive יוֹן, cum Vau quiescente, quod Graeco melius concinit. Josephus: ἀπὸ δὲ Ἰωυάνου Ἰωνία καὶ πάντες Ἕλληνες γεγόνασι. Ceterum LXX. post יָוָן additum legisse videntur וֶאֱלִישָׁה, vertunt enim καὶ Ἰωυαν καὶ Ἐλισά. Quod egregie cum originibus graecis, quales ab Herodoto, L. I. c. 56. 57. 58., narrantur, convenit. Hic enim dicit, Graecos, qui suis temporibus florebant, ex duobus diversis populis coiisse, *Jonibus*, Pelasgicae originis, lingua barbara utentibus, et *Doribus*, Graece loquentibus, ideoque Ἕλληνες dictis. Si igitur וְיָוָן וֶאֱלִישָׁה genuinum esset, utriusque populi in Graecia habitantis mentionem Moses fecerit; יָוָן erunt *Jones*, אֱלִישָׁה *Hellenes*. Vid. *Michaelis Spicil.* P. I. p. 59. seqq. et *Supplemm.* p. 1067. seqq. *Henslero* in *den Bemerkk.* p. 339. יָוָן, quod hic memoratur, videtur esse Arabiae felicis tribus, cujus et mentio fit Ezech. XXVII, 19., ad quem loc. cf. not. Nominibus תֻּבַל וּמֶשֶׁךְ vix est dubium designari eos populos, qui a Graecis scriptoribus *Moschi* et *Tibareni* vocantur, et

tam in sacris, quam in exteris monumentis semper tar quam vicini populi junguntur. Obtinebant autem *Moscl* Cappadociam et montes a Phasi usque ad Pontum Caj padocium, unde illi montes Moschici appellabantur. E cipiebant eos Tibarenicae gentes; quae Ciliciae et Iberii partem habitabant, Josepho et Strabone testibus. Il enim *Antiqq. I,* 6. 1.: *Μοσοχηνοὶ ὑπὸ Μοσόχου κτισθέντι Καππαδόκαι μὲν ἄρτι κέκληνται. τῆς δὲ ἀρχαίας αὐτῶν προσ γορίας σημεῖον δείκνυται· πόλις γάρ ἐστι παρ᾽ αὐτοῖς ἔτι, κ νῦν Μάζακα, δηλοῦσα τοῖς συνιέναι δυναμένοις οὕτως πότε προσ γορευθὲν πᾶν τὸ ἔθνος: Mosocheni, a Mosocho condi nunc quidem Cappadoces dicuntur. Antiqui autem n minis non obscurum indicium habetur; urbs enim etic hodie apud eos est Mazaca, ex qua colligere arguti res possunt, totam olim gentem ita vocatam fuisse.* de Thubal: *Θώβηλος Θωβήλους (ἔκτισε), οἵτινες ἐν τοῖς Ἴβηρες καλοῦνται.* Strabo L. XI.: *Ἡ δ᾽ οὖν Μοσχικὴ τρι ρής ἐστι· τὸ μὲν γὰρ ἔχουσιν αὐτῆς Κόλχοι, τὸ δὲ Ἴβηρες, δὲ Ἀρμένιοι.* Cf. not. ad Ezech. XXVII, 13. תִּירָס vi tur esse *Θράξ*, *Samech* et *ξ* permutatis, ut in Alphab quod Graeci a Phoenicibus acceperunt, in quo litter occupat locum litterae Samech. Inde a nonnullis I braeorum *Thracia* תראסיה per Samech scribitur. Jo phus: *Θειρὰς δὲ Θείρας μὲν ἐκάλεσεν, ὧν ἦρξεν. Ἕλληνες Θρᾶκας αὐτοὺς μετωνόμασαν.* Eusebius in Chronico: *Θη ἐξ οὗ Θρᾶκες.* Eustathius Antiochenus: *Θείρας τοὺς Θει τοὺς νῦν Θρῆκας.* Epiphanius advers. Haeres. I, 7.: *Θ κες ἀπὸ τοῦ Θήρας.*

3. Vix monitu opus, non filios Gomeri (בְּנֵי גֹמֶר) gulos, sed gentes a Gomeritis ortas hic nominari. בְּנֵ ex Bocharti sententia, L. III. c. 9. est *Phrygia minor Bithynia,* quod in his regionibus fuit olim sinus A nius, lacus Ascanius, urbs et regio Ascania, insu Ascaniae, Pontoque Euxino a poëtis nonnunquam no *Ἀξείνου* datur, quod e voce *Aschçenaz* depravatum v tur. Neque tamen satis certis argumentis haec sente probari potest; quamquam ceteris de hoc nomine co

cturis sit verisimilior. Recentiores Judaei *Aschkenas* Germaniam esse putant, quae interpretatio perquam recens est, ac ne a sequioris quidem aevi Chaldaeis prodita; quare ea nullo modo locum habere potest, ut *Michaelis Spicileg.* P. I. p. 59. pluribus ostendit. Nomine רִיפַת quis populus sit intelligendus, difficile dictu est; quum ipsa orthographia nominis dubia sit. Syrus enim interpres et auctor Chronicorum (1 Chron. I, 6.), דיפת *Diphath* cum *Daleth* scribunt; tum et Masora et versio Chaldaica. Nec tamen omnia Chronicorum exempla in D initiale consentiunt, sed nonnulla quoque R habent. In fine vocabuli Riphath Samaritanus ד pro ת ponit. Josephus dicit: Ῥιφάθης Ῥιφαθαίους (ἔκτισε) τοὺς Παφλαγόνας καλουμένους, sed quum non dicat, quo sibi indicio Paphlagoniam agnoscere visus sit, nil certi hac de re definiri potest. Si רִיפַת genuinum sit, possint cum Clerico montes Riphaei intelligi, quos Pomponius Mela collocat ultra Arimphaeos ad septentrionem. *Ultra,* inquit L. I, c. 19., *surgit mons Riphaeus, ultraque eum jacet ora, quae spectat Oceanum;* et L. II. c. 2. pertinere eos ad orientalem Tanaidis ripam scribit. Postremum hujus Versus nomen, תֹּגַרְמָה, legitur et Ezech. XXVII, 14., ubi *equi et muli ad nundinas Tyriorum e domo Thogarmae adducti* dicuntur. Hinc *Bochartus Phaleg.* L. III. c. 11., veterum nonnullorum sententiam sequutus, *Cappadociam* intelligi statuit, quae ingentem numerum mulorum et equorum alebat, ut ex testimoniis veterum ostendit. Sed melius placet sententia *Michaelis Spicileg.* p. 76., esse *Thogarmaeis Armenios* intelligendos. Probat hanc sententiam maxime ex Mose Chorenensi, Armeniorum historico. Is enim in loco quodam ex *Mariba Catinensi,* antiquissimo historico, excerpto dicit, tralatitium apud Armenios fuisse, circa montem quendam Armeniae, *Harchiam* vocatum, Thogormi posteros habitasse, hunc Thogormum autem Moses Chorenensis quartum a Japheto facit. Et Graecus in Ezechielem Scholiastes monet, Thogarmaeos a nonnullis pro Armeniis habi-

tos esse: κατὰ μὲν τίνας, Ἀρμενίους καὶ Ἴβηρας, κατὰ δ' ἑτέρους, Καππαδόκας καὶ Γαλάτας. Armenii quoque ipsi ut Whistoni fratres in nota Mosi Chorenensi subjecta mo nent, se ipsos saepe *stirpem* vel *domum Thogormi* vo cant; atque haec ipsa verba in versione Ezechielis Armie nica pro Hebraicis בֵּית תֹּגַרְמָה ponuntur. Erat etiam Arme nia, *Xenophonte* (L. IV. *Expedit. Cyri*) et *Strabo ne* (L. XI. *Geogr.*) testibus, equorum proventu clara quorum copia et praestantia in Thogarmaea Ezechiel lau dat, ad cujus loc. vid. not. nostr.

4. אֱלִישָׁה haud dubie est Graecorum *Hellas*, u *Michaelis* in *Spicileg.* p. 79. ostendit. In eo enim est Moses, ut gentes a יָוָן ortas memoret, in quibus re cte primum locum ipsius Graeciae incolis dedit. Eandem sententiam ex antiquis Pseudojonathan, Chaldaicus Chro nicorum interpres et Syrus Ezechielis protulerunt. Ezech XXVII, 7. merces Elisaeorum, hyacinthinae purpureae que vestes, laudantur. In Peloponneso autem ipso, ali isque Graeciae et vicinarum insularum insulis ingens pur purearum concharum copia inveniebatur, et ex iis avehe batur, ut ex pluribus antiquitatis scriptoribus probari pot est. *Pausanias* in *Laconicis:* Κόχλους δὲ ἐς βαφὴ πορφύρας παρέχεται τὰ ἐπιθαλάττια τῆς Λακωνικῆς ἐπιτηδειοτά τας μετά γε τὴν Φοινίκων θάλασσαν, i. e. *Conchas ad tin cturam purpurae maritimae partes Laconicae post Phoe nicum mare aptissimas praebent.* Horat. II. Od. 18. — *nec Laconicas mihi trahunt honestae purpuras clientae* Cf. not. ad Ezech. l. l. Henslerus autem p. 356., cu יָוָן erat Arabiae felicis tribus, etiam אֱלִישָׁה in Arabia quaerendum putat, et eo quidem magis, quod Num XXXIII, 13. locus quidam, nomine אלוש in Arabia se ptemtrionali memoratur. Sed vide, quae in eam senten tiam monuit *Doederlein* in *dem neuen theologischen Journal*, P. I. Fasc. V. p. 387. תַּרְשִׁישׁ esse *Hispaniam* a Tartesso, nobilissimo olim portu et insula, in Baeti ostio, dicta, solidis argumentis probarunt *Bochartu*

in *Phaleg*, L. III. c. 7. et *Michaelis* in *Specilegio*, P. I. p. 82. seqq. Primo enim sonus concinit, ש primo pro more Chaldaeorum ac Syrorum in ת mutato. Deinde littus illud ipsum Ταρσήιον dicitur a Polybio L. III, ubi recitat verba foederis inter Romanos et Poenos sanciti, quo Μαστίας Ταρσηΐου μὴ λῄζεσθαι ἐπέκεινα Ῥωμαίους, μηδὲ ἐμπορεύεσθαι, μηδὲ πόλιν κτίζειν: *ultra Mastiam et Tarseium Romanis praedas agere non licet neque ad mercaturam proficisci, neque urbes condere.* Ταρσήιον autem *Stephanus* interpretatur πόλιν πρὸς ταῖς Ἡρακλείαις στήλαις, *urbem ad Herculis columnas.* Et *Eusebius* ex Tharsis Iberes ortos dicit: Θαρσὶς ἐξ οὗ Ἴβηρες. Porro argenti ditissimam hanc regionem fuisse, ex Jerem. X, 9. et Ezech. XXVII, 12. liquet, ex quo loco etiam patet, ferrum, plumbum et stannum ex Tarschisch Tyrios petiisse. Hispania autem tum temporis Strabone, Diodoro Siculo, Plinio, aliisque testibus, metallorum effossione maxime foecunda fuit. *Strabone* L. III.: Οὐκ ἄργυρος, οὐδὲ δὴ χαλκὸς, οὐδὲ σίδηρος οὐδαμοῦ τῆς γῆς, οὔτε τοσοῦτος, οὐθ᾽ οὕτως ἀγαθὸς ἐξήτασται γεννώμενος μεχρὶ νῦν: *Neque argentum, neque aes, neque ferrum ullibi terrarum, neque tam multum, neque tam bonum gigni compertum est hactenus.* *Diodorus* L. V.: Αὕτη γὰρ ἡ χώρα σχεδὸν τι πλεῖστον καὶ κάλλιστον ἔχει μεταλλευόμενον ἀργύριον: *haec enim regio* (Iberia) *plurimum fere et optimum habet argentum fossile.* Et paulo post: γίνεται τε καὶ κασσίτερος πολλοῖς τοποὶς τῆς Ἰβηρίας: *gignitur autem etiam stannum in multis Iberiae locis.* *Plinius* H. N. L. III. c. 3. *Metallis plumbi, ferri, aeris, argenti, auri, tota ferme Hispania scatet.* Portum etiam habuisse videtur Tharschisch, navigationibus Phoenicum nobilissimum, ut vel a poëtis naves Tharschisch pro omnibus navibus nominentur, exemplo pro toto genere posito. Vid. Jes. II, 16. XXIII, 1.-4. Ps. XLVIII, 8. Fuit quoque illud littus et remotissimum et occidentale. Joppe enim illuc navigaturis portus, eoque fugere voluit Jonas, ne impetu prophetico Assyriam adripi posset. Orientalibus quoque

populis, Sabaeis, Tharschisch tanquam ultima aliqua Oc
cidentis ora opponitur, Ps. LXXII, 10. Quae omnia be
ne Hispaniae conveniunt. Nec obstat huic de Hispani
sententiae, quod gens, de qua sermo est, Graecorum di
citur fuisse colonia, a quibus Hispani ob linguae diver
sitatem ac barbariem orti esse haud videantur. Recorda
ri enim debemus, alteram ex illis gentibus, quae Graeci
am habitarunt, non Graeca lingua, sed barbara usam fu
isse; hi ergo, non Dores, coloniam in Hispaniam dimi
sisse dicendi erunt. Ab hac sententia longe discedit Hens
lerus, qui in Animadversionibus ad calcem Jesaiae a s
translati multis ostendere conatus est, *Tharschisch* ess
regionem quandam Aethiopiae seu Habessiniae, fortasse in
sulam in sinu Arabico prope litus Aethiopicum. Quar
sententiam adversus ea, quae opposuerunt C. T. Tychse
(in *Michaelis neuer Oriental. Bibliothek* P. VI. pag
18. 19.), *Eichhorn* (*Allgemeine Bibliothek der bibli
schen Litteratur*, P. II. p. 1048.), et *Doederlei*
(*Neue theolog. Bibliothek*, P. IV. Fasc. 8.), defendi
in *den Bemerkk. über Stellen in den Psalmen und in de
Genesis*, p. 340. seqq. Judaeorum quorundam et Hie
ronymi (vid. not. nostr. ad Jesaj. II, 16.) opinionem, רְשִׁישׁ
esse nomen appellativum, *mare, oceanum* significans, nc
stra aetate suam fecit *H. E. G. Paulus* in *den Memorab*
Fasc. V. p. 103 — 118. Et hoc quidem loco תַּרְשִׁישׁ tam a
כִּתִּים quam ad רֹדָנִים (ita enim legendum esse vult pr
רֹדָנִים) pertinere censet, ut vertendum sit: *pelagus Cit
taeorum Rodanorumque*, qua appellatione comprehend
putat *maris Aegaei insulas*. Sed vid. quae de ista sen
tentia dixit Michaelis in *Spicil.* P. I. p. 90. et 95. De ali
quadam circa תַּרְשִׁישׁ sententia vid. not. nostr. ad Ezech
XXVII, 12. כִּתִּים *Bochartus* in *Phaleg.* III, 5. pr
nomine Italiae mediae circae Romam habuit. Occurr
enim apud Halicarnasseum urbs Κετία, *Cetia*, in ipso La
tio sita. Et circa *Cumas* Κετὸς, *Cetus*, fluvius, ab alii
Silarus vocatus. Eodem pertinet, quod *Cocinthum*, qu
si חֹק כִּתִּים (uti vult Bochartus), i. e. terminum Cittaec

rum, veteres appellarunt extremum Italiae promontorium, de quo Polybius L. II. dicit, et quod hodie *Capo di Stilo* vocatur. Nec desunt, qui Romanos et Latinos asserunt e *Citiis* vel *Cetiis* traxisse originem, atque hanc illis fuisse priscam appellationem, e. c. Eusebius: Κίτιοι, ἐξ οὗ Λατῖνοι, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι. Suidas: Λατῖνοι οἱ νῦν Ῥωμαῖοι. Τήλεφος γὰρ υἱὸς Ἡρακλέους, ὁ ἐπικληθεὶς Λατῖνος, μετωνόμασε τοὺς πάλαι Κητίους λεγομένους νῦν Λατίνους. Bocharti sententiae quamvis adstipulatus esset Michaelis in *Spicil.* P. I. p. 103., postea tamen eam reliquit accessitque iis, qui כִּתִּים *Macedoniae* nomen fuisse existimant, in *Supplemm.* p. 1377., hoc potissimum argumento motus, quod ex 1 Maccab. I, 1., ubi Alexander egressus dicitur ἐκ τῆς γῆς Χεττιείμ, manifestum, eo tempore, quo Judaeis Macedonia optime fuit nota, quippe qui regibus Syromacedonibus suberant, illud nomen Macedoniae fuisse. Et 1 Macc. VIII, 1. Perseus, mutata paululum scriptione, Κιτιαίων βασιλεύς dicitur. Nominis antiqui Macedonum Hebraeo consonantia fragmenta servavit Drusius ad h. l.; ut Μακεττία, *Macedonia*, Μακεδὸς, *Macedo*, cujus femininum Μακετίς. Vid. et *Matth. Hilleri* Dissertat. *de origine gentt. Celticar.* in ejus *Syntagm. Hermeneut.* p. 136. seqq. Henslerus כִּתִּים habet pro tribu quadam sive Arabiae sive Aethiopiae; Paulus vero l. c. pro nomine insularum in superiori mari Aegaeo dispersarum, a radice כָּתַת, *contudit.* Postremi hujus Versus nominis ne scriptura quidem est certa. Scribitur enim et דֹּדָנִים per *Daleth*, et רֹדָנִים per *Resch.* Fuerunt etiam codices, in quibus vocabulum omnino omissum erat, cujusmodi exemplo Josephus usus fuisse videtur. *Dodanim* tamen testium numero et auctoritate alteri praestat. Hoc igitur si genuinum sit, non ineptum erit, de antiquissimo Epiri oraculo et urbe, *Dodona*, cogitare; ut *Michaelis* in *Spicileg.* P. I. p. 120. Si autem alterum, רֹדָנִים, *Rhodanim*, praeferas cum *Bocharto* in *Phaleg.* L. III. c. 6., Galliae Rhodanensis accolae intelligi possint. Eandem legendi rationem sequitur Paulus, l. l., sed ita, ut *Rhodum* insu-

lam, et quas circa eam jacent, intelligat. Graecus Al
xandrinus quoque Ῥοδίους vertit. Hillerus l. l. p. 14
רֹדָנִים *Dodanim* notare vult *longius euntes*, subinde s
moventes, palari factos, longeque vagantes, a Verbo יָדַד
unde Ps. LXVIII, 13. מַלְכֵי צְבָאוֹת יִדֹּדוּן יִדֹּדוּן *reges exe*
cituum incessantes movebunt sese. Sed pertinet potius a
נָדַד. *Dodanim* vero et *Rodanim* dictos putat, eodem, a
cognato nominis significatu, a רָדָה quod Syris et Cha
daeis est *migrare, proficisci*, et inprimis de itinere mar
timo dicitur, ut רֹדָנִים *navigantes* notare possit. Utroqu
nomine Japheti posteros in Hispaniam trajectos indica
existimat.

5. Recensio progeniei Japheti clauditur hac annota
tione: מֵאֵלֶּה נִפְרְדוּ אִיֵּי הַגּוֹיִם *Ex his*, scil. omnibus Ja
pheti posteris, Vss. 2. 3. 4. enumeratis, non, ut quidan
volunt, ex solis Graecorum coloniis (Vs. 4.), *diversa*
sunt regiones gentium, i. e. omnes illi populi, qui ante
sunt memorati, Japheto oriundi, illam sibi orbis terra
rum partem diviserunt, quae proprio nomine Hebraei
אִיֵּי הַגּוֹיִם dicitur. Nomen אִיִּים, quod proprie in univer
sum *habitationes, mansiones* (collato Arabico أَوَى *se re*
cepit commorandi ergo in locum aliquem), i. e. regio
nes denotat, cum הַגּוֹיִם junctum ex usu proprio geogra
phiae Hebraeorum dicitur de regionibus earum gentium, qua
Hebraeis Phoenicibusque barbarae erant, complectiturque
praeter maris mediterranei insulas, Europam, Asiam mino
rem, quae Pontum Euxinum inter et Caspium mare sunt
Mediam, et Magogitidem, sive Scythiam veterum Grae
corum, ut pluribus ostendit Michaelis in *Spicil.* P. I. p
132. seqq. בְּאַרְצֹתָם אִישׁ לִלְשֹׁנוֹ *In terris eorum*, popu
lorum, *vir*, quilibet, *juxta linguam suam*, i. e. singul
populi habitatione et lingua diversi. לְמִשְׁפְּחֹתָם בְּגוֹיֵהֶם
Secundum familias in gentibus earum, i. e. secundun
minores gentes, quarum quaeque ad majorem aliquen
populum referenda. Nempe Hebraeis מִשְׁפָּחָה alias es
cognatio, minor familia, subordinata majori, שֵׁבֶט di

ctae; hic vero, ubi de gentibus sermo, גּוֹי *totius gentis* nomen videtur, מִשְׁפָּחָה *coloniae*. Nonnunquam tamen latius patet, ut cum Zach. XIV, 18. 19. de populo Aegyptiaco dicitur.

6. Transit jam ad Chami progeniem recensendam, usque ad Vs. 20. Nomine כּוּשׁ Michaelis in *Spicileg.* P. I. p. 143. seqq. argumentis pluribus ostendit utramque intelligi Aethiopiam, Arabicam, quae mater est, et Africanam seu Abessiniam, coloniam. Huic sententiae insigni testimonio est Josephus, suo adhuc tempore Aethiopiam hoc nomine vocitatam adfirmans. Praefatus enim *Antiqq.* L. I. Cap. 6. §. 2., aliqua nominum, quibus Chami posteros Moses indigitet, in desuetudinem abiisse, כּוּשׁ et מִצְרַיִם ex eorum numero excipit: Χοῦσον μὲν, inquit, οὐδὲν ἔβλαψεν ὁ χρόνος, Αἰθίοπες γὰρ ὧν ἦρξεν, ἔτι καὶ νῦν ὑπὸ ἑαυτῶν τε καὶ τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ πάντων, Χουσαῖοι καλοῦνται: *Chuso nihil tempus detrivit. Aethiopes enim, quorum conditor fuit, vel in hunc usque diem et ipsi se Chusaeos dicunt, et ab omnibus in Asia ita appellantur.* Quod confirmatur linguae Syriacae usu. Candacem enim, reginam, ejusque eunuchum, qui Act. VIII, 27. ἀνὴρ Αἰθίοψ vocatur, δυνάστης Κανδάκης βασιλίσσης Αἰθιόπων, Syrus N. T. interpres ܟܘܫܝܐ *Cuschaeos* appellat, quod nomen Syriacum Arabs, de quo non credibile est, eum gentis suae nomen ignorasse, *Habessinos* reddidit. In vulgari itaque Syrorum lingua *Cusch* erat *Abessinia.* Denique ex Jeremiae loco Cap. XIII, 23. patet, Cuschaeorum alium colorem esse, quam reliquorum mortalium, cujus nigredo nulla aquae copia elui possit, quod Aethiopibus optime convenit. Cuschaeos autem diu ante Mosen ex Arabia in Habessiniam trajecisse, argumentis non contemnendis probare studuit *J. G. Eichhorn* in Commentat. quam inscripsit: *de Cuschaeis verisimilia*, Arnstad. 1774. 4. מִצְרַיִם *Aegyptum* esse, nemo dubitat, sitne vero nomen origine Hebraeum, an Arabicum, an Aegyptium, definiri nequit. *J. R. Forster* in *Episto-*

lis p. 8. ex Coptico ΜΕΣΧΗ-ΡΗ vult ortum
agrum solis denotat. Aegyptii enim, ut S
Antiquo Chronico habet, docebant, ***Vulcanum***
Aegypto regnasse, dein vero Solem; unde
ager solis vocabatur. Cf. tamen Te-Water
ad calcem T. I. *Opusculor. Jablonskii*, p. 4
pra p. 195. Quod Aegyptus dualiter plerumq
fortasse ad divisionem hujus terrae in ***superior***
riorem pertinet. פוט *Phutaei* videntur es
circa Carthaginem habitantes, qui hodie Maro
tur, vid. *Michaelis Spicil.* P. I. p. 160.
ἔκτισε δε καὶ Φούτης τὴν Λιβύην, Φούτους ἀπ' α
τοὺς ἐγχωρίους. Ἔστι δὲ καὶ ποταμὸς ἐν τῇ Μ
τοῦτο ἔχων τὸ ὄνομα. Ὅθεν καὶ τοὺς πλείστους τῶ
ἱστοριογράφων ἔστιν ἰδεῖν μεμνημένους τοῦ ποταμοῦ,
μένης αὐτῷ χώρας Φούτης λεγομένης. Μετέβαλε δ
αὐτῇ ὄνομα ἀπὸ τῶν Μεστραΐμου υἱῶν ἑνός. Ille au
cognominis Φούτη illabitur ex regno Maroccan
Atlanticum, atque a *Plinio Hist. Nat.* I
commemoratur. כְּנַעַן *Canaan* viri nomen esse
tem sibi cognominem condidit, *Michaelis* i
166. ob historiam Genes. IX, 18—27. creden
Ceterum quoque eos, qui Graecis Latinisque
sunt, ab Hebraeis Cananaeos vocari. Insignis
re apud Eupolemum locus, in libro *de Juda*
syria. Ibi nempe legitur ex Saturno Belum
et Canaanem, τοῦτον δὲ τὸν Κανααν γεννῆσαι, τὸν
Φοινίκων. Et in Philone Byblio mentio fit cuj
τοῦ πρώτου μετονομασθέντος Φοίνικος· nomen *Chn*
videt natum esse ex decurtato *Chanaan.* S
lingua Phoenices Cananaeos se vocabant, ut e
qui Phoenicias litteras habent, constat. Sed p
nicum sedes non in Palaestina et Phoenice, s
bia ad mare Erythraeum fuisse, unde mercatu
tunitate allecti, colonias in Palaestinam dimis
poria condiderint, ac tota deinde regione po
probavit Michaelis pluribus tam Graecorum

que quam Orientalium scriptorum testimoniis, ex quibus unum tantum Herodoti locum adscribere lubet. Is statim in operis initio ut acceptum a Persis refert, Φοίνικας ἀπὸ τῆς Ἐρυθρῆς καλεομένης θαλάσσης ἀπικομένους ἐπὶ τήνδε, τὴν θάλασσαν, καὶ οἰκήσαντας τοῦτον τὸν χῶρον τὸν καὶ νῦν οἰκέουσιν, αὐτίκα ναυτιλίῃσι μακρῇσιν ἐπιθέσθαι, *Phoenicas a mari rubro ad hoc nostrum profectos, eamque regionem, in qua adhuc habitant, occupantes, longinquis continuo navigationibus se dedisse.* Ceterum Michaelis Amalecitas eundem cum Cananaeis populum esse arbitratur, hoc uno discrimine, quod qui ejus stirpis Palaestinam Syriamque incolebant, *Canaan*, qui Arabiam, *Amalec* dicerentur; quam sententiam argumentis haud contemnendis p. 176. seqq. commendat.

7. סְבָא *Sabaei*, qui et Jesaj. XLIII, 3. Ps. LXXII, 10. memorantur, Meroën (Nili insulam) habitasse videntur, ut ex Josephi quodam loco apparet, non eo quidem, ubi origines gentium explicat, sed obiter, ubi vitam Mosis et facta exponit. Narrat videlicet *Antiqq.* L. II. c. 10., Aethiopes bello ab Aegyptiis Mose duce impetitos, ultimum confugisse in urbem Sabam, quam postea in honorem sororis Cambyses Meroën adpellaverit. Καὶ τέλος, inquit, συνελασθέντες εἰς Σαβὰ, πόλιν βασίλειον οὖσαν τῆς Αἰθιοπίας, ἣν ὕστερον Καμβύσης Μερόην μετωνόμασεν, ἀδελφῆς ἰδίας οὕτω καλουμένης, ἐπολιορκοῦντο. Ex quo loco apparet, Judaeos partem Aethiopiae Africanae intimam, quam exteri Meroën vocabant, Sabam appellasse. Michaelis p. 188. Meroën in ea, quae nunc dicitur Nubia, aut in regno Sennaar, sub gradu latitudinis 15 aut 16, sitam esse arbitratur. Nomine חֲוִילָה duplex populus, alter hic, alter Joctane ortus infra Vs. 29. memoratur. Quae hic nominatur *Chavilah*, eadem regio est, ut *Niebuhr* in *Descript. Arab.* p. 270. existimat, quae hodie *Chaulan* dicitur, ad occidentem Saadae sita, in Arabia felici sive *Jemen.* סַבְתָּה haud diversum videtur a *Sabatha*, vel *Sabotha* Arabiae urbe, *solis cultu celebri*, Plinio *Hist. Nat.* L. VI. Cap. 28. memorata. Cf. Michaelis *Sup-*

plemm. p. 1714. רַעְמָה *Rhama*, aut ***Ragma*** Bocharto L. IV. c. 5., cui et quodammodo Michaelis p. 193. adstipulatur, *Rhegma* est Arabiae urbs ad sinum Persicum sita, quae et in Ptolemaei tabulis invenitur. Concinunt LXX., qui Ῥεγμὰ posuerunt. Sed plerique veterum hanc urbem ignorasse videntur, ne Strabone quidem aut Plinio ejus mentionem facientibus. Quare Michaelis Büschingii conjecturam probat, *Reamam*, Arabiae felicis urbem, quam Barthema descripsit, ut magnam mercaturam facientem, incolasque valde nigros habentem, esse Mosis Raamam. Concinit etiam situs in Arabia, in qua Cuschaei habitarunt, et color Cuschaeorum colonia dignus, et denique mercaturae celebritas, ab Ezechiele laudata, XXVII, 22., ad quem loc. cf. not. nostr. סַבְתְּכָא, quod alias non legitur, Bochartus Samydachen, Carmaniae, Arabiae vicinae urbem, Stephano memoratam, esse autumat, literarum B in M et Th in D permutatione haud infrequenti. Jonathan זַנְגָּאֵי *Zingitas* vertit, quos et Abulpharagius Chami posteris assignat. Sunt autem Arabibus Nigritae ad mare Indicum, quorum patria hodie *Zanghebar* dicitur. Ptolemaeo quoque *Zingis* urbs est extremae Aethiopiae Orientalis, quae Aegypto subjacet. שְׁבָא *Sabaeos*, Bochartus (L. IV. Cap. 7.) existimat Arabiae felicis partem ostio maris Persici et Caramanis proximam habitasse, quod ibi montes sint, quos Arrianus *Sabo*, Ptolemaeus *Asabo*, et Marcianus ***Pasabo*** vocat. Michaelis p. 196. suspicatur, Sabaeos, qui hic, et eos, qui Vs. 28. nominantur, unum eundemque populum esse, atque eorundem Sabaeorum aliquas familias Joctanem, alias Ragmam generis auctorem retulisse. דְּדָן vix dubium esse *Daden*, urbem ad sinum Persicum sitam, quam in tabula Asiae d'Anvillana invenies extra ostium sinus Persici, haud procul ab ipso mari Indico, inter Daban et Kourfekian. Occurrit idem nomen דְּדָן quater adhuc, Jerem. XXV, 23. XLIX, 8. Ezech. XXV, 13. XXVII, 15. Sed ex his locis duo, Ezech. XXV, et Jerem. XLIX, huc non pertinent, qui enim ibi memorantur Dedanitae,

non Cuschaei sunt, sed Abrahami posteri. Ezechiel XXVII, 15. narrat Tyrios Dadena ebur et hebenum petiisse, cf. not. ad eum loc. Josephus pro ודדן, omisso Nun, Vau pro parte vocabuli habito, et Jod praeposito, יודד legisse videtur; scribit enim *Antiqq.* L. I. c. 6. §. 2. Ἰουδάδας *μὲν Ἰουδαδαίους, Αἰθιοπικὸν ἔθνος τῶν Ἑσπερίων, οἰκίσας, ἐπώνυμον αὐτοῦ κατέλιπεν*, ex quo loco patet, nomen gentis Josephi tempore adhuc viguisse, Graecisque scriptoribus fuisse frequentatum.

8. וְכוּשׁ יָלַד אֶת־נִמְרֹד *Et Chusch genuit Nimrodum.* Hic, ut Michaelis *Spicil.* P. I. p. 209. notat, non populus aliquis, sed homo unicus, sive filius sive nepos, Cuscho progenitori tribuitur; isque ita a reliquis, qui Versu praecedente nominati erant, a Mose ipso distinguitur, ut jam ex hac filiorum disjunctione suspicari necesse sit, eos, qui antea nominantur, non proprio verbi sensu filios, sed populos esse Cuscho ortos. Est autem Nimrodo a מָרַד, *rebellavit, defecit* nomen, ex Hebraeorum sententia, ideo impositum, quod et turrim Babylonicam invito Deo exstruere conatus sit, et, ut Orientales tradere solent, idololatriae auctor et promotor fuerit. Talem Josephus *Antiqq.* L. I. c. 4. §. 2. Nimrodum describit. Ἐξῆρεν, inquit, *αὐτοὺς πρὸς τὴν ὕβριν τοῦ Θεοῦ καὶ καταφρόνησιν Νεβρώδης, — ὃς ἔπειθεν αὐτοὺς, μὴ τῷ Θεῷ διδόναι τὸ δι᾽ ἐκεῖνον εὐδαιμονεῖν, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν ταῦτα παρέχειν αὐτοῖς ἡγεῖσθαι. Ad Dei autem contemtum animum illis addidit Nebrodes, docens, non Deo acceptam referendam felicitatem, sed cuique suam virtutem praestare omnia.* Addit, sperasse eum, occupata tyrannide *ἀποστήσειν ἀνθρώπους τοῦ φόβου τοῦ παρὰ τοῦ Θεοῦ, abducturum se homines, quo minus a Deo quidquam metuerent*, ipso eo verbo usus, quod saepe LXX. pro Hebraico מָרַד ponunt. Solent autem Orientales, uti Michaelis monet, non raro viros nobiles nominibus compellare, non iis, quae dum viverent, gesserunt, sed post mortem inditis, unde mirus ille nonnunquam inter nomina et res gestas consensus. Apposite ad rem observat Clericus, He-

braeo consonum Arabicum مَرَن significare *et valde inobsequentem ac insolentem esse*, annotatione: „ejusmodi indolis oportet fuisse, parentum imperium spreverit, quod est ar imperii genus, et in alios usurpare instituer Nimrodus. Vix mihi persuadeo, hoc nomen mum impositum, uti nec multa alia aliis, inventa aut indolem significant. Videntur p mina quaedam esse, quorum solorum, no oblivioni mandatis superfuerit apud posteros הוּא הֵחֵל לִהְיוֹת גִּבֹּר בָּאָרֶץ *Is incepit potens e* Potentia haec Nimrodi videtur regnum, quo ter homines usurpasse proditur, potissimum quamvis vires corporis non excludendae fuer quae cum ad venationem, tum ad occupandu necessariae fuere. הֵחֵל לִהְיוֹת *incepit esse hi mum esse*. Michaelis l. l. p. 213. Hebraea s tur: *hic coepit tyrannus esse in terra*, i. e per vim tyrannide potitus est, humanoque g tem eripuit. Eandem sententiam Josephus hi pressit: τολμηρὸς, καὶ κατὰ χεῖρα γενναῖος, — κατ' ὀλίγον εἰς τυραννίδα τὰ πράγματα, *aud promtus rem publicam in tyrannidem mut* גִּבּוֹר haud raro in malam partem sumitur, stam praedonis, parricidae et tyranni obtinet

3. CXX, 4. Sic et Arabicum جَبَّار, quo hi dias, non tantum *validum*, *praepotentem*, *s perbum*, *insolentem*, *rebellum in Deum* sig interpretes γίγας verterunt; opinionem inte vulgatam secuti, qua Nimrodus ad Gigan Sunt quidem, qui his quae hoc Versu et Nimrodo dicuntur, nil vituperationis inesse c *Perizonius* in *Origg. Babylonic.* P. II. 233., *J. G. Span* in Dissert. *de Nimrodo j re*, Lips. 1712. 4. et *C. F. Wepler* in *a krit. Fragmentt.* P. IV. p. 15. seqq. Quibu

versatur vetus illa et consentiens inter Arabes aeque ac Persas de Nimrodo tyranno et in Deum rebelle fama. Appellant eum, Babylonis conditorem, ضحّاك *irrisorem*, i. e. impium. Vid. *Herbelot Biblioth. Orient.* sub voc. *Dhohak*, et cf. Michaelis *Supplemm.* p. 1321.

9. Verba הוּא הָיָה גִּבֹּר צַיִד LXX. minus recte οὗτος ἦν γίγας κυνηγὸς reddiderunt. Nam צַיִד non *venatorem* sed *venationem* significat, unde vertendum ita: *is fuit potens venationis*, s. *venatione*, i. e. strenuus venator, ut Jud. VI, 12. XI, 1. גִּבּוֹר חַיִל est *potens viribus*, fortis. „Sic docet Moses," inquit Bochartus LIV. Cap. 12. p. 258., „qua via gradum sibi fecerit Nimrodus ad monarchiam. Nempe venationum praetextu collegit juvenum robustam manum, quam talibus exercitiis ad belli labores induravit. Persarum reges Xenophon in primo Cyropaediae suis praeivisse testatur tam in venationibus quam in bellis ineundis; adeoque idem docet statim initio Cynegetici, veteris aevi heroas plerosque omnes, Theseum, Castorem, Pollucem, Ulyssem, Diomedem, Achillem, fuisse μαθητὰς κυνηγεσιῶν, *discipulos venationum*, Chirone illos venandi artem summa cura edocente, tanquam ad bellicam disciplinam non parum profuturam." Quibus junge, quae in hunc locum egregie commentatus est *Frid. Schiller* in *den kleineren prosaischen Schriften*. P. I. p. 378—485. Quo sensu autem Nimrodus hic dicatur strenuus venator לִפְנֵי יְהוָֹה *ad conspectum Jovae*, seu *coram Jova*, variant sententiae. Alii enim fortem *divinitus adjutum* venatorem significari putant, alii *Deo adversarium*, coll. 1 Chron. XIV, 8., ubi de Davide contra Philisthaeos expeditionem suscipiente dicitur וַיֵּצֵא לִפְנֵיהֶם *egressus est obviam iis*, ut Vulgatus vertit. Michaelis: „vidente et indignante Deo, quod in conspectu omniscii numinis, excusso ejus metu ac reverentia, alios opprimere auderet." Sed bene Perizonius l. l. p. 232.: „Illud *coram Domino* est frequens Hebraeis loquutio, quae variis rebus jungitur vario sensu. Conferri cum hoc

loco possunt Genes. XVII, 9. *Benedicam tib.*
in conspectu Dei antequam moriar. Ps. LVI,
ad Deum oratione: *Nam eripis animam mea.*
pedes meos a lapsu, ad ambulandum אֱלֹהִים ׳
spectu Dei assidue in luce hujus vitae. Et]
Erit nomen ejus in seculum, לִפְנֵי שֶׁמֶשׁ *in co*
lis propagabitur nomen ejus. Quibus locis
significat vel intensionem rei cui jungitur, vel
lentiam, vel potissimum id, quod palam, felic
denter, secure, et ita, ut desideretur in eo
quasi in conspectu ac praesidio Dei. Sed e
loco Psalmi LVI, 14., esse simplicem phrasin
per in animo scriptoris relatam diserte ad D
ceteroqui dicere isthic debuisset David *in cons*
atque adeo vulgari in usu, quasi commune ad
gi posse etiam rebus Deo non probatis, quae
hominibus confidenter vel excellenti modo pala
fiant. Conveniunt autem illa omnia venation
ut dicatur, vel *vere*, vel *excellenter*, vel *aud*
dus, seu, ut Bochartus, *quam maxime poten*
quidem p. 258. ait: „Dicitur aliquid esse *c*
quod re vera tale est, quia Deus est homine
spicacior, et rerum intima visu suo penetrat.]
Nimrod dicitur potens venator coram Domine
tur, illum revera fuisse talem, et Deum ipsum
hil latet, neminem in terra vidisse cum ipso
dum.“ Ceterum cf. quae scripsimus ad Micha
tatt. ad Lowthi librum *de sacra Hebraeor. Poë*
edit. a. 1815. p. 448. עַל־כֵּן יֵאָמַר *Propterea*
e. dici solet; quae formula adagiis praemitti s
infra XXII, 14. Significat Moses, suo adhuc te
strenuo venatore in ore omnium fuisse istam
lem loquutionem. Sine ratione idonea Michael
cileg. P. I. p. 219. et ad Lowthum *de Sacra P*
P. I. p. 78. not. 13. edit. Gotting., p. 448. L
carminis historici, noti Israelitis, verba hic citar
alius tyrannus Nimrodo esset comparatus.

10. וַתְּהִי רֵאשִׁית מַמְלַכְתּוֹ בָּבֶל *Eratque initium regni ejus Babel*, i. e. initia regni ab eo fundati erant Babel ceteraeque, quae statim memorantur, urbes, quae jam exstitisse videntur, neque enim conditae ab eo dicuntur. Quum autem רֵאשִׁית non *initium* tantum, verum et quod *praecipuum* est et *caput* significet, sunt, qui hoc Versu hoc dici existiment, urbes, quarum hic mentio facta, majores et praecipuas fuisse, in quibus imperium collocarit, quibus minores aliae subjectae fuerint. Pluribus hac de re disputarunt Hegewisch in Commentatione, quae legitur in *der Berlinischen Monatsschrift, September*, 1794. p. 216. seqq., et *Bredow* in *den Untersuchungen über alte Geschichte, Geogr. und Chronol.* p. 130. seqq. אֶרֶךְ Bochartus L. IV. c. 16. cum Salmasio *Areccam* Ptolemaei et *Arecham* Ammiani, in Susianae et Babyloniae confinio sitam, intelligit. Quae conjectura tamen solo ex concentu nominis est ducta. *Edessam* potius, nobilem Mesopotamiae urbem, nomine Hebraeo אֶרֶךְ appellari, ostendit Michaelis in *Spicil.* p. 221., quae sententia et Veterum testimoniis nititur. Solet autem pluribus Edessa nominibus vocari. *Edessam* Graeci dixerunt, ab Edessa Macedoniae, iidemque ob vicinos fontes rivosque, Καλλιῤῥόην, quod nomen detruncatum Syri in ܐܘܪܗܝ *Urhoi*, Arabes in *Elroha*, الرها, mutarunt. Recentioribus plerumque *Orfa*, أُرْفَا, dicitur, forsan ex *Orha* ortum. Inter veteres interpretes אֶרֶךְ Edessam explicant utrumque Thargum, Ephremus Syrus, Hieronymus, Abulpharagius. Pro אַכַּד LXX. habent Ἀρχάδ, quod sequutus Bochartus (L. IV. Cap. 17.), et ostendit, literam ר saepe interponi, quae elisa per Dagesch forte in כ indicetur; inventoque in Sittacene, Assyriae provincia, fluvio *Argade* (Aelian. de animall. Cap. 42.), vel *Archade*, conjicit, urbem Sittacen esse *Archad* dictam. Verisimilior tamen est Clerici conjectura, esse urbem Σακάδα, quam Ptolemaeus paulo infra Ninum, antequam in Tigridem influat Lycus fluvius, collocat.

„Nec opus est fingere nomen urbi fuisse, quod apud veteres exstat, nec multum a nomine אַכַּד ; nam S ab initio additi aut detracti frequentia su minibus propriis exempla. Observat ipse Bocha *naan.* L. I. Cap. 35.), eosdem esse populos apu sium *Satricanos* et *Atricanos*, apud Strabone *aeos* et *Ardiaeos*, apud Ptolemaeum *Selgovas vas*, aliaque similia.“ Michaelis (*Spicil.* p. 2 interprete Syro ܐܟܪ, אַכַּר, legendum conjicit, quum fuit nomen urbis nobilissimae, quae dein tan a praesidiis ibi collocatis, נְצִיבִין, Latine N pellata fuit. Eandem urbem in Hebraeo כַּר agnoscunt Ephremus, Abulpharagius et Hierony minis כַּלְנֵה manifesta vestigia quum supersint ir *tide*, cujus metropolis fuit *Ctesiphon*, pagus celeberrimus, tertio milliari a Seleucia Babylonia ges Persarum hyemabant, teste Strabone L. 1079. ed. Almelov.; non sine veri specie c charius (L. IV. Cap. 18.), quem sequitur Chalnen dictam fuisse prius eam urbem, quar rex Persarum, postea Ctesiphontem vocavit. bes Moses ait sitas esse בְּאֶרֶץ שִׁנְעָר *in terra Si* constat nomen fuisse regionis circa Babylonem, quousque exporrecta fuerit, ignoratur. *Jose tiqq.* L. I. c. 4.: Περὶ δὲ πεδίου τοῦ λεγομένου Σ Βαβυλωνίᾳ χώρᾳ, μνημονεύει Ἑστιαῖος, λέγων οὕτι ἱερέων τοὺς διασωθέντας, τὰ τοῦ Ἐνυαλίου Διὸς ἱε βόντας, εἰς Σενναὰρ τῆς Βαβυλωνίας ἐλθεῖν.“ *Pla naar, in Babyloniorum regione, commemora Hestiaeus, his verbis: qui vero de sacerdoti erant, cum Jovis Enyalii sacris in Sennaar concesserunt.* Singarae quoque urbis in Meso minere Plinius, Eutropius, Ptolemaeus, Amm graphus Nubiensis; et Singarenae regionis Sext Pomponius Laetus. Pro אֶרֶץ שִׁנְעָר interpres posuit ארעה צופה, quod Michaelis in *Spicil.*

terpretatur *terram turris*, i. e. Babyloniam, a Verbo צָפָה *speculari*. Quod tamen *G. B. Winer* in Dissert. *de versionis Pentateuchi Samarit. indole* p. 57. minus probabile esse ait, et satis verisimiliter conjicit, צופה esse pro צובה positum, perpetua literarum פ et ב inter se permutatione. „Jam vero צובה, sive ארם צובה est Mesopotamiae tractus; in Mesopotamia autem sita fuit urbs *Singara* سنجار (cf. Geogr. Nub. Clin. IV. p. 6. Schultens Indic. geogr. ad Vit. Salad.), quae forsan interpretis menti obversabatur." Abu Saidus, Arabicus textus Samaritani interpres, posuit h. l. العراق *al-Irak*. Quum autem duplex sit Irak, altera Arabica, seu Babylonica, quae veterem Babyloniam, altera Persica, quae Assyriam veterum, partemque Parthiae et Mediae comprehendit, earum utram intellexerit, incertum est.

11. מִן־הָאָרֶץ הַהִוא יָצָא אַשּׁוּר *Ex qua terra egressus est Assur*, vel: *egressus est* scil. Nimrod in *Assyriam*. Apte, ut Michaelis notat, verbum *exeundi* positum; est enim Mesopotamia separata a reliqua Asia regio, et aliqua tanquam insula, quo et nomine Orientalibus vocatur. אַשּׁוּר utrum h. l. hominis an regionis nomen sit, interpretes dissentiunt. Qui pro regionis nomine habent, Nimrodum e terra Sinear in Assyriam egressum esse, dici volunt. Quam interpretationem, a Bocharto potissimum (L. IV. Cap. 12.) commendatam, multis argumentis refutarunt Perizonius in *Origg. Babylonn.* P. II. Cap. IV. p. 38. seqq. et Michaelis in *Spicil.* p. 235. seqq., et is quidem „mihi," inter alia inquiens, „prior interpretatio, *ex terra ea egressus est Assur*, multo videtur altera verisimilior, cum quod prima legenti succurrit, tum quod, *egressus est in Assyriam*, dicturus Moses, non אַשּׁוּר, sed אַשּׁוּרָה cum ה locali scripturus fuisse videtur. Scio, omitti illud *He* locale posse; hic vero perspicue et distincte scripturi erat, non omittere." Pro viri nomine אַשּׁוּר et hic habuere veteres interpretes omnes. Assurem igitur illum e terra Sinear egressum

Moses dicit *condidisse Niniven*, וַיִּבֶן אֶת־נִינְוֵה urbs licet a Graecis et Romanis scriptoribus *N*ri soleat, tamen et *Ninives* nomen non ignor lemaeus et Ammianus. De situ Ninives dissen res, quorum sententias collegit Bochartus, L. Alii ad Tigrin, alii ad Euphratem hanc urbem alii supra Lycum fluvium, alii infra eum. Ost dem studuit Bochartus l. l., duplicem fuiss alteram ad Euphratem in Comagena, alteram trans Tigrim, quas promiscue sumunt scriptor Euphratensi tribuentes, quae proprie sunt Tra nae. Sed in tanta rei obscuritate certi quidqu vix potest. Verisimile tamen est, Niniven i fuisse regione, ubi adhuc hodie vicus quidan grim, e regione urbis *Mosul*, *Ninive*, sive *N* invenitur. Vid. *Niebuhr Reisebeschreibung* 333. אֶת־רְחֹבֹת עִיר Vulgatus vertit *plateas civ* Ninives. Sed quid opus dictu, Assurum non bem Niniven, sed ejus quoque plateas condid tamen Michaelis vertendum putat *Rechoboth u* enim opus erat addi illud, *urbem*, quod per in reliquis nominibus omnibus tacetur. Suspica עִיר partem nominis proprii fuisse et hanc urb *both Ir* dictam esse, ut ab alia urbe, הַנָּהָר Idumaea sita, cujus infra XXXVI, 37. mentio gueretur. Intelligit autem sub *Rechoboth Ir*, non procul ab aliquo Lyci fluvii, sive Zabi p Ephremo et Ammiano testibus ductus. כָּלַח putat eandem urbem esse cum חֲלַח, 2 Regg commemorata, ח et כ permutatis. Sed quum rissime Caph et Cheth litterae inter se permut chaelis p. 246. כָּלַח cum Ephremo *Chetro*, si esse putat, nunc vicum, trans Tigrim in regio gae situm.

12. Sub רֶסֶן quaenam urbs intelligenda s quet. Bochartus Larissam indicari existimat. eam urbem non procul a Scherezur eo loco q

esse suspicatur, ubi Diala fluvius ex terra erumpit; Ephrémum sequutus, qui prodit, in Assyria, ultra Tigrim, Niniven inter et Calach, in regione Margae vicum quendam nomine Rhesin situm esse. הִוא הָעִיר הַגְּדֹלָה *Haec est urbs magna*, i. e. reliquarum maxima. De Resena Mosen loqui, nulla est dubitatio, licet alii haec ad Niniven referant.

13. וּמִצְרַיִם יָלַד אֶת־לוּדִים *Et Aegyptus genuit Ludaeos*, i. e. Aegyptiorum coloniae sunt Ludaei. Quae jam sequuntur nomina, non singulorum hominum esse, sed populorum ex Aegypto egressorum, indicio est pluralis numerus, ut Aben-Esra recte monet, a Michaelis p. 254. laudatus. Plerosque autem populos, quorum originem Moses ad Aegyptios retulit, penitus ignoramus, quum nobis interiora Africae parum sint cognita. Quem geographicae notitiae illarum regionum defectum jam suo tempore Josephus intellexit, Palaestina Libyaque exceptis, reliquas omnes gentes urbesque interiisse monens (Antiqq. L. I. C. 6. §. 2.): Πέρα τῶν ὀνομάτων οὐδὲν ἴσμεν. Ὁ γὰρ Αἰθιοπικὸς πόλεμος, περὶ οὗ δηλώσομεν ὕστερον, ἀναστάτους αὐτῶν τὰς πόλεις ἐποίησεν. *Reliquorum nihil praeter nomina novimus, bellum enim Aethiopicum, de quo dicemus, urbes eorum evertit.* De *Ludaeis* cum aliqua veri specie nil statui potest, nisi quod gens sint Africana, fortitudinis laude nobilitata, ut ex Jes. LXVI, 19. patet, longe a Palaestina remota, nec tamen in intimis Africae recessibus, sed fortasse ad Occidentem quaerenda, quia teste Ezech. XXVII, 10. mercenarii Aegyptiorum et Tyriorum milites fuerunt, et, si ultra Philas in Athiopia habitassent, non est verisimile, stipendia eos Tyriis facturos fuisse. Bocharto (L. IV. c. 26.) sunt Aethiopes, aliis Lydii, Forstero (Epp. p. 13.) incolae regionum, quas Aegyptii olim appellabant *Avases*, et quas Strabo L. II. p. 192. edit. Almel. describit, cum loquitur de Africa seu Libya. עֲנָמִים Bocharto sunt Nomades circa templum Jovis Ammonis, qui ita dicti fuerint ἀπὸ τοῦ ענם, quod veteribus Aegyptiis, ut hodienum Arabibus

غنم *ovem* significarit. Quod argumentum,
etymologicum, parum valet. לְהָבִים ex M
tentia, quam et Forsterus probat et confir
mus *Libyae*, ab Aegyptiis habitatus. Nomin
serta inter Asiam et Aegyptum intelligenda
Michaelis p. 267. ostendit. Plutarchus in lil
Νέφθυν καλοῦσι τῆς γῆς τὰ ἔσχατα καὶ παρόρια,
τῆς θαλάττης, *Nephthyn vocant terrae extren
tanea, quae mari adluuntur.* Eandem sente
sterus p. 15. commendat. Minus feliciter in
ximo Versu tractando versatus est *Matth.*
qui in Dissert. *de Philisthaeo exule* (in *Sy
meneut.* p. 166. seqq.), cujus Caput II. ins
srajimus, Asiaticarum gentium conditor,
hoc Versu memorantur populos in Asia min
dos putat, et hoc quidem Versu Lydos, Ma
cios et Pamphylios nuncupari arbitratur.

14. פַּתְרֻסִים quod attinet, nomen provi
gulari, פַּתְרוֹס, aliquoties apud Prophetas oc
Jes. XI, 11. Jerem. XLIV, 1. 15. et aliis al
Modo de ea loquuntur, quasi de regione di
gypto, modo quasi de parte Aegypti, nus
quasi de urbe. Hinc Bochartus L. IV. c. 27
ligit, *Thebaidem* signari, quae modo superi
accensetur, modo ab ea secernitur, ut exen
Est etiam nomi cujusdam Thebaidis nomen *P.*
Plinius Hist. Nat. L. V. c. 9. dicit: *Div
bais in praefecturas oppidorum, quas no
Ombiten, Apolliniten, Hermonthiten, Thinit
ten etc.* Ezech. c. XXIX, 4. Phaturen pri
quissimam aboriginum Aegyptiorum sedem fa
cum dicit: *reducam captivitatem Aegypti, et
in terra Phatures, in terra nativitatis suae*
dicta, ut Phature antiqua videatur Aegyptio
quod non vero absimile est, quum *Thebais*
prius esset habitata, quam inferior Aegyptu
nimium, habere potuit incolas. Vid. Forsteri

15. כַּסְלֻחִים Bochartus Colchos esse putat, gentem sine dubio ortu Aegyptiam; sed nullum aliud argumentum, nisi similitudinem trium litterarum afferre potest. Aliam de hoc populo conjecturam in medium protulit Forsterus l. l. „Inter Gazam," inquit, „et Pelusium erat regio *Casiotis*, a monte Casio nomen gerens, qui deserto undique erat cinctus, unde in hanc regionem utique nomen *terrae desertae*, Aegyptiace *Chadsaje*, quadrabat. At haec ipsa deserta regio quoque circa mare paludibus et barathris erat infesta, unde haec regio *terra deserti paludosa*, Aegyptiace *Chadsaieloihe*, vocata esse videtur." אֲשֶׁר יָצְאוּ מִשָּׁם פְּלִשְׁתִּים *Unde egressi sunt Philisthaei*, i. e. Philistaei fuerunt colonia Casluchaeorum. Cui sententiae tamen alia loca non modo Mosis ipsius, sed etiam Amosi et Jeremiae videntur obstare, quae potius testantur a Caphtoraeis Philistaeos ortos esse. Vid. Deut. II, 23. Jerem. XLVII, 4. Amos. IX, 7. Haec ita conciliat Bochartus (L. IV. Cap. 32.), ut Casluchaeos dicat et Caphtoraeos in unam gentem coaluisse, cujus colonia fuerint Philistaei. Hillerus l. l. p. 183. Philistaeos ex Casluchеis primum egressos ad finitimos Caphtoraeos, et ab his post certas annorum periodos in Avvaeorum terram venisse (Deut. II, 23.) conjicit. Michaelis (*Spicil.* p. 278.) verba transposita esse suspicatur, et sic rescribenda: וְאֶת־כַּסְלֻחִים וְאֶת־כַּפְתֹּרִים אֲשֶׁר יָצְאוּ מִשָּׁם.פְּלִשְׁתִּים *et Casluchaeos et Caphtoraeos, ex quibus* (scil. Caphtoraeis) *egressi sunt Philistaei.* Ipse tamen fatetur, valde antiquum errorem esse, „si modo," inquit, „errorem vocare ausim, qui et textum Samaritanum, et omnes versiones invasit." Sunt autem Philistaei, qui toti apud exteros Palaestinae nomen dederunt, non aborigines in illa, sed advenae, id quod et ipsum eorum nomen indicat. Est enim פְּלִשְׁתִּי nomen gentilitium a פְּלֶשֶׁת regionis ab illis possessae nomine, deductum. Nominis פְּלֶשֶׁת radicem vero recte dixit Hillerus in *Syntagm. hermen.* p. 185. in Aethiopico פָּלַשׁ servatam, quod *migravit*, *emigravit* denotat; unde nomen פָּלָשׁ est *peregrinator*, *hospes*, *adve-*

na. Vid. Ludolphi *Lexic. Aethiop.* p. 610. Ante eos, ut ex Deut. II, 23. discimus, aliquis Nomadum populus, עַוִּים dictus illos tractus tenebat, sed qua ex stirpe ille ortus fuerit, qua lingua usus, quo tempore pulsus, ignoramus. LXX. interpretibus Philistaei plerumque sunt οἱ Ἀλλόφυλοι, *Alienigenae*, seu *Barbari*, ut Judic. III, 3. XIV, 1. Philistaeos ortu *Cretenses* esse existimavit Calmetus, in Dissertatione Commentariis in priorem librum Regum praemissa, quae est prima Partis *quartae* Dissertatt. biblicar. ejusdem, Moshemii cura in lingua teutonicam conversarum. Sed erudite ejus sententiam refutavit Michaelis in *Spicil.* p. 281. seqq. כַּפְתֹּר Bocharto et omnibus paene antiquioribus interpretibus est *Cappadocia*, Clerico Syrtis major, Calmeto Creta. Michaeli, has sententias diligenter examinanti, *Cyprus* esse videtur, quae sententia omnium verisimillima est. Ita enim est Cyprus Aegypto et Palaestinae vicina, illique adeo objecta, ut nullo modo mirum videri possit, primos eam sibi Aegyptios vindicasse, eorumque posteros, Cypro aut parum delectatos, quia multis silvis horrida fuit, aut quum insula incolis non sufficeret, Palaestinae maritima occupasse ac colonias eo deduxisse. Huic Michaelis conjecturae haud parum commendationis accedit per nummum quendam Phoenicium, a *Swintono* in *Dissertatt. de nummis Phoeniciis et Samaritanis* delineatum et illustratum, in quo leguntur haec verba: לבדץ כבדר *Labeduz Cubdr*, quae Swintonus interpretatur *Lapetus Cypri*, urbi adjectum censens regionis nomen, quo ab aliis urbibus ejusdem nominis distingueretur. Conjecit autem Swintonus, antiqui nominis Cypri veram scriptionem Κυπτρος fuisse, quae ipsissimum nomen Hebraicum כפתר refert. Vid. Michaelis *Spicileg.* p. 303. seqq. et in *Supplemm.* p. 1338. seqq., ubi quaedam addidit.

15. וּכְנַעַן יָלַד אֶת־צִידֹן בְּכֹרוֹ *Et Chanaan genuit Sidonem, primogenitum suum*, i. e. eum, qui Sidonem urbem condidit. Constat enim, Sidonem non esse nomen viri, sed urbis seu coloniae, ex Chanaanis posteris dedu-

otae. Notissima est ex sacris et profanis scriptoribus urbs illa, Phoenices ante Tyrum metropolis. Multa de ea congessit Bochartus IV, 35. Nomen habet a piscium ubertate, aut a piscando, a Verbo צוּד, *venari*, *piscari*, unde et Chaldaeis סְפִינַת צַיָּדִין *navis piscatorum*, Jes. XXXIII, 21., dictumque Galilaeae oppidum Bithsaida, בֵּית צֵידָא, quasi *domum piscationis* dixeris. *Justinus* LXVIII. Cap. 3. *Condita ibi urbs, quam a piscium ubertate Sidona appellavere; nam piscem Phoenices Sidon vocant.* Unde manifestum est, urbem non a conditore Sidone, pronepote Noachi, nomen accipere potuisse, uti vult Bochartus. וְאֶת־חֵת *Et Chethum*, i. e. *Chettaeos*, cujus populi frequens mentio fit. Ex Genes. XXIII, 7. 20. verisimile est, sedes ejus antiquas fuisse circa Hebronem. Haec post Sidonios antiquissima Phoenicum colonia diu ante memoriam Graecorum Latinorumque periit, a Josua, seu potius a Calebo deleta. Collegit aliqua historiae, partim et fabularum fragmenta Michaelis *Spicileg.* P. II. p. 10. seqq.

16. יְבוּסִי *Jebusaeos* vix dubium fuisse Hierosolymae ad tempora usque Davidis antiquos incolas. Vid. Jos. XV, 63. Jud. I, 21. XIX, 20. 2 Sam. V, 9. Nulla refutatione indigent, qui putant, *Ebusum*, insulam Hispaniae (nunc Yvicam), a Jebusaeis habitatam fuisse et ab iis nomen accepisse. וְאֶת־הָאֱמֹרִי *Et Amoraeos.* Michaelis p. 19. primas Amoraeorum sedes ultra Jordanem fuisse putat, ubi frequens Amoraeorum mentio. Describuntur ut populus, quem bello non adgressuri, ut ceteros Chanaane prognatos, Israelitae erant, sed in avitis sedibus relicturi, modo transitum praebuissent. Ultimis temporibus cis Jordanem in montano tractu Judaeae, circa Hebronem et Engedi inveniuntur. Amoraeorum nomen latius patere et nonnunquam pro Chananaeis universim poni videtur, ut Michaelis animadvertit; ut Gen. XLVIII, 22. Genes. XV, 16. 2 Sam. XXI, 2. גִּרְגָּשִׁי *Gergesenos* ab Occidente Jordanis habitasse, ex Jos. XXI, 11. constat. *Gergeseni*, qui nunc in Evangeliis memorati legun-

tur (Matth. VIII, 28. Marc. V, 1. Luc. VIII, 26.), huc non pertinent, quia ex correctione Originis nati sunt, pro Γερασηνῶν, vel Γαδαρηνῶν. Josephus *Antiqq.* L. I. C. 6. §. 2. Gergesenos iis populis accenset, quorum, praeter nomen, nihil supersit.

17. חִוִּי *Hevaei* Jos. XI, 3. sub ipsis radicibus Hermonis habitasse dicuntur, et Judic. III, 3. in Libano, i. e. in vallibus ei subjectis; nisi forsitan, ut Michaelis putat, post victorias Israelitarum in ipsum Libanum fugerunt, silvas et specus pro asylo habituri. Sed et alibi per vicos habitabant, ut Sichemi, Genes. XXXIV, 2. Gibeae, Jos. IX, 7. XI, 19. עַרְקִי *Arcaei* tenuere *Arcam*, vel *Arcen*, urbem in Libano sitam, haud procul Tripoli, Josepho et Hieronymo testibus. Rudera urbis magnifica, situmque amoenissimum descripsit *Shawius Itiner.* p. 234. Vers. germanic. סִינִי *Sinaei*, qui hic memorantur, non sunt confundendi cum Sinaeis Aegypti, a Jes. XLIX, 12. et Ezech. XXX, 15. 16. commemoratis. Sinaei Chananaei habitarunt in regione Libani; atque Hieronymi adhuc tempore nomen *Sin* in ruderibus antiquae urbis haerebat. Ita enim ille in Quaestionibus ad Genesin: *a quo* (Libano) *haud procul alia civitas fuit, nomine Sini, quae postea vario eventu subversa bellorum nomen tantummodo loco pristinum reservavit.* Adhuc initio seculi XV. vicum ejus nominis extitisse ex Breidenbachii itinerario, a Michaele *Spicil.* P. II. p. 29. citato, apparet.

18. אַרְוָדִי *Arvadaei* Aradum insulam occupaverunt, in ora Phoenices ad os Eleutheri fluminis sitam. Insula est septem stadiorum ambitu, aedificiis augusta, olimque celeberrima: cui e regione in continenti Antaradus. Inde Hierosolymitanum Thargum habet אַנְטְרִידָבָאֵי *Antaradii.* Nobiles fuerunt rei navalis peritia, Strabone et Diodoro testibus, quare ex Arado remiges habuit Tyrus, Ezech. XVII, 8. Delineata est haec insula in Tab. XXX. Tom. II. itinerarii Pocockiani. Erant et in sinu Persico Ara-

dii Tyriique, qui se progenitores Aradiorum et Tyriorum mentiebantur; vid. Bocharti Canaan L. I. c. 45. et Michaelis *Spicileg.* P. II. p. 46. Ad צְמָרִי Michaelis, Bocharti conjectura ductus, observat, verisimile esse urbem *Simyram*, haud procul ab Eleuthero fluvio sitam, Samaraeos habuisse conditores, atque eos hanc regionem olim obtinuisse. Vidit ruinas magnae urbis, *Sumra* dictae, Shawius, quinto milliari Anglico a ruderibus Arcae (*Itinerar.* p. 234. Vers. germanic.), ac pro hac nostra urbe habuit. וְאֶת־הַחֲמָתִי *Et Hamathenses.* Extat etiamnum urbs *Hamath*, in Syria ad Orontem sita. Graecis Epiphania dicta. Abulfeda, ipse princeps Hamathae, dicit in sua *Syriae descript.* p. 108. seq.: *Hamath est urbs antiqua memorata in scriptis Israelitarum;* et paulo post: *dicit Arivi in libro, cui titulus est Additamenta: Hamath est oppidum in Pentateucho commemoratur.* Josephus, *Antiqq.* L. I. Cap. 6. §. 2.: Ἀμάθιος τὴν Ἀμαθινὴν κατῴκισεν, ἥτις ἐστιν καὶ νῦν ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων Ἀμάθη καλουμένη, Μακέδονες δ᾽ αὐτὴν Ἐπιφάνειαν ἀφ᾽ ἑνὸς τῶν ἀπογονῶν ἐπωνόμασαν. Plura vid. in Michaelis *Spicileg.* II. p. 54. 55. וְאַחַר נָפֹצוּ מִשְׁפְּחוֹת הַכְּנַעֲנִי *Postea vero dispersae sunt cognationes Cananaei,* i. e. Cananaeorum familiae sese per varias regiones diffuderunt. Michaelis l. l. p. 61. hoc dici putat, Cananaeos, qui antea per vicos Palaestinae Syriaeque habitarunt, sensim totam Palaestinam inundasse, ita ut continuis jam ac clausis finibus omnia Sidonem inter et mare mortuum habitarent, atque possiderent.

19 Describuntur fines terrae a Cananaeis occupatae. Septentrionalem terminum constituit Sidon, australem ab occidente Gerara et Gaza, australem ab oriente, Sodoma, Gomorrha, Adama, Zebojim et Lasa. בֹּאֲכָה *Venire tuum*, sive: *dum is*, qua itur. De גְּרָר Hieronymus in locis Hebraicis haec dicit: *Gerara, ex cujus nomine nunc Geraritica regio, trans Deroma, procul ab Eleutheropoli, viginti millibus et quinque ad Meridiem. Erat autem terminus Cananaeorum ad Australem plagam, et*

civitas metropolis Palaestinae. Idem de עַזָּה: *Gaza, civitas Hevaeorum, in qua habitavere Cappadoces, pristinis cultoribus interfectis. Apud veteres autem erat terminus Cananaeorum juxta Aegyptum.* Videtur urbs a munitione nomen accepisse. Nam עַזָּה *fortem munitam* significat. Ac sane in loco natura munito sitam fuisse constat ex Arriano L. II. et Curtio L. IV., ubi obsidio, qua eam cepit Alexander, narratur. Urbs hodienum exstat et vetus nomen retinuit. Vid. Bachiene *Beschreibung v. Palästina,* P. II. §. 382. Büschingii *Geograph.* T. V. p. 352. De Sodoma, Gomorrha, Adama et Zebojim infra Cap. XVIII. dicetur. De לֶשַׁע Hieronymus in *Quaestt. ad Genesin: Lisa ipsa est, quae nunc Callirrhoe dicitur, ubi aquae calidae prorumpentes, in mare mortuum defluunt.* Ita etiam explicat Thargum Hierosolymitanum. De thermis Callirrhoensibus dicit *Plinius Hist. Nat.* V. Cap. 6. *Eodem latere* (a Meridie Asphaltitis) *est calidus fons medicae salubritatis, Callirrhoe, aquarum gloriam ipso nomine proferens.* Et *Josephus* in *Bello Judaic. I, 33.* de Herode Magno insanabili morbo laborante: διαβὰς τὸν Ἰορδάνην τοῖς κατὰ Καλλιῤῥόην θερμοῖς ἐκέχρητο. Ταῦτα δὲ ἔξεισι μὲν εἰς τὴν Ἀσφαλτῖτιν λίμνην, ὑπὸ γλυκύτητος δ' ἐστι καὶ πότιμα. *Trajecto Jordane thermis prope Callirrhoen utitur. Hae in Asphaltiten lacum effluunt, atque ob dulcedinem etiam bibi possunt.*

21. Transit jam ad Semi progeniem recensendam, hac formula usus: וּלְשֵׁם יֻלַּד גַּם־הוּא *Porro ipsi Semo natus est,* sive progenitum, id est, *suscepta soboles etiam ipsi.* Pronomen הוּא non recto, sed obliquo casu hic est vertendum, quasi positum sit גַּם לוֹ, ut 2 Sam. VI, 23. Sed forma הוּא non minus apta est ex ingenio linguae Hebraeae, nullos casus habentis, ad exprimendum Dativum, ubi casus obliquus jam praecessit, veluti supra IV, 26. וּלְשֵׁת־גַּם הוּא יֻלַּד בֵּן, praesertim ubi particulae גַּם aut אַף cum emphasi ponuntur, ut in אֲנִי Genes. XXVII, 34. 38. Proverb. XXIII, 15. אַתָּה, 1 Regg. XXI, 19. Proverb. XXII, 19. הוּא, 2 Sam. XVII, 5. Plura

vide in *Glassii Philol. Sacr.* p. 148. ed. Dathe, in *Storrii Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 274. et in *Gesenii Ausführl. Lehrgeb. der hebr. Spr.* p. 728. *Ipsi quoque Semo*, quemadmodum et ceteris (ne quis putaret, quia numerosissima Chami soboles posita fuerat, ideo institutum esse scriptori, Semum omittere), nata est proles satis copiosa, superioribus non cedens fere numero; nam 27. habet posteros. אֲבִי כָּל בְּנֵי־עֵבֶר *Patri omnium Hebraeorum.* Quemadmodum ad infamandum Chamum supra eum vocaverat *patrem Canaanis*, a Noa maledicti, ita Semum nunc dicit patrem omnium filiorum Heber, sive Hebraeorum, ad eum nobilitandum. עֵבֶר hic pluribus est nomen proprium ejus, qui mox Vs. 24. ut pronepos Semi commemoratur. Ita LXX. πατρὶ πάντων τῶν υἱῶν Ἔβερ. Est vero, ut recte monuit Clericus, frigidissimum dictu, omnes posteros pronepotis fuisse etiam proavi posteros, quum praesertim non unum filium, neque unum pronepotem habuerit. Est igitur עֵבֶר pro nomine appellativo, *transitum*, et *quod trans* fluvium aliquem est, τὴν πέραν significante, habendum, ut בְּנֵי עֵבֶר scil. הַנָּהָר הַפְּרָת sint *incolae regionis Transeuphratensis*, quemadmodum Jesaj. VII, 20. Assyrii עֶבְרֵי נָהָר *Transeuphratenses* vocantur. Quare כָּל־בְּנֵי־עֵבֶר idem valebit quod כָּל־הָעִבְרִים, ut Abrahamus infra XIV, 13. עִבְרִי περάτης appellatur, quod e terris Transeuphratensibus in Cananaeam immigravit. Cf. *Gesenii Geschichte der hebr. Sprache*, p. 11. Sic et sequiores Chaldaei interpretes: אֲבוּהוֹן דְּכָל עִבְרָאֵי, et clarius Jarchi: אבי כל בני עבר הנהר היה שם *pater omnium filiorum trans fluvium*, Euphratem, *fuit Semus.* „Nil aptius," observat Clericus, „dici a Mose potuit, ut ostenderet, Semum et numerosa sobole, et amplis ac fertilibus regionibus fuisse donatum, quam si plerosque (nam vox *omnis* haud raro ita, in sacris et profanis scriptoribus, usurpatur) Transeuphratenses populos, toto Oriente celeberrimos et beatissimos, a Semo progenitos celebraret." Ad Semum commendandum et hoc pertinet, quod eum hac insignit nota:

אֲחִי יֶפֶת הַגָּדוֹל, *fratri Japheti, natu majori.* - Noluit enim Hebraeorum progenitorem dicere fratrem *Chami*, improbi, licet prole abundantis, sed *Japheti*, boni et probi. Conf. quae de hujus additionis ratione scripsit *Seidenstücker* in *dem Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte*, Vol. II. Fasc. II. p. 422. seqq. Ambiguum est in hoc commate vocabulum הַגָּדוֹל, an id conjungendum sit cum יֶפֶת, ut Japhetus dicatur frater natu major, an vero cum אֲחִי, ut ad Semum sit referendum. Prius illud interpretibus haud paucis hac maxime ex caussa probabile visum, quod quum Noachus filiorum suorum diluvio superstitum primum centesimo ante diluvium anno generasse dicatur (Cap. V. Vs. 32.), Semus autem biennio demum post diluvium centesimum annum vixisse dicatur (Cap. XI, 10.); hic non potuerit primogenitus esse. Verum enimvero quum parum verisimile sit, Noachum generasse uno eodemque anno tres illos filios, quorum Cap. V, 32. mentio fit; eo loco credibile est, numeros minutos subticeri, quod saepe fit, atque annum quingentesimum ibidem positum esse loco quingentesimi secundi, quo Noachus generare coeperit. Quare hoc loco non conficitur, Japhetum natu fuisse maximum. E contrario quum in iis, quae praecesserunt, sexies filii Noachi eo ordine recenseantur, ut primo loco Semus, Chamus secundo, Japhetus tertio loco ponatur (V, 32. VI, 10. VII, 13. IX, 16. 23. X, 1.), quae loca adeo clara sunt, ut nullam admittant dubitationem, hoc nostro etiam loco vocabulum הַגָּדוֹל jungendum videtur cum אֲחִי, ut *Semus* vocetur natu major. Sed accedit et alia grammatica ratio. Si scriptor hoc loco Japhetum Noachi filium natu majorem dicere voluisset, scripsisset haud dubie, בֶּן־נֹחַ הַגָּדוֹל, nam הַגָּדוֹל nude sic positum nusquam alias occurrit; semper conjungitur sive cum בֵּן, sive cum אָח. Quae omnia pluribus exposuit *Jos. Fridr. Schelling* in Commentat. singulari, quae hanc gerit epigraphen: *Ueber die Geburtsfolge der Söhne Noah*, in limine Partis XVII. *Repertorii biblicae et*

orientalis litteraturae. Cur vero hoc loco additum sit, fuisse Semum, Japheti fratrem natu majorem, ejus rei idem Vir doctissimus rationem reddit hanc, quod, quum hoc Capite Noachi filii ordine inverso recenseantur, ut facilior esset a Semi prole ad Abrahami historiam transitus, ne hoc ordine Semi juri derogetur, repetere nostro necessarium visum esset, quod jam antea aliquoties monuerat, Semum filium Noachi natu maximum fuisse.

22. עֵילָם *Elamitae* sunt *Elymaei*, regionem Susianam inter et Mediam tenentes, quae Arabum Geographi خوزستان *Khuzistan* nuncupant, quod ipsum nomen Saadias et hic, et infra XIV, 1., atque Jesaj. XI, 11. XXII, 6. pro עֵילָם posuit. Cf. Bochartum (L. II. c. 2. Michaelis *Spicil.* P. II. p. 68., et Schickardi *Tarich*, *i. e. Series regum Persiae* p. 206. אַשּׁוּר esse *Assyrios*, nemo dubitat. Primum ii tantum, qui regionem circa Niniven, Graecis *Adiabenem* dictam, incolebant, Assyrii dicebantur; deinde autem Assyriorum nomen latius patebat, et Syros etiam comprehendebat. אַרְפַּכְשַׁד nomen viri esse, non populi, ex sequente inde a Versu 24 genealogia, et Cap. XI, 12—26. certum est. Videtur Assyriae parti boreali *Arphaxitidi*, quae Ptolemaeo Arrapachitis, Arphaxad nomen dedisse. Vid. Schlözer de Chaldaeis §. 13. Michaeli, qui in tribus ultimis litteris vocis אַרְפַּכְשַׁד Chaldaeorum nomen inesse putat, verisimile est, Arphaxadum hoc nomen, seu potius cognomen, post mortem demum, ut Nimrodus (vid. supra Vs. 8.), apud Hebraeos accepisse, quod pars posterorum ejus, ea certe, ex qua Abrahamus ortus, in *finibus Chaldaeorum* habitaret, syllabam ארף enim Arabico أَرْفٌ, similem sonare, quod *terminum*, *fines* significat. Qua de re simulque de Chaldaeis pluribus egit in *Spicileg.* P. II. p. 75. seqq. Cum quo conferendus est *Schlözer* in *Commentatione de Chaldaeis*, in *Repertorio für biblische und morgenländische Litteratur*, P. VIII. p. 113. seqq. Nomine לוּד *Lydi*, Asiae minoris populus, viden-

tur indicari. Ita Josephus *Antiqq.* L. I. Cap. 6. §. 4. οὓς δὲ Λύδους νῦν καλοῦσι, Λούδους δὲ τότε, Λούδας ἔκτισε. Eustathius in Hexaemero: Λούδ᾽ ἀφ᾽ οὗ Λουδαῖοι, οἱ νῦν Λυδοί. Ita et Eusebius, Hieronymus, Isidorus, alii. Michaelis vero suspicatur, Mosen gentis in ultimo Oriente librariis ignotae, nomen scripsisse; fortasse הוד, vel הנד, vel להנד, quo *Indi* intelligerentur; qui adhuc hodie Arabibus الهند (*El-Hend*), vocantur. אֲרָם vocabatur primo pars Syriae illa, quae a Phoenicibus non habitabatur. Phoenices angustam ad mare subque Libano Phoenicen, et Libani aliquam partem habitarunt; quae magis ad Orientem vergebant, usque ad Euphratem et Tigrim, Aramaeae erant. Hanc Aramaeam in plures partes dividunt scriptores Hebraei. Deinde etiam *Aramaeae Rechobensis* 2 Sam. X, 6. mentio fit, quae ultra Tigrim sita et pars Assyriae fuisse videtur, ut Michaelis in Commentatione XII. *Commentationum societati regiae per annos* 1763—1768. *praelectarum*, §. XVI. p. 99—102. ostendit. Ad Aramum hic memoratum Aramaei late per Syriam Mesopotamiam, Chalonitidem diffusi referendi videntur. Etiam Graecis Aramaeorum nomen non prorsus fuit ignotum. *Strabo* Lib. XIII. οἱ δὲ τοὺς Σύρους Ἀρίμους δέχονται, οὓς νῦν Ἀράμους λέγουσι. *Quidam Arimorum nomine Syros intelligunt, quos nunc Aramos vocant.* Et Lib. XVI. Τοὺς Σύρους Ἕλληνες Ἀραμαίους ἐκάλουν ἢ Ἀρίμους. עוץ esse Arabiae desertae partem septentrionalem, Euphrati et Mesopotamiae contiguam, ostendimus in Prolegomm. ad Jobum §. V. p. 23. seqq. חול Hieronymo et Josepho est *Armeniae* pars, et Bocharto quidem (L. II. C. 9.) ea, quae Graecis Χολοβητήνη nuncupata, quasi dicas חול-בֵּית *Chuli domus*, Stephano Byzantino memorata, cujus Satrapa erat Tigranes. Michaeli (*Spicileg.* P. II. p. 157.) Hebraeum חול cum Aramaeo חֵילָא *vallis* conferenti, verisimilius videtur, Coele-Syriam illo nomine intelligi. Nominis גֶּתֶר ne vestigium quidem apud exteros reperire potuit Bochartus (L. II. Cap. 10.), nec conjecturae, a se propositae, esse a *Gethere* forsan Centritem

amnem, Carduchos inter et Armeniam medium, dictum, ipse quidquam tribuere videtur. Illam tamen Michaelis reliquis verisimiliorem judicat. Clerico huc facere videtur Carthara urbs ad Tigrin, inter Lyci et Capri confluentes, sita. Nomine מַשׁ satis verisimiliter conjicit Bochartus (Cap. 11.) intelligendos esse *montis Masii*, qui Nesibi urbi a septentrione imminet, incolas. Mons vero hic est pars Gordyaeorum montium, Hirmasum fluvium fundens, quo Nesib irrigatur. Arabibus mons ille جودى *Dschudi* vocatur. Cf. Michaelis *Spicileg.* P. II. p. 140. seqq.

24. שֶׁלַח quum Veterum nonnullis Susianorum conditor credatur, iis calculum suum haud aegre adjicit Bochartus (L. II. C. 13.), quod una ex praecipuis urbibus Susianae *Sela* vocatur ab Ammiano Marcellino et Ptolemaeo. Vere tamen Michaelis p. 143. monet, nominum, ut Graecis Latinisque literis scribuntur, concentum, vix quidquam momenti facere, donec constet, nomen urbis iisdem ab Arabibus indigenis literis scribi, quibus viri Hebraicum. „Faciamus," inquit, „nomen urbis fuisse Hebraicum (quamquam id in Susianorum tractu parum verisimile), forsan סֶלַע scribebatur, id est, *petra*, nec habebit cum nomina שֶׁלַח quidquam praeter unicum elementum L commune." עֵבֶר *Heberum* Michaelis p. 66. non a parentibus aut coaevis hoc nomine vocitatum, sed a posteris, maxime Israelitis, quod progenitor Transeuphratensium esset, plane ut ab Arabibis هود *Hud* vocatur, quia sator Judaeorum fuit. Vid. *Herbelotii Biblioth. Orient.* sub h. v. *Gesenius* in *der Gesch. der hebr. Spr.* p. 11. Heberum habet pro persona mythica, cujus nomen e gentis nomine sit formatum, ut *Jon, Dorus, Italus*, a *Jonibus, Doribus, Italia.*

25. Nomen unius filiorum Heber erat פֶּלֶג, i. e. *divisio*, et cur id nominis ei inditum fuerit, addit: כִּי בְיָמָיו נִפְלְגָה הָאָרֶץ *nam in diebus ejus divisa est terra*, inter nationes et gentes, post linguarum confusionem, de qua

in fine hujus tabulae genealogico-geographicae, XI, 1 — 9. Eichhorn in Commentat. infra ad XI, 1. laudanda existimat, duplicem inter antiquos de gentium adeoque linguarum diversitatis origine famam fuisse, quarum *altera*, in בָּבֶל, *Babylonis* urbis nomine servata, sermone Dei interventu mutato et variato, homines e Sinearitide, communi sua sede, in plagas varias ejectos esse dicebat; altera, *Phalegi* nomine inhaerens, Noachum ferebat filiis seu posteris terras divisisse. יָקְטָן *Joctanem* ejusque posteros Arabiae felicis partem interiorem, hodie ab indigenis *Jemen*, يَمَن, i. e. regionem ad dextram, s. austrum sitam, occupasse, Bochartus L. II. c. 15. ostendit; cujus sententiam Michaelis (p. 148. 149.) confirmavit. Hodienum Joctanis nomen superest in regione quadam Arabiae *Kachtan* dicta; quo ipso nomine Arabes *Joctanem* appellant, cujus posteros sese esse dicunt. Vid. *Niebuhrii Beschreibung von Arabien*, p. 275.

26. De אַלְמוֹדָד nil constat nisi quod Arabiae felicis populus fuerit. שָׁלֶף pater videtur fuisse *Salapenorum*, a Ptolemaeo commemoratorum, interioris Arabiae populi. Ignotum, ubi hodie quaerendi sint. חֲצַרְמָוֶת eam esse Arabiae regionem, cujus in hunc usque diem nomen iisdem litteris scribitur, حَضْرَمَوْت, atque, Tsade puncto notato, *Hadramaut* adpellatur, Bochartus (L. II. c. 17.) et post eum Michaelis (in *Spicil.* P. II. p. 156.) ostenderunt. Est regio myrrhifera et thurifera. יֶרַח sive, ut hic ob Accentum majorem exstat, יָרַח, quum *lunam* apud Hebraeos significet, satis verisimiliter conjecit Michaelis (p. 161.), significari eum populum cujus reliquiae etiamnum in Arabia sub nomine غُبّ ٱلْقَمَر *Gobb-el-Kamar*, i. e. ora maritima, litoralia, lunae, sive جَبَل ٱلْقَمَر *Gebel Kamar*, mons lunae, inveniuntur; قَمَر enim con-

suetum est et quotidianum lunae nomen. Memorat Geographus, qui dicitur Nubiensis, sive Scherif Edrisi, hanc tribum in ipsa Hadramautae vicinia, post quam Jerachi nomen Moses habet.

27. הֲדוֹרָם Bochartus L. II. c. 20. putat fuisse *Drimatos* Plinii (*Hist. Nat.* L. VI. c. 20.), ad fretum sinus Persici. Indidem ortum esse censet nomen promontorii regionis λιβανοφόρου, quod *Corodamum* vocabatur, trajectione litterarum pro *Codoramo*, mutato etiam pro more Persarum *He* in *Chi* vel *Kappa*. Certiora habemus de אוּזָל. Nam quum Judaei Arabes adhuc hodie vocent *Uzal* urbem eximiam in *Aljeman*, hoc est, in Arabia felice, quae urbs ab Arabibus dicitur صَنْعَا *Sanaa*, recte vidit Bochartus (L. I. c. 21.), hoc esse vetus urbis nomen. Confirmatur haec sententia Niebuhrii testimonio (*Beschreib. von Arab.* p. 291.), qui in ipsa Arabia, ab Indo quodam, qui plures annos in Arabia felice vixerat, pro certo audivit, *Usal* antiquum nomen *Sanaae* esse. דִּקְלָה qua in Arabiae parte sedem habuerit definiri haud potest. Bochartus (L. II. c. 22.) ex etymo Syriaco ܕܩܠܐ *palma*, Diclae palmiferam Arabiam adsignat, et quidem regionem *Minaeorum*, neque tamen satis firma argumenta attulit. Michaelis (p. 176.) conjecit, tribum aliquam Tigridis ostium inter ac sinum Persicum degentem intelligi, quum דִּקְלָה Syriaco Tigridis nomini ܕܩܠܬ (*Declat*) simile sonet.

18. De עוֹבָל nil certi constat. Bochartus (L. II. c. 23.) quidem vult, Avalitas esse Africae troglodyticae, ad sinum maris Indici extra fretum Babelmandeb; sed praeter soni qualemcumque similitudinem nil habet, quo hanc sententiam confirmare possit. Neque nominis אֲבִימָאֵל vestigium ullum in ullo Arabicae geographiae scriptore reperitur. שְׁבָא esse Sabaeos, celebrem olim felicis Arabiae populum, demonstravit Bochartus (L. II. c. 26.), cui

Michaelis p. 182: adsentitur. Est haec regio, cui metropolis Mariba, aromatifera et opulenta.

29. אוֹפִיר quum hic inter medios Arabiae populos tractusque commemoretur, vix dubium est, esse et ipsum nomen alicujus regionis Arabiae orientalis sive australis. Nam fuisse ad mare sitam regionem illo nomine appellatam, inde colligere licet, quod 1 Reg. IX, 28. X, 22. Salomonis naves illam adiisse, et aurum inde advexisse dicuntur. Nec praetermittendum, reperisse Seetzenium in provincia Arabiae australis ea, quae *Oman* dicitur, et Oceano alluitur, urbem nomine *Elophir*. Vid. *Zachii Monatl. Correspond.*, anni 1809. p. 331. seqq. אוֹפִיר, non esse nomen certae cujusdam regionis, verum a radice יָפַר, وَفَرَ, *divitiis abundare*, nomen Hiphilicum, *terram ditantem* significans, quo quidem nomine nuncupatae fuissent omnes omnino regiones, e quibus opes divitiaeque advectae essent, opinio est H. E. G. Pauli, Theologi Heidelbergensis, quam firmare tentavit in *den Memorabilien*, P. V. p. 112. in nota **). Alias de Ophir conjecturas recensuit *Winer* in dem *Bibl. Realwörterb.* sub h. v. Cui adde, quae de Ophire disputavit *Ritter* in *der Erdkunde, oder allgem. vergleichend. Geographie*, P. II. p. 201. seq. חֲוִילָה quae hic nominatur, videtur ea esse Arabiae felicis regio, quae hodie خَوْلَان *Chaulan* dicitur, quam Niebuhr (*Beschreibung von Arabien*, p. 280. 281.) dicit, *paucis milliaribus a Sanaa abesse, Imaano Sanaae non subesse sed suum habere principem sive regulum* (Schech). Sita est haec regio sub gradu latitudinis decimo quinto, in Niebuhrii tabula Jemenae. יוֹבָב vix dubium esse Ptolemaei Jobabitas, qui in tabula ejus sexta Asiae sub gradu longitudinis 84 et 85, latitudinis 18 inveniuntur, et quorum metropolin *Nagaram* esse dicit. Ergo *Nagran*, urbs celeberrima, regni Homeritarum saepe sedes, nunc provinciae Hamdan primaria, metropolis olim Jobabitarum fuit, ut Michaelis p. 204. ostendit.

30. וַיְהִי מוֹשָׁבָם מִמֵּשָׁא בֹּאֲכָה סְפָרָה הַר הַקֶּדֶם *Et fuit habitatio eorum a Mescha usque dum venias Sepharam, montem Orientis*, i. e. montana Orientalia. מֵשָׁא Michaeli (p. 214. seqq.) est *Mesene* antiquorum, ad ostia Tigridis et Euphratis sita, quia Syri totam ad Euphratem Tigrimque regionem infra Seleuciam usque ad sinum Persicum ܡܝܫܘܢ, *Maischon*, aut nomine pleniore ܦܪܬ ܕܡܝܫܢ, *Euphratem Maischanae*, quin et Bassoram eodem nomine vocant. Et hanc regionem Joctanitae habitasse videntur, ut Michaelis l. l. pluribus ostendit. סְפָר Michaeli ea regio videtur, quae Arabibus تهامة *Thehama* vocatur, i. e. litoralia et declivia Arabiae ad mare Erythraeum. סְפָר enim Chaldaeis, et Syris ܣܦܪ *litus* denotat, et idem Arabicum تهامة significare existimat, quum تهم *regio mari propinqua* sit. Joannes Asiae episcopus has ipsas Joctanitarum (Indorum, ut eos vocat) et Cuschaeorum sedes describens, dicit, aliquam earum partem sitam esse in *Sefore* (litoribus) *maris magni*. Hanc Thehamam e regione Mesenes sive Bassorae Michaelis ita sitam putat, ut hinc illuc optime linea duci possit, totam Arabiam in duas partes dividens, ad cujus orientem habitabant Joctanitae. Plura tamen sententiae a Michaele propositae opposuit Vater, minus certam eam judicans. Verba הַר הַקֶּדֶם *mons Orientis* Michaelis observat melius ad וַיְהִי מוֹשָׁבָם *fuit habitatio eorum*, quam ad Sefaram referri. Maxima enim pars Arabiae, in qua Joctanitae habitarunt, ex asperis quidem sed fertilibus montibus constat, angustis subjectis littoralibus, et vastis desertis, quae partim plane non coluntur, partim a Nomadibus pererrantur.

Qui a Mose hanc, quae praecessit tabulam, profectam esse putant, quaerere solent, unde is terrarum tam dissitarum notitiam habere potuerit; siquidem ipse doctior, quam pro temporis ratione sperari possit, hoc in

Capite videtur. Egerunt hac de re Michaelis in *Praefatione ad Spicilegii* Partem *Primam*, et Forsterus in *Epistolis ad* J. D. Michaelis, p. 3—7. et 19—23.; ex quorum scriptis, quae maxime ad rem pertinere viderentur, quum excerpsissem tum, cum primo hunc librum elaborassem, quae tunc scripsi neque nunc delenda censeo, quum multi haud dubie futuri sint, qui aegre illis careant. Quod Arabiam attinet, atque Cuschaeorum et Joctanitarum in ea sedes et colonias, facile concedetur, Mosi Arabiam, in qua per quadraginta annos privatus ac pastor, totidemque dux magni populi vixit, satis cognitam esse potuisse. Deinde nec negabitur, regionem ad Euphratem et Tigridem, veram suae gentis patriam, unde et Abrahamus egressus, et in qua proavus adeo Mosis, Levi, natus est, notam esse homini tam docto et librorum antiquorum lectori potuisse. Talem autem Mosen fuisse, ex historiae exterae parergis, quae passim immiscet, et ex iis, quae de Assyriae originibus hoc ipso in Capite attulit, facile liquet. Interiora autem Africae, ut Abessiniam et Nubiam, aeque illi ac nobis, ac melius etiam, cognita fuisse, nemini mirum videbitur, qui concedit, Mosen in regis Aegyptii aula a teneris Aegyptiorum doctrina eruditum excultumque fuisse; et, si verum est, quod Forsterus probare studuit, Mosen sub Sesostre militasse et cum eo partem Africae Asiaeque in exercitu ejus perlustrasse, ipsi facile fuit, nobis eas gentium origines tanta accuratione tradere. Phoenicum autem varias gentes Verss. 15. 16. 17. 18. curiosius a Mose numeratas, quam alias solet, bene ipse noscere potuit et debuit, quum huic genti quadraginta per annos bellum inferre parasset, statimque in initio, anno exitus secundo, exploratores misisset, de tribubus, regionibus, urbibus et aliis rebus notatu dignis exploraturos. Vicinae praeterea sedes Israelitarum Phoeniciae erant, terra enim Gosen ad Palaestinam usque pertinuit. Neque littora maris mediterranei Mosi Israelitarumque cultioribus incognita esse potuerunt. Phoenices enim, qui ad littora illa navigabant,

commerciorum caussa et navigationum opportunitate allecti, ex Idumaea in Palaestinam migrarunt, idque jam quinto ante Mosen seculo, ut Michaelis ostendit. Per haec quinque secula genti navigationibus et mercaturae unice deditae, facile omnia maris mediterranei Pontique Euxini littora innotescere potuerunt.' Idem de regionibus Pontum Euxinum inter et mare Caspium atque ultra illud sitis valet. Videntur enim illae olim maxima in celebritate fuisse, ac commerciis floruisse; unde facile intelligi potest, Mosi nomina harum gentium non inaudita et incognita fuisse.

Cap. XI. Tabulae genealogico-ethnographicae, qua gentes, quotquot tunc temporis Hebraeis cognitae fuerunt, recensentur, et ad suos progenitores referuntur, subjungitur brevis narratio, qua exponitur, unde et qua de causa acciderit, ut homines longe lateque per terram dispergerentur, et tam discrepantibus inter se linguis uterentur. Retulit autem gentium, adeoque linguarum diversitatis originem veterum illorum, qui de his rebus quaererent, aliquis ad Deum ipsum, eumque iratum, tanquam unicum auctorem, quoniam linguarum diversitas mercaturae aut amicitiae, cum aliis jungendae, impedimenta non parva objiciebat. Tribuitur haec plurium linguarum origo temporibus Phalegi (X, 25.), abnepotis Noachi, cujus posteri soli ex magno diluvio superstites erant; et quum ex vetere fama constaret, illos in planitie Sinearitidis aliquamdiu consedisse, in promtu erat, diversitatis linguarum originem ex illa regione repetere, quum nomen urbis Babylonis, בָּבֶל, in illa planitie exstructae, quod a *confundendo* (בָּלַל) factum credi poterat, atque turris alta, cujus structura non erat ad finem perducta, huic opinioni non parum patrocinari viderentur. Vid. *J. G. Eichhornii* Commentationem, quae inscribitur: *Declarantur diversitatis linguarum ex traditione Semitica origines*, Gotting. 1788., repetita in *der Allgem. Biblioth. der bibl. Litter.* P. III. p. 981. seqq.

Eichhornii sententiae quaedam opposuit Henslerus, qui simul aliorum interpretationes recensuit, in *den Bemerkungen über Stellen in den Psalmen und in der Genesis*, p. 359—372. Ex iis, qui rei vere gestae narrationem huic particulae inesse putant, legendi sunt, praeter Henslerum, maxime hi: *Joa. Meisneri* Diss. *de confusione linguar. Babylonica*, Viteb. 1664. 4. recusa ibid. 1754. *Campeg. Vitringa de confusione linguarum*, in *Observatt. SS.* P. I. Dissert. I. Cap. 1 et 9. *Jac. Perizonius* in *Originibus Babylonicis*, C. IX. *Sal. Deyling* in *Observatt. SS.* T. III. Obs. IV. p. 24. seqq. *N. G. Schröderi* Oratio *de confusione sermonis Babelica*, Groning. 1752. 4., repet. in *Sylloge Dissertatt. sub praesidio, A. Schultensii* rel. *defensae*. (Lugd. Batav. 1775.) T. II. p. 813. seqq. *J. F. W. Jerusalem* in *den Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der christlichen Religion*, p. 250. seqq. ed. form. minor. *J. A. Dathe* p. IX. Praefat. ad ed. Lips. Prolegomenor. in Biblia Polygl. *Briani Waltoni*, quem ipsum et c. I. §. 7. vide.

1. וַיְהִי כָל־הָאָרֶץ שָׂפָה אֶחָת *Erat universa terra unius labii*, i. e. omnes homines tunc una eademque lingua utebantur. שָׂפָה *labium*, hic metonymice *sermonem*, *eloquium* denotat, ut Jesaj XIX, 18. XXVIII, 19. Ezech. III, 56. Zeph. III, 9. Graecus Alexandrinus χεῖλος ἓν vertit, qua voce saepius de *sermone* utitur, e. c. Proverb. XIV, 7. χείλη σοφὰ, *sermones sapientes*. וּדְבָרִים אֲחָדִים *Eorundemque verborum*, idem est quod שָׂפָה אֶחָת, nam si omnes homines ante dispersionem una loquela utebantur, unis etiam iisdemque verbis in communi illa omnium loquela ad res quasque denotandas uti necesse erat. Vitringae sententiam, *unum labium eademque verba* significare *animorum et consiliorum unitatem, ac consensum*, et contra *confusionem labii, dissensionem animorum*, pluribus refutavit Perizonius, libro supra laudato, p. 152. seqq., qui recte observat, vulgo receptam hujus Versus interpretationem commendari vel maxime consilio Mosis,

qui, postquam superiori Capite saepius memorasset secessionem Noachidarum in varias familias, terras et *linguas*, ejus occasionem nunc expositurus praemittat in universum, ut par erat, homines ante hanc dispersionem usos fuisse eadem lingua et sermone. Hermanni von der Hardt somnium (in *Ephemeridd. philologg.* Discurs. III. p. 58.) de Chamitarum in foeda et atrocia bella contra Semitas conspiratione, quae *labio uno omnis terrae* designetur, merito explosit Perizonius l. l. p. 136.

2. וַיְהִי בְּנָסְעָם *Factum est in τῷ proficisci eorum*, cum proficiscerentur, Nomadum vitam pastoritiam agentes, de quorum erroribus solenne est Verbum נָסַע, vid. infra XII, 9. XXXIII, 7. Dicit autem, profectos esse מִקֶּדֶם *ex Oriente*, quod quomodo capiendum sit, dissentiunt interpretes, quum Armeniae montes, in quibus haesit arca, non sint ad orientem, sed ad aquilonem Babyloniae. Varias sententias recensuerunt *Fullerus* in *Miscellann. SS.* L. I. Cap. 4. et *Bochartus* in *Phaleg* L. I. Cap. 7. Atque is quidem satis probabiliter conjecit, מִקֶּדֶם more apud Assyrios recepto dici, quippe qui partes imperii sui, quae trans Tigrim erant sitae, Orientales, eas autem, quae cis hunc fluvium, Occidentales vocabant. וַיִּמְצְאוּ בִקְעָה בְּאֶרֶץ שִׁנְעָר וַיֵּשְׁבוּ שָׁם *Invenerunt planitiem in terra Sinear, in qua consederunt.* בִּקְעָה proprie *vallem*, inter montes quasi fissos subsidentem, significat. Sed quum ex veterum scriptorum testimoniis constet, terram Sinear seu Babylonicam (vid. supra X, 10.), fuisse prorsus campestrem, et sine ullis montium salebris; verti debet h. l. בִּקְעָה *planities*, seu *campus*, ut LXX., qui habent πεδίον. *Herodotus* Lib. I. de regione Babylonica dicit: Βαβυλὼν — κέεται ἐν πεδίῳ μεγάλῳ. *Strabo* Lib. II. p. 109. edit. Casaub. comparat inter sese Babylonios campos et mare: ὥσπερ διὰ πεδίων ἰοῦσι μεγάλων, οἷον τῶν Βαβυλωνίων, ἢ διὰ πελάγους, παρίσταται τὰ πρόσω πάντα, καὶ τὰ κατόπιν, καὶ ἐκ πλαγίων ἐπίπεδα, καὶ οὐδεμίαν ἀντέμφασιν παρέχει πρὸς τὰ οὐράνια, *quemadmodum per magnos ambulantibus campos, quales sunt Babylonii, vel per mare,*

omnia quae ante, et post, et ex obliquo sunt, sese exhibent plana, nullamque adferunt diversitatem apparitionis in rebus coelestibus.

3. הָבָה Imperativus Verbi יָהַב, proprie: *cedo,* tum pro Interjectione usurpatur excitantis ad opus aliquid aggrediendum, ut Latinorum *age, agedum*! et, uti hoc, et Plurali jungitur. Jarchi exponit: הזמינו עצמכם *parate vos ipsos.* נִלְבְּנָה לְבֵנִים, *faciamus lateres.* Verbum נִלְבְּנָה deductum est a לְבֵנָה quod laterem significat, cujus Pluralis לְבֵנִים, quasi dicas, *laterificemus lateres.* Babylonis muros lateritios fuisse plures veterum tradunt. *Herodotus* L. I. C. 179. de conditoribus murorum Babylonis: Ἑλκύσαντες δὲ πλίνθους ἱκανὰς, ὤπτησαν αὐτὰς ἐν καμίνοισι, *cum lateres satis multos effodissent, eos in fornacibus excoquebant. Justinus* Lib. I. Cap. 2. *Haec* (Semiramis) *Babylonem condidit, murumque urbis cocto latere circumdedit.* Sed non solum apud Historicos, verum et apud Poëtas hoc est tralatitium. *Aristophanes* in *Avibus:* Περιτειχίζειν μεγάλαις πλίνθοις ὀπταῖς, ὥσπερ Βαβυλῶνα· *circummoenire magnis lateribus coctis, ut Babylonem.* וְנִשְׂרְפָה לִשְׂרֵפָה *Uramus eos ad ustionem,* i. e. coquamus eos. Hujusmodi lateres coctiles igni et aquae, coelique ac temporis injuriis maxime resistere, testantur veteres. וְהַחֵמָר הָיָה לָהֶם לַחֹמֶר *Et bitumen erat eis pro luto.* חֵמָר, est bitumen, ἄσφαλτος a *rubore obscuro* dictum, Arabice حُمَر, illud ipsum, quo, suis in terris errumpente, Babylonii calcis loco, in condendis muris usi sunt. Bitumen autem ad aedificiorum exstructionem valde idoneum esse, veterum testimonia probant. Sic Strabo L. XVI. p. 743. ed. Casaub. bitumen Babylonicum in aedificiorum usum commendat, dicens: Ἐνταῦθα δὲ συνίστανται βῶλοι μεγάλαι πρὸς τὰς οἰκοδομὰς ἐπιτήδειαι, τὰς διὰ τῆς ὀπτῆς πλίνθου, *ibi coeunt magnae* (bituminis) *glebae ad aedificia idoneae, quae fiunt e cocto latere.* Et Dion in Troiano: Τοσαύτην γὰρ ἀσφάλειαν πλίνθους ὀπταῖς ἢ καὶ λίθοις λεπτοῖς συμμιχθεῖσα παρέχεται, ὥστε καὶ πέτρας καὶ σιδήρου παντὸς ἰσχυρότηρα αὐ-

τὰ ποιεῖν· *Tantam autem firmitatem coctis lateribus aut etiam lapidibus minusculis commixtum* (bitumen) *praestat, ut et saxis et ferro quovis validiores faciat.* Idem Suidas, Pollux, Xenophon testantur; nec non Theodoretus in Quaest. 59. in Genes. Exteri quoque scriptores de Babylonis moenibus idem scribunt, quod Moses, bitumine esse ferruminata. *Herodotus* L. I. Cap. 179. μετὰ δὲ τέλματι χρεώμενοι ἀσφάλτῳ θερμῇ, *postea vero pro luto utentes calido bitumine;* et aliquando post: Ὁ Ἶς ποταμὸς ἅμα τῷ ὕδατι θρόμβους ἀσφάλτου ἀναδιδοῖ πολλοὺς, ἔνθεν ἡ ἄσφαλτος ἐς τὸ ἐν Βαβυλῶνι τεῖχος ἐκομίσθη, *Fluvius Is una cum aqua plurimos reddit bituminis grumos, unde bitumen ad muros Babylonis deportabatur. Josephus Antiqq.* L. I. c. 4. ᾠκοδόμητο δ' ἐκ πλίνθου ὀπτῆς, ἀσφάλτῳ συνδιδεμένης· *Extructa autem fuit* (turris), *ex lateribus coctis bitumine colligatis. Plinius,* L. XXXV. c. 15. *Calcis quoque usum praebuit* (bitumen), *ita ferruminatis Babylonis muris. Vitruvius,* Lib. VIII. c. 3. *Babylone lacus est amplissima magnitudine, qui limne Asphaltis appellatur, habens supranatans liquidum bitumen, quo bitumine et latere testaceo structum murum Semiramis Babyloni circumdedit.* Vid. et *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 24. p. 44.

4. הָבָה נִבְנֶה־לָּנוּ עִיר וּמִגְדָּל *Age, aedificemus nobis urbem et turrem.* „Turrim," inquit Bochartus *Phaleg* L. I. Cap. 9. p. 42., „designabant, quae in ipsa urbe esset instar Acropolis. *Alcasar* Hispani dixerint, id est, القَصْر *arcem,* qua ipsa voce hic utitur Arabicus interpres [ab Erpenio editus; Saadias retinuit nomen hebraicum, مِجْدَل,]. Hebraei *turris* nomen passim ita usurpant. Sic Judic. VIII. et IX. *turris Penuel, turris Sichem, turris Thebes* sunt propugnacula totidem ad vim hostium propulsandam in mediis urbibus strui solita. Quod expresse dicitur de turri Thebes Jud. IX, 51. מִגְדָּלוֹת appellantur hae turres ab amplitudine, qua multum superant privatas domus." וְרֹאשׁוֹ בַשָּׁמַיִם *Et caput,* fastigium

ejus in coelum, ad coelum usque pertingat. Praepositio ב nomini שָׁמַיִם praefixa h. l. *ad*, vel *εἰς*, *in* denotat, *ad coelum*, quod Ps. LVII, 11. dicitur עַד־שָׁמַיִם. Usitata fuit haec loquendi formula ad magnam altitudinem designandam non solum Hebraeis, verum et Homero, quippe qui *Odyss.* E. Vs. 239. dicit, in Calypsonis insula locum fuisse, ubi *ἐλάτη τ' ἦν οὐρανομήκης*, *abies in coelum usque pertingebat.* Consilium suum in exstruenda tantae molis turre seu arce ejus conditores indicant his verbis: וְנַעֲשֶׂה־לָּנוּ שֵׁם *ut faciamus nobis nomen*, ut famam nobis comparemus; id enim hanc phrasin valere, docent loca 2 Sam. VIII, 13. Jesaj. LXIII, 12. 14. Jerem. XXXII, 20. Dan. IX, 15. Hunc sensum tamen plures interpretes huic loco minime convenire putant, quum proxime sequatur: פֶּן־נָפוּץ עַל־פְּנֵי כָל־הָאָרֶץ *ne dispergamur super faciem omnis terrae.* Quomodo enim, inquiunt, haec inter se cohaerent: famam nobis adquiramus, ne per terras spargamur? Cui incommodo alii aliter mederi studuerunt. Noldius in *Concordant. Particular.* p. 581. ed. Tymp. sensum optime sibi constare censuit, si פֶּן hic sumatur pro *fortasse*, ut Gen. XXVI, 9. Num. XVI, 34. Job. XXXIV, 13., et verba ita reddantur: (antequam) *forte dispergamur.* Ad quam interpretationem commendandam in Nota 2009. haec addit: „Quum facile intelligerent illi fabri Babylonis, quod ob crescentem indies numerum hominum non ita diu uno loco omnes vivere possent, hinc eximii quid moliri voluerunt, *antequam dispergerentur*, et dum adhuc una essent. In hunc sensum LXX. *πρὸ τοῦ διασπαρῆναι*, et Vulgatus: *antequam discedamus.* Quod *antequam* tamen *defective* nos addendum duximus.“ Nec sane פֶּן usquam valet *antequam*; nec magis certum est, dari Particulam *forsan* significare. Majorem plausum meretur quod Clericus primum proposuit, שֵׁם hic pro *monumento* capiendum esse, quod *nomen* et 2 Sam. VIII, 13. dicitur de monumento, quod Davides erexit in memoriam victoriae a Syris reportatae. Atque ut probaret, Latinum *nomen* eodem sensu usurpatum, adduxit haec Ennii verba

ex Annal. XVI. de re simili:

Reges per regum statuasque sepulcraque quaerunt,
Aedificant nomen, summa nituntur opum vi.

A Clerico haud longe discedit Perizonius, qui in libro supra p. 236. laudato voci שֵׁם significationem *signi, monumenti eminentis* et conspicui tribuendam censet, in subsidium quoque vocato Arabico سَمَا (pro سَمُوَ) *altus fuit, eminuit.* Summa interpretationis ab eo praepositae huc redit: homines in terram Sinear delatos, conditaque urbe fixam quidem sedem nactos, verum inter pascendum pecora a suis interdum longius aberrantes, decrevisse altissimam turrim exstruere, qua e longinquo visa, veluti signo quodam in altum sublato, cognoscerent, quo sibi per aequabilem, et in vias nondum scissam, agrorum planitiem iter esset dirigendum, ut ad reliquorum hominum societatem et habitationem redirent; atque ideo Mosis verba sic esse exprimenda: *faciamus nobis altum quoddam signum, ne per totam hanc regionem dispergamur.* Quod et Dathio, Ilgenio, aliis placuit, quamvis huic interpretationi plura, neque ea exigui momenti, opposuerint Deyling et N. G. Schroeder locis supra p. 236. commemoratis. Nam *primo* Hebraeum שֵׁם *signi elati* significatum obtinuisse, neque probatum est, neque probari unquam potest; et ipse fatetur Perizonius p. 202., nullum alium V. T. locum produci posse, quo שֵׁם illa significatione capiendum sit. *Deinde* phrasis *facere sibi nomen,* quum apud Hebraeos, ut supra vidimus, sit solennis, aliisque in locis non semel occurrat, non licet, unam inde vocem excerptam in alium, quam qui usitatus est, sensum detorquere. *Denique dispersio illa per faciem totius terrae* non potest esse pastorum per agros Babyloniae palantium, et ad sua domicilia identidem redeuntium; sed secessio, vel distractio potius, est integrarum familiarum, in diversis plane regionibus novas sedes occupantium. Manifestum hoc ex narrationis clausula (Vs. 8.), ubi, eadem prorsus phrasi adhibita, homines, divinitus disturbato eo-

rum consilio, dicuntur *per faciem totius terrae dispersi,* quod utique de perpetua familiarum distractione intelligendum esse dubitari nequit. Simplicissimum hujus commatis sensum Schroederus recte ait esse hunc: *structa urbe et praealta arce,* quae urbi insigniter condecorandae inserviat, *faciamus nobis nomen, ut ne per totam terram dispergamur,* i. e. societati nostrae, totum humanum genus complexurae, multum adstituamus decoris, dignitatis et splendoris, quo omnes et praesentis et futurae aetatis homines atque familiae ad eam perpetuo colendam servandamque ultro alliciantur et invitentur, nec a nobis divulsi, vel sponte, vel per incertos fortunae casus, in remotas et inhospitas regiones auferantur, nostraeque communitatis vinculum dissolvatur. Clerici conjecturam, pro שֵׁם esse אֵם *mater,* i. e. metropolis (ut 2 Sam. XX, 19.) legendum, solidis argumentis refutavit Deyling, l. l. p. 35. seqq.

5. Deus hic dicitur descendisse, ut viseret urbem et turrim, quam homines condiderunt, uti omnino ex antiqua persuasione credebatur ad humanum morem consilia agitare, deliberare, rebus ex omni parte perpensis decernere, locoque ipsi, quo quid perficere velit, adesse, ita tamen, ut in sensus et oculos non incurrat.

6. הֵן עַם אֶחָד וְשָׂפָה אַחַת לְכֻלָּם *Ecce, populus unus* ipsi sunt, *et labium unum,* eadem lingua est *iis omnibus,* hac igitur cognationis et linguae conjunctione muniti magnas res efficere poterunt. וְזֶה הַחִלָּם לַעֲשׂוֹת *Et hoc est τὸ incipere eorum ad faciendum,* jam prosperum initium fecerunt hujus sui operis, quo fiet, ut nihil non sibi deinceps successurum sperent. וְעַתָּה לֹא־יִבָּצֵר מֵהֶם כֹּל אֲשֶׁר יָזְמוּ לַעֲשׂוֹת *Et nunc non prohibebitur ab iis omne, quod cogitarunt facere,* quorum verborum sensum recte LXX. ita expresserunt: *οὐκ ἐκλείψει ἀπ᾽ αὐτῶν πάντα ὅσα ἂν ἐπιθῶνται ποιεῖν, non desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant,* uti Vulgatus Graeca reddidit. לֹא־יִבָּצֵר מֵהֶם *Non praescindetur ab iis,* „loquutio," inquit

Gussetius sub. v. בָּצַר, „repraesentans eos habere opus prae manibus, quod amputaretur prope eorum manus, ut non amplius id tenerent, et ab operando desistere deberent." Idem Gussetius observat ad יָזְמוּ, minime necessarium esse, id ad radicem nusquam alias occurrentem יָזַם referre, sed esse a זָמַם pro יָזֹמּוּ, ut mox Vs. 7. נָבְלָה pro נָבֹלָּה *confundamus.* Cf. *Gesenii ausf. Lehrg. d. h. Spr.* p. 372. Ceterum uti imprudentiae potius quam impietatis argui videntur a Nostro, qui humano generi metropolin condere aggressi sunt, ita Deus illud eorum institutum, tanquam sapientiae suae rationibus adversum, improbasse quidem et irritum fecisse, neque tamen poenam illis irrogasse dicitur. Cf. *Thom. Abbt* Dissert., qua ostenditur, *confusionem linguarum, quae Babelica audit, non fuisse poenam generi humano inflictam,* Hal. 1758. 4.

7. הָבָה נֵרְדָה וְנָבְלָה שְׂפָתָם *Age descendamus et confundamus eorum linguam.* Quae plures de *animorum dissensione et consiliorum diversitate* interpretantur, ut Ps. LV, 10., ubi Davides precatur, ut Deus *linguam hostium dividat,* h. e. istorum animos dissociet. Sed vide, quae ad Vs. 1. diximus.

8. וַיָּפֶץ יְהוָֹה אֹתָם מִשָּׁם עַל־פְּנֵי כָל־הָאָרֶץ *Et dispersit Jova eos inde super faciem universae terrae.* Ex linguae eorum confusione subsequuta est eorum dispersio, ex mente nostri scriptoris. Nam quum ex illa linguarum cujusque familiae varietate odium quoddam, ut fit, ortum esset, ut, licet inter se cognati, jam hoc nomine inter se convenire non possent, factum est, ut quisque cum sua familia, velut communi symbolo et tessera, lingua, quae cuique erat propria, suam familiam agnosceret, ei sese adjungens, et ab aliis sejunctus, sit in aliam regionem profectus, ad quaerendas sibi sedes, quas occuparet. וַיַּחְדְּלוּ לִבְנֹת הָעִיר *Et destiterunt construere urbem,* LXX. addunt: *καὶ τὸν πύργον,* cujus mentio brevitatis causa omittitur.

9. עַל־כֵּן קָרָא שְׁמָהּ בָּבֶל *Propterea vocavit* scil. vocans, i. e. vocatum est *nomen ejus* urbis *Babel.* כִּי שָׁם

בָּלַל יְהוָה שְׂפַת כָּל־הָאָרֶץ *Nam ibi confudit Jova labium universae terrae.* Cepit igitur noster בָּבֶל pro בַּלְבֵּל, altero ל extrito, ut in Syro גוּגַלְתָּא pro גַּלְגַּלְתָּא, et Chaldaeis קִיקַלְתָּא est pro קַלְקַלְתָּא *foetidum, stercus*, et שׁוּשִׁילְתָא pro שַׁלְשִׁילְתָא *catena.* Et Onkelos hoc loco pro בָּלַל posuit בַּלְבֵּל *confudit.* „Si philosophus ille, quisquis tandem ille fuerit, qui linguarum suo tempore variatarum caussam atque originem, ea, qua hic legimus, ratione, indagaret, de *loco* quaerebat, ubi a Numine irato variata fuerit et mixta loquela humana, parata fuit responsio ex fama eadem antiqua, qua totum genus humanum inde a diluvio Noachico aliquamdiu inter Euphratem et Tigridim se continuisse, adeoque cum parente communi, Noacho, communi etiam sermone usum esse ferebatur. Et ut largam linguarum segetem in hac interamni planitie succrevisse sibi persuaderent, in eo confirmabantur urbis Babylonis nomine, quod a *confundendo*, בָּלַל, dictum videri poterat, nisi forte illud totius philosophematis fundus dici possit, cum homines antiquos e nominum propriorum significatione res gestas exsculpere adsuetos, id alieno saepe loco infaustis malisque avibus fecisse, multis exemplis pateat. Ex qua *confundendi* notione, in Babylonis nomine semel adoptata, et ad *sermonis* confusionem translata, mythus noster ipse sua sponte profluxit. Pyramis enim, sive turris alta, exstruendo tamen ad finem non perducta, quae coelum altitudine petere videbatur, imminebat urbi; jam opus illud audax omnino et temerarium, ex quo forte majora et audaciora ominari licebat, quidni ex sensu illius temporis divino Numini displicuerit? Urbs ipsa paulatim ad majorem amplitudinem novis crescebat accessionibus, nec nisi inchoata a conditoribus videri poterat; cujus rei caussa ex ipso urbis nomine sive sermonis variatione et confusione quidni repeti potuerit?“ Haec Eichhornius in Prolusione supra p. 235. laudata, qui idem Vir summus *Babelis* nomen a Belo potius, primo ejus regionis rege, ductum existimat. „Quam plurimas enim,“ inquit, „aliarum regionum ur-

bes, quae vel metropolium jura et privilegia naotae, vel imperiorum sedes factae sunt, a regibus, nunc urbium ipsarum aut regnorum conditoribus, nunc factis suis celebribus nomina sua duxisse legimus; quidni igitur *Babylonem* etiam credere liceat a Belo, primo, si antiquis historiarum auctoribus fidem habeamus, Babyloniae rege, *portam* fuisse, hoc est, *aulam* et *sedem Beli* nominatam? Scilicet باب بل, esset *porta*, *aula Beli*, ut باب سعادت, *porta felicitatis*, h. e. *aula regia*. Cf. Richardsonii et Meninskii Lexica, Ebraeorum שַׁעַר Esth. II, 19. 21. III, 2. 3., תְּרַע Chaldaeorum, Dan. II, 49. et *Alb. Schultensii Opera minora* p. 322. Obiter etiam id addere liceat, nec aliam fuisse Graecorum de hujus nominis origine traditionem, ut patet ex *Etymologico Magno*. Βαβυλὼν, πόλις Ἀσσυρίας — — εἴρηται ἀπὸ Βήλου, ὅς κτίσας αὐτὴν, ἀπ᾽ αὐτοῦ προσηγόρευσε κ. τ. λ. Aliud hujus etymologiae vestigium extat in *Stephano Byzantino*, v. Βαβυλών." Ceterum hujus turris et apud scriptores exteros mentio fit. Eupolemus apud *Eusebium Praepar. Evang.* L. IX. Cap. 14.: Πόλιν Βαβυλῶνα πρῶτον μὲν κτισθῆναι ἀπὸ τῶν διασωθέντων ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ, εἶναι δὲ αὐτοὺς γίγαντας, οἰκοδομεῖν δὲ τὸν ἱστορούμενον πύργον. Πέσοντος δὲ τούτου ὑπὸ τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας τοὺς γίγαντας διασπαρῆναι καθ᾽ ὅλην τὴν γῆν. *Urbem Babylonem primum ab illis fuisse conditam, qui a diluvio servati sunt; eos autem fuisse gigantes, et celebrem illam turrim exstruxisse, qua vi divina prostrata, gigantes per universam terram fuisse dispersos.* Et Abydenus apud Eusebium l. l.: Ἐντι δὲ, οἳ λέγουσι τοὺς πρώτους ἐκ γῆς ἀνασχόντας ῥώμῃ τε καὶ μεγέθει χαυνωθέντας — — τύρσιν ἠλίβατον ἀειρῥεῖν ἵνα νῦν Βαβυλὼν ἐστι· ἤδητε ἆσσον εἶναι τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τοὺς ἀνεμοὺς θεοῖσι βωθέοντας ἀνατρέψαι περὶ αὐτοῖσι τὸ μηχάνημα, τοῦ δῆτα ἐρείπια λέγεσθαι Βαβυλῶνα. Τέως δὲ ὄντας ὁμογλώσσους ἐκ θεῶν πολύθροον φωνὴν ἐνεικᾶσθαι. *Sunt qui dicant primos e terra editos, cum virium et molis ratione superbirent, turrim excelsam erexisse, ubi nunc est Babylon; et cum ea jam esset coelo proxima, ven-*

tos Diis subvenientes totum opus subvertisse; ruinis autem Babyloniae nomen fuisse impositum. Cum vero ad id temporis homines unius linguae fuissent, linguam diversam ipsis a Diis esse immissam. Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 25. p. 46.

VI. *Posteris Semi usque ad Abrahamum recensitis hujus vita et res gestae exponuntur, XI, 10. — XXV, 18.*

1. *Posteri Semi usque ad Abrahamum, XI, 10—32.*

Cap. XI, 10. Supra Cap. X. Semi progeniem noster recensere coeperat quidem, sed non absolverat, quia ad divisionem usque linguarum tantummodo illam producere voluit, ut ostenderet, quas ex se singuli ex posteris Noachi familias et gentes constituerint. Jam ergo omissis prorsus ceteris Noachi filiis, quod ex illis deinceps gentis Hebraicae conditores, Abrahamus, et alii, in quibus immorari constituit, recta linea non descenderint, redit ad Semi genealogiam, quam ad Abrahamum usque texit. Cujus majores breviter tantummodo enumerat cum vitae cujusque annis, ut simul haberetur certa annorum ratio a diluvio usque ad Abrahamum, quemadmodum supra Cap. V. in decem hominibus ab Adamo ad Noachum usque anni singulorum recensentur, ut, quot anni essent ab orbe condito ad Noachum et celebratam illam veteris orbis eluvionem certo sciretur. Ceterum in iis, quae sequuntur, Alexandrini interpretes, atque Samaritanus uterque, annorum numeros ex iisdem, quas supra ad Cap. V, 1. vidimus, legibus, mutant. Ne enim nimis rapide aetas humana decresceret (quae ex Hebraei textus lectione a 950 annis Noachi et 600 Semi ad 438 Arphaxadi praeceps it, iterumque, paucis stemmatibus interjectis, a 464 Eberi ad 239 Phalegi), itemque ne illa aliquando nova videretur capere incrementa, ut in Ebero ac Theracho, denique ne ante centesimum annum patriarchae ab Arphaxado ad Therachum sobolem procrearent, cautum est ea Alexandrini interpretis lectione, quae in codice Va-

ticano invenitur, nam ab eo subinde discedit codex Alexandrinus. Primarium, quod patribus ante filios ipsis natos centum annos addit; quod ipsum et facit Samaritanus, quamquam in Nachoro quinquaginta annis contentus, ita tamen, ut post filium natum totidem annos vitae patris demat, eadem in octo primis patriarchis mansura annorum omnium summa, quae ex Hebraicis numeris constat. *Samaritana* lectio ipsa quoque systematica, sed paucioribus legibus, quam graeca, contenta. Sufficit enim Samaritano, neminem grandaeviorem patre fieri, quod spectans, Theracho quoque, cui plus quam septuaginta annos supra hebraicam lectionem Graeci addunt, sexaginta de Hebraicis demit. Hebraeis enim moritur natus annos 205., Graecis plus quam 275., Samaritanis 145. De lento et aequabili humanae vitae decremento non laborat, sed illos tantum saltus relinquit, quos in Arphaxado et Phalego in praeceps dehiscens natura fecisse videtur. Deinde non vult, quemquam ejus temporis quinquagenario minorem filios genuisse; unde contrarium hujus, quod in genealogia ante diluvium tentaverat, hic facit; Graecisque consentiens Arphaxado, Selacho, Ebero, Phalego, Revo, Serugo, centum, Nachoro quinquaginta annos addit, antequam patres fierent. De quo Graecorum interpretum atque textus Samaritani dissensu ab Hebraeo multis egit *J. D. Michaelis* in *Commentat. de Chronologia Mosis post Diluvium* in *Commentatt. Societati Reg. Goetting. per annos* 1763—1768. ab ipso oblatt. p. 153. Cf. *Gesenii* Comment. *de Pentateuchi Samaritani origine* etc. p. 48. sequ. Not. 165. Conspectum discrepantiarum textus Samaritani, versionis Alexandrinae, et Fl. Josephi in hac genealogia exhibent Vater in Commentar. p. 174. et Jahn in Bibl. Hebr. a se edit. p. 25.

28. וַיָּמָת הָרָן עַל־פְּנֵי תֶּרַח אָבִיו *Obiit Haran ad faciem Therachi, patris sui*, i. e. vivente adhuc patre. בְּאֶרֶץ מוֹלַדְתּוֹ בְּאוּר כַּשְׂדִּים *In terra nativitatis suae in Ure Chaldaeorum.* De quo loco sententiam verisimilli-

mam protulit Bochartus (in *Phaleg* L. I. C. 21.), cui et adstipulantur *Cellarius* (in *Geograph. Ant.* P. II. p. 729. 760.), *Schlözer* (in *Commentatione de Chaldaeis, Repertor.* P. VIII. p. 135. 136.), et *J. D. Michaelis* tam in *Bibl. Orient.* P. XVII. p. 76., quam in *Suppl.* P. I. p. 47. 48., esse אור, quae hic memoratur, eadem, cujus Ammianus Marcellinus L. XXV. Cap. 8. mentionem facit, reditum Romani exercitus sub Joviano post mortem Juliani describens. Narrat, Romanos transvecto Tigri, ad locum centum millibus passuum a Corduena remotum, via sex dierum emensa, ad *Ur, Persicum castellum* venisse, unde profectis primo Thisalphata, deinde Nesibin iter fuit. Hanc Urem Abrahami fuisse patriam, ideo verisimile est, quia ab Ure Ammiani, quae erat inter Nesibin et Tigrim, in Palaestinam recta via euntibus transeundum erat *Carras* sive *Charane*, ubi *Therach* consedit. Invenitur *Ur* in tabula Euphratis et Tigridis ex d'Anvillii delineatione sub gradu longitudinis 60 et 12 circiter minutis, latitudinis 36 et 4 minutis. Accedit, quod Abrahamus, et qui eum sequebantur, videntur Nomades fuisse. Nulla autem terra Nomadum vitae aptior erat solitudinibus borealis Mesopotamiae, in qua Ammiani *Ur* sita erat; cujus quidem solum admodum siccum et sterile est, ut ager non coli possit, sed tantum pecora ibi pascantur. Varias de אור sententias una cum Judaeorum de hoc loco commentis recensuit dijudicavitque *Christ. Wagner* in Dissert. *de Ur Chaldaeorum*, Lips. 1681. 4., repetita in *Thesauro theolog. philol.* (vet.) T. I. p. 173. seqq.

29. Haran dicitur אֲבִי־מִלְכָּה וַאֲבִי יִסְכָּה *pater Milcae et pater Jiscae*, quam posteriorem plures Judaeorum eandem ac Saram fuisse opinantur. Ita et Hieronymus, a Judaico suo magistro edoctus. „*Aran,*" inquit in *Quaest. in Genes.* ad h. l., „filius Thare, frater Abraham et Nachor, duas filias genuit, Melcham et Sarai, cognomento Jescan, διώνυμον. E quibus Melcham accepit uxorem Nachor, et Sarai Abraham; necdum quippe inter patruos

et fratrum filias nuptiae fuerant lege prohibitae, quae in primis hominibus inter fratres et sorores initae sunt." Sed nititur ista opinio nullo solido argumento.

30. וַתְּהִי שָׂרַי עֲקָרָה אֵין לָהּ וָלָד *Eratque Sarai sterilis, nec fuerant ei liberi.* „Satis fuisset Latine loquentibus dixisse, *sterilem fuisse* Saraïn; sed Hebraei ejus quod adfirmarunt passim solent contrarium negare. Vid. infra XLII, 2. Sic Jesaj. XXXVIII, 1., *morieris neque vives*, ait Ezekiae aegrotanti propheta. Et Cap. XXXIX, 4. *Omnia*, ait Ezekias, *quae sunt domi meae*, *viderunt*, *neque quidquam in thesauris est*, *quod eis non ostenderim.* Vid. et Jerem. XLII, 4. Joan. I, 3. 20. et Actor. XIII, 11." *Cleric.* Pro וָלָד Hubigantius יָלָד reponendum jussit, uti et codex Samaritanus habet, quum illud sit Arabicum. Cui tamen recte reponit Ravius in *Exercitatt.* p. 90.: „Esto וָלָד sit Arabicum; quis vero ea propter negaverit, id esse quoque Hebraicum? quum apud Hebraeos aeque dentur Verba inchoata a Vau, ac apud Arabes; et in ipso Verbo יָלַד ejusque derivatis istud Vau non simplici vice recurrat, lectionemque וָלָד 2 Sam. VI, 23. confirment ad minimum XL. codices Kennicottiani."

31. Post שָׂרָי in codice Samaritano haec addita leguntur: ואת מלכה כלותו אשת אברם ונחור בניו *et Milcam, nurum suam, uxores Abrami et Nachoris, filiorum suorum.* „Addita," inquit Clericus, „videntur ex ingenio, sed perperam. Scriptor enim sacer, Abrahami solius vitam narraturus, data opera Nahoris uxorem omittere potuit, quum de ea nihil singulare, aut quod ad Abrahamum pertineret, esset dicturus." וַיֵּצְאוּ אִתָּם *Et exierunt cum iis*, i. e. egressi sunt Therach et Abraham cum Loth et Sarai, ut recte Jarchi observat. Nil igitur necesse, cum Samaritano codice וַיּוֹצֵא אוֹתָם *et eduxit eos* legere, quod et LXX. expresserunt (καὶ ἐξήγαγεν αὐτοὺς), quos Vulgatus sequitur, et Dathius recepto praeferendum duxit. וַיָּבֹאוּ עַד־חָרָן *Et venerunt usque ad Charan*, quae urbs Mesopotamiae, Chaboram inter et Euphratem, quam

Graeci et Romani *Carras* vocant, quaeque M. Crassi clade nobilitata est (haud confundenda cum חָרָן *Arabiae felicis*, quae Ezech. XXVII, 23. commercia cum Tyris exercuisse dicitur, cumque aliis Arabiae felicis urbibus componitur). Invenitur in tabulis d'Anvillianis, sub longitudinis 57° 10′ latitudinis 36° 40′; urbs in regione plana, arenosa, sterili, Nomadum vitae valde apta, quae in hunc usque diem a Nomadibus pererratur. Videtur regio haec arida, ac solis ardore accensis arenis fervens, a חָרַר, حَرَّ, *ferbuit*, *sitivit* nomen accepisse, nam et apud Arabes حَرَّان, quo modo efferunt hujus urbis nomen, *sitientem*, significat; vid. *Michaelis Supplementa*, p. 930. seqq. Cur vero Therachus cum Abrahamo patriam reliquerit, causa videtur fuisse haec, quod pascua Ure Chaldaeorum nimis angusta illis fuerint. Quum vero jam illis temporibus Palaestina propter fertilitatem celebris fuisse credibile sit, eo proficisci consilium ceperunt. Ex Josephi sententia in *Antiqq.* L. I. c. 7. Abramus propter veri Dei cultum a Chaldaeis vexatus, ex ea terra egredi statuerat. Δι' ἅπερ, inquit, Χαλδαίων τε καὶ τῶν ἄλλων Μεσοποταμιῶν στασιασάντων πρὸς αὐτὸν μετοικεῖν δοκιμάσας, κατὰ βούλησιν καὶ βοήθειαν τοῦ Θεοῦ τὴν Χαναναίαν ἔσχε γῆν. *Propterea* (propter cultum Dei veri) *cum Chaldaei et alii Mesopotamiae incolae contra ipsum seditionem agitarent, inde migrare factu optimum existimans, Deo volente et adjuvante terram Cananaeam possedit.* Ceterum et apud scriptores exteros Abrahami fit mentio. Berosus apud Josephum (L. I. c. 7. l. c.) et Eusebium (in *Praeparat. Evang.* L. IX. c. 16.): μετὰ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ, παρὰ Χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνὴρ καὶ μέγας καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος· i. e. *decima post diluvium aetate apud Chaldaeos vir exstitit justus et eximius, rerumque coelestium peritus.* Hecataeus de Abrahamo, ut Josephus auctor est, singularem librum scripsit. Nicolaus Damascenus (apud Josephum l. c.) dicit, Abramum Damasci regnasse, quam in urbem ad-

vena cum exercitu venisset, ex regione Chaldaeorum. At non multo post etiam hinc emigrasse in Cananaeam regionem. Testatur quoque Josephus, adhuc suis temporibus nomen Abrahami in Damascena regione celebre fuisse, et monstrari illic vicum, qui Abrahami habitaculum dicatur.

32. Pro וּמָאתַיִם שָׁנָה *et ducentis annis* legitur in codice Samaritano וארבעים ומאת שנה, ut Therachus non CCV., sed CXLV annos duntaxat vixisse dicatur. Cui scriptioni adhaerendum esse notat Bochartus *Geograph. S.* p. 863.; aliter enim Hebraeo codici adversari Stephanum protomartyrem, quippe qui Act. VII, 4. Abrahamum mortuo demum patre in Cananaeam migrasse dicit. Quod sic probatur: dictum fuit Vs. 26., Therachum fuisse annorum LXX., cum gigneret Abrahamum. Infra autem (XII, 4.) dicetur, Abrahamum fuisse annorum LXXV., cum ex Charane in Cananaeam profectus est. Ex quo efficitur, ut Therachus, tempore illius profectionis, annum aggeret CXLV., atque adeo ut, si CCV. annos vixerit, totos LX. annos huic profectioni superstes fuerit. Quare aut falli Stephanum, aut statuendum esse cum Samaritano codice, non plus vixisse Therachum, quam CXLV. annos. Plura ad commendandam codicis Samaritani scriptionem attulit Ilgen in *den Urkunden* etc. p. 63. seqq. Sed quum et LXX. et ceteri veteres interpretes eum annorum numerum, qui in codicibus Hebraicis omnibus legitur, exprimant; vix dubium est, illud quod in Samaritano codice exstat, deberi critico alicui Samaritae, cui opinio insedit, migrasse Abrahamum post mortem demum patris in Cananaeam, quod tamen scriptor Hebraeus non dicit. Vid. not. ad XII, 1. Istam opinionem et Stephanus sequutus, cujus auctoritas tamen non valet tantum, ut ex ea textum Hebraeum mutemus. Varia interpretum tentamina Stephanum cum codice Hebraeo conciliandi vid. in Kuinoelis Commentar. ad Act. VII, 4.

2. *Abrahamus in Cananaeam proficisci jubetur a Deo, cui paret, unaque Lotum ducit. Promissa accipit divina, dum Cananaeam peragrat, fore eam stirpis suae. XII, 1—9.*

Cap. XII. De Abrahamo, ceterisque gentis Hebraeae progenitoribus, quorum nunc historia sequitur, jam longe olim multae narrationes in vulgi ore videntur circumlatae fuisse, veteri fama acceptae. Quae quum postea litteris mandari coeperint, variis modis, ut fit, auctae et exornatae sunt, ut adderentur, quae dicta et facta esse a priscis illis hominibus, sive illis accidisse, veri esset simile his, qui illorum historiam contexere tentarent talem, quae ab Hebraeis cum fructu et voluptate legi possit. Atque quum inter totius veteris orbis homines haec recepta esset persuasio, quae inter plerosque barbaros etiamnum obtinet, invisisse numen antiquissimis temporibus terram, occurrisse hominibus, sermones ac consilia cum iis commutare solitum; nemini mirum erit, etiam vetustissimorum patriarcharum vitis hujusmodi narrationes insertas esse.

1. Quod antea (Cap. XI, 31.) breviter tantummodo memoratum erat, reliquisse Therachum cum cognatis patriam terram, ejus rei plenior nunc narratio subjicitur. וַיֹּאמֶר *Dixitque*, vel potius: *dixerat autem*, nempe quum adhuc esset in Chaldaea, priusquam Carras venisset. Ita et Stephanus disertis verbis Act. VII, 2. dicit, apparuisse Deum Abrahamo in Mesopotamia, πρὶν ἢ κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν Χαῤῥάν. Mesopotamiae nomen late sumit, ut etiam Chaldaeam comprehendat, quod testantur verba quae sequuntur Vs. 4.: Τότε ἐξελθὼν ἐκ γῆς Χαλδαίων, κατῴκησεν ἐν Χαῤῥάν. Cf. Kuinoelii Commentar. ad loc. Act. I. Nec obstat, quod Therachi mors supra XI, 32. jam est commemorata; in quo πρόληψις est, quali optimi quique scriptores uti solent. Nam quia non amplius de Theracho verbo facturus est, semel iis, quae ad eum pertinebant, defungi voluit; quo peracto, Abrami vitam narrare

orsus retrograditur, et quid eum moverit, ut solum natale verteret, plenius exponit. לֶךְ־לְךָ *Ito tibi*, i. e. ito, migra. Frequens Hebraismus, in quo nulla est emphasis, quam hic frustra quaerit Jarchi, quasi hoc dicatur: migra *in commodum tuum*. Nam Pronomina affixa cum Particula ל composita saepe, praesertim post Verba *eundi*, redundant, vid. *Gesenii ausführl. Lehrgeb. der hebr. Sprache*, p. 736. מֵאַרְצְךָ *E terra tua*, i. e. e Chaldaea. Male Clericus: e Carrhis; quod quum Therachus eo in loco consedisset, regionem circa Carrhas suam fecisset. Sed *terra alicujus* Hebraeis est patria ejus, quae Chaldaea erat; sic etiam Latini loquuntur. Minos apud Ovidium *Metam.* VIII, 103. *Creten, quae meus est orbis.*

2. וְאֶעֶשְׂךָ לְגוֹי גָּדוֹל *Et faciam te in magnam gentem*, i. e. posteros tuos augebo, ut magnam gentem efficiant. וַאֲבָרֶכְךָ *et benedicam tibi*, i. e. felicitabo te, accumulaboque te omni genere bonorum. Alii ad numerosam sobolem, quam Abrahamo daturus sit Deus, hoc verbum restringunt. Sane ita usurpatur supra I, 22., ad quem loc. cf. not. Hic tamen, quum jam praecesserit promissio de numerosa sobole, ne ταυτολογία prodeat, sensu, quem diximus, latiori capiendum videtur. וַאֲגַדְּלָה שְׁמֶךָ *Et magnum faciam nomen tuum*, reddam te celebrem et clarum. וֶהְיֵה בְּרָכָה *Et esto benedictio*, i. e. eris benedictus, bonis omnibus cumulatus, substantivo posito pro adjectivo, ut saepius; v. c. Proverb. XIII, 1. מוּסָר, *castigatio* pro castigato, Ezech. XXXV, 15. שְׁמָמָה, *desolatio* pro desolato. Ita LXX. ἔσῃ εὐλογημένος. Sunt qui exponant: eris hominibus exemplum, aut formula faustae apprecationis, ut qui posthac alicui bene precari voluerit dicturus sit: contingat ei talis felicitas, qualis Abrahamo contigit. Quin proverbii loco usurpabitur: *Abramo felicior*. Sed prius illud praeferendum.

3. וַאֲבָרְכָה מְבָרְכֶיךָ וּמְקַלֶּלְךָ אָאֹר *Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi*, i. e. be-

nefaciam iis, qui tibi faverint, sicuti e contrario iis, qui tibi nocere voluerint, adversabor, eosque infelices reddam. Quod מְקַלֶּלְךָ *male precanti tibi* in Singulari dixit, eo significare velle nonnulli putant, paucos fore, qui Abrahamo maledicturi sint. Sed mera est numeri enallage, seu est collective capiendum. Recte LXX. τοὺς καταρωμένους σε. Verbis, quae sequuntur, וְנִבְרְכוּ בְךָ כֹּל מִשְׁפְּחֹת הָאֲדָמָה *in te benedicentur omnes gentes terrae*, Clericus cum Jarchio hoc dici putat: tuo nomine exemploque prolatae benedictiones apud plurimos Orientis populos concipientur, his aut similibus verbis: *benedicat tibi Deus, ut benedixit Abramo.* Sed ad talem sensum exprimendum vix dubium, scriptorem forma Hithpaël usurum fuisse; cf. Deut. XXIX, 18. Onkelos pro בְךָ posuit בְּדִילָךְ *propter te*, causa tui; et auctor τοῦ Thargum Hierosolymitani: בִּזְכוּתָךְ *merito tuo.* Nos iis adstipulamur, qui בְךָ pro בְּזַרְעֲךָ *per semen tuum* capiunt, ut Abramo hoc promittatur, fore, ut per ejus posteros omnes orbis terrarum populi fortunentur, adducendi ab illis ad veri Dei notitiam et cultum. Ad Jesum, Messiam hoc restrinxit Apostolus Gal. III, 8 Cf. *C. F. Ammonii*, V. S. V., *Entwurf einer Christologie des A. T.* p. 22. מִשְׁפָּחוֹת h. l. sunt *gentes*, cf. not. ad X, 5.

4. וְאַבְרָם בֶּן־חָמֵשׁ שָׁנִים וְשִׁבְעִים שָׁנָה בְּצֵאתוֹ מֵחָרָן *Et Abramus septuaginta quinque annos natus erat cum Charane egressus est.* „Indissolubilis," inquit Hieronymus in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l., „hic nascitur quaestio. Si enim Thare, pater Abrahae, cum adhuc esset in terra Chaldaeorum, septuaginta annorum genuit Abraham [XI, 26.], et postea ducentesimo quinto aetatis suae anno mortuus est [XI, 32.]; quomodo nunc post mortem Thare, Abraham exiens de Charran septuaginta quinque annorum memoratur, quum a nativitate Abrahae usque ad mortem patris ejus centum triginta quinque anni fuisse doceantur?" Nodum in scirpo quaerit, quum narratio, ut supra ad Vs. 1. observavimus, revertatur ad ea, quae vivente adhuc Theracho contigerunt.

5. רְכוּשָׁם *Acquisita sua*, i. e. τὰ ὑπάρχοντα αὐτῶν, ut recte LXX., opes, facultates suas, quae praecipue ex pecudibus constabant, quum Abrahamus et Lotus Nomades essent. וְאֶת־הַנֶּפֶשׁ אֲשֶׁר־עָשׂוּ *Cum anima quam fecerunt*, i. e. cum servis quos acquisiverant. נֶפֶשׁ enim, quod hic collective sumendum, interdum etiam denotat *servos*, mancipia. Sic Ezech. XXVII, 13. Javan, Thubal et Mesech dicuntur cum Tyriis commercia exercuisse בְּנֶפֶשׁ אָדָם *in anima hominis*, i. e. mancipiorum. Idem significat vox ψυχὴ, quod LXX. hic habent, Apoc. XVIII, 13. אֲשֶׁר־עָשׂוּ *Quos fecerant*, sibi acquisiverant. עָשָׂה, Aben-Esra notante, hic idem quod קָנָה. Ita et infra XXX, 30. Deut. VIII, 17.

6. עַד מְקוֹם שְׁכֶם *Usque ad locum Sichemi*, i. e. usque ad eum locum, ubi deinde urbs Sichem exstructa est; nam Sichemus, princeps Hevaeus, Genes. XXXIV, 2. memoratur, a quo urbs illa vel condita erat, vel certe nomen accepit, Abrahami tempore nondum natus fuit. Sita est urbs in Samaria inter montes Ebal et Garizim in planitie multis fontibus irrigua. A Graecis et Romanis *Neapolis* dicebatur, et hodie *Nabolos* sive *Naplosa* dicitur. עַד אֵלוֹן מוֹרֶה *Usque ad Terebinthum Moreh*. אֵלוֹן *Terebinthum* esse, nec *quercum*, ut plures vertunt, demonstrarunt Celsius *Hierobotan*. P. I. p. 34—58. et Michaelis in *Supplem*. p. 72. seqq. Etiamnum hae arbores in Palaestina frequentes sunt, et quum per plura secula durent, fiunt saepe geographiae monumenta, atque ut talia ab itinerariorum et historiarum scriptoribus memorantur, dant etiam aliquando vicinis urbibus nomina, ut ex Shawii Itinerario p. 39. vers. Germ. apparet, ubi duo vici Mauritaniae memorantur, unus *Fythe el Bothmah*, alter *Thyte el Botum*, qui ambo nomen a terebinthis (بُطْم, בוּטְמָא) gerunt. Sicut olim quercus a Graecis, Celtis et Germanis, ita terebinthi ab Orientalibus propter ipsarum longaevitatem colebantur, tanquam arbores sacrae, sub quibus altaria exstruebant et sacra faciebant.

מוֹרֶה videtur nomen viri esse, a quo arbor illa aut tractus nomen habuit, ut infra XIII, 18. מַמְרֵא, cum quo tamen non est confundendum. LXX. pro אֵלוֹן מוֹרֶה τὴν δρῦν τὴν ὑψηλὴν posuerunt, non quod רומה, literis transpositis, legerunt, ut Celsius l. I. p. 56. conjicit, verum quod מוֹרֶה ad רָאָה videntur retulisse, quasi ea vox proprie *conspicuum* significaret. Unde Hieronymus אֵלוֹן מוֹרֶה *convallem illustrem* interpretatus est; nomen אֵלוֹן vero significatu cum Graeco αὐλὼν *planities* convenire, opinatus esse videtur, in quo praeeuntem habuit Onkelosum, qui et hic et infra XIII, 18. illud מֵישַׁר vertit. Verba וְהַכְּנַעֲנִי אָז בָּאָרֶץ *Cananaeus autem tunc erat ea in terra*, uti similia infra XIII, 7., nonnulli existimarunt non esse a manu Mosis, sed addita ab alio quopiam, qui, postquam Cananaei ab Israelitis expulsi essent, vixerit; quod tamen ut statuamus minime necesse est. Nam est illa observatio, uti vere Clericus monet, ex earum numero, quae haud raro in libris sacris occurrunt, et quibus nihil singulare continetur; sed quae sunt instar vocum παρελκόντων, quae sine lectoris jactura abesse possent. Sic idem, quod hic, et infra XIII, 7. sine necessitate repetitur. Josua Cap. XXI, 2. libri ejus dicitur primores Israelitarum alloquutus *Silunte in terra Canaan;* at quis nesciebat, Siluntem esse in terra Cananaea? Vid. et Jos. XXII, 10. 11. Deut. XI, 30.

8. וַיַּעְתֵּק מִשָּׁם *Et revellit inde* paxillos scilicet terrae infixos, quibus alligata erant tentoria. Vid. Jud. IV, 21. הָהָרָה מִקֶּדֶם לְבֵית־אֵל *Montanam regionem versus, quae est Betheli ab Oriente.* Hic est πρόληψις, urbs enim Bethel a Jacobo demum hoc nomen accepit; Abrahami tempore *Luza* vocabatur, ut Judic. I, 23. dicitur. Sub montana regione intelligi videtur asperum illud montanumque desertum in latere septentrionali urbis Jericho, quod hodie *Quarantania* dicitur, Nomadum errationibus perquam aptum. בֵּית־אֵל מִיָּם *Bethel a mari;* i. e. ab occidente, quae coeli plaga Hebraeis *mare* vocatur, quia ad occidentem Judaeae est mare mediterraneum. *Ai* erat urbs

in Judaea sita, quam Israelitae sub Josua ceperunt, Jos. VIII, 9. 12. וַיִּבֶן־שָׁם מִזְבֵּחַ לַיהוָה וַיִּקְרָא בְּשֵׁם יְהוָה *Aram quoque ibi in honorem Dei exstruxit et Deum invocavit,* h. e. sacra fecit. Invocatio Dei non solum preces, verum mactationem victimarum et solemniorem cultum videtur complecti.

9. וַיִּסַּע אַבְרָם הָלוֹךְ וְנָסוֹעַ *Et profectus est Abrahamus eundo et proficiscendo*, i. e. sensim iter suum persecutus est, Nomadum more, prout pascua deficiebant. הַנֶּגְבָּה *meridiem versus.* Illa Palaestinae pars, quam postea tribus Judae accepit, in quatuor partes dividitur, quae sunt *Montana*, *Planities*, *Desertum*, et *Terra meridionalis.* In ultimam hanc partem, quae Aegypto confinis est, Abrahamus jam abibat. LXX. ἐν τῇ ἐρήμῳ, quippe נֶגֶב aliquando *terra sicca et arida*, vid. not. ad Ps. CXXVI, 4.

3. *Abrahamus famis causa in Aegyptum migrat. Uxorem ejus rex Aegypti rapit, et restituit. XII, 10—20.*

10. וַיְהִי רָעָב בָּאָרֶץ *Oborta autem est fames in ea terra.* Quamquam terra Canaan fertilis erat, tamen illis temporibus non ita colebatur, ut non interdum frumenti penuria oriri posset. וַיֵּרֶד אַבְרָם מִצְרַיְמָה *Et Abrahamus descendit in Aegyptum*, nam Palaestina altior est Aegypto. Videtur haec regio, praesertim inferior, Palaestinae confinis, propter fertilitatem et annonae ubertatem jam Abrahami temporibus celebris fuisse. לָגוּר שָׁם *Ad commorandum ibi*, i. e. non habitandi causa, sed commorandi ad tempus, dum annona levaretur.

11. וַיְהִי כַּאֲשֶׁר הִקְרִיב לָבוֹא מִצְרָיְמָה *Factumque est, cum appropinquasset, ut ingrederetur in Aegyptum*, id est, cum jam propius Aegyptum accessisset, et mox eam ingressurus esset. הִקְרִיב transitive exponi potest, subaudiendo מַחֲנֵהוּ, *cum fecisset appropinquare*, sive propius admovisset, *castra sua*, suum tentorium atque familiam,

sedes suas. Potest tamen et neutrum exponi, ut saepe accidit verbis *Hiphil*, natura sua transitivis, ut absolute sumantur. Vid. *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 243. יָדַעְתִּי כִּי אִשָּׁה יְפַת־מַרְאֶה אָתְּ *Novi te mulierem esse formosam.* Quum Abrahamus eo tempore, quo Cananaeam ingressus est, septuaginta quinque annos natus, Sara autem, ut liquet ex Cap. XVII, 17., decennio tantum junior esset, moverunt interpretes quaestionem, quomodo Abrahamus eo adhuc tempore, quo in Aegyptum migraret, dicere potuerit, Saram formosam esse? Respondere solent fere haec: 1) Quum homines illo tempore adhuc diutius viverent, et aetas eorum ad 130 et 180 annos assurgere soleret; Sara tum annum sexagesimum septimum agens veluti in flore aetatis erat. 2) Sara nondum liberos pepererat, quorum partu et nutritione solet mulierum forma et robur imminui. 3) In Aegypto pleraeque mulieres subfuscae aut nigrae sunt; Sara autem, quae in terra ad radices montium Armeniae sita, nata erat, ubi facies hominum candida, et mulierum forma venusta esse solet, etiam aetate provectior, Aegyptiis mulieribus pulchrior facile videri potuit.

13. אִמְרִי־נָא אֲחֹתִי אָתְּ *Quare dicas, quaeso, te sororem meam esse.* Etsi uxorem periculo exponeret, tamen hoc arte aliqua caveri poterat, si aut causam fingeret, quare Sara non posset in cujusquam connubium venire, aut saltem nuptias differret, donec occasio esset Aegyptum relinquendi, praesertim quum ceremoniae Aegyptiis solemnes multum temporis requirerent. At si Abrahamus dixisset, se maritum ejus esse, Aegyptii eum quam primum per insidias interfecissent et Saram ad secundas nuptias coegissent. לְמַעַן יִיטַב־לִי בַעֲבוּרֵךְ *Ut bene sit mihi propter te,* quorum verborum sensus declaratur eo, quod subjicitur, וְחָיְתָה נַפְשִׁי בִּגְלָלֵךְ *et vivat anima mea propter te,* tua causa, hoc tibi debebo, quod vivam.

15. שָׂרֵי פַרְעֹה *Principes,* i. e. proceres, aulici *Pharaones.* Intelliguntur fortasse praefecti regionibus Cana-

anae vicinis, aut Nomarchae, qui peregrinos advenientes, praesertim eos, qui, ut Abrahamus, magnum agmen ducebant, observare jussi erant. *Pharao* non est nomen proprium; sed communis regum Aegyptiorum titulus, qui eis tribuebatur usque ad tempora Ezechielis, Ezech. XXXII, 2. Significat autem hoc nomen in lingua Aegyptiaca *regem*, ut Josephus dicit *Antiqq.* L. VIII. c. 2.: ὁ Φαραὼν κατ᾽ Αἰγυπτίους βασιλέα σημαίνει· et *P. E. Jablonsky* in *Opusculis* T. I. p. 375. edit. te Water, et in *Diss. IV.* §. 3. *de terra Gosen* ex lingua Coptica pluribus ostendit. ΟΥΡΟ est *rex* et praemisso Articulo ΠΙ-ΟΥΡΟ, unde ΦΟΥΡΟ. וַיְהַלְלוּ אֹתָהּ אֶל־פַּרְעֹה *Et laudarunt eam Pharaoni*, seu coram Pharaone, nam Particula אֶל et *coram* significat, ut Num. XIII, 30. Jud. XI, 36. וַתֻּקַּח הָאִשָּׁה בֵּית פַּרְעֹה *Capta est mulier domum Pharaonis*, i. e. capta et deducta est domum Pharaonis. Ante בֵּית subaudiendum לְ, quod Onkelos expressit.

16. וּלְאַבְרָם הֵיטִיב בַּעֲבוּרָהּ *Abrahamo vero benefecit propter eam* scil. Pharao. LXX. verterunt εὖ ἐχρήσαντο, quod sequendo Hieronymus retulit: *bene usi sunt.* Videntur הֵיטֵב, Infinitivum, legisse, quem pro Verbo finito in Plurali ceperunt. וַיְהִי־לוֹ צֹאן־וּבָקָר *Erantque ei oves et boves*, quibus ipsum rex donavit. Hae potissimae Nomadum opes; vid. infra XIII, 6. Job. I, 3. seqq. צֹאן *oves* et *capras* denotat, deinde omne pecus minutum nomine צֹאן comprehenditur, uti בָּקָר proprie *bovem* designat, deinde pro *armento majori* sumitur. Porro inter Abrahami opes hic et *camelorum* mentio fit, quod animal Orientalibus et praesertim Nomadibus utilissimum est. Natum enim est ad magna onera gestanda, et, quod in orbe meridionali propter inopiam aquae requiritur, ad sitim per plures dies tolerandam; *impletur*, inquit Plinius *Hist. Nat.* L. VIII. c. 18., *cum bibendi occasio est, et in praeteritum et in futurum.* Os et gingivae mira cartilagine inductae sunt, ne plantae deserti, quae omnes fere armatae sunt, quas cetera animantia abhorrent, no-

ceant spinis suis camelo, qui magnus earum heluo est. Dorso suo gestat homines, tentoria, vestes, vasa, cibum et potum, quibus rebus onustus per vastas et ingentes Asiae Africaeque solitudines iter facit, modico viatico per plures dies contentus. Hanc ob causam, et propter multas alias utilitates, quae ex camelis percipiuntur, omnes Orientis populi et olim et hodie magnos eorum greges alunt. Conf. *Aristotelis Hist. Animal.* L. IX. c. 50., ubi de Arabibus loquens, dicit, *ab eorum nonnullis tria millia camelorum possideri.* Hodienum Arabes ex iis divitias suas et possessiones aestimant, teste Leone Africano *Descriptionis Africae* Lib. IX. cap. 30. *Qui camelos possident Arabes heriliter vivunt ac libere, utpote cum iis in desertis degere possint, ad quae propter ariditatem nec reges nec principes pervenire valent.* Vid. et *das alte und neue Morgenland,* P. I. No. 111. p. 158. seqq. Ceterum quod hic medios inter *asinos et asinas* inseruntur *servi et ancillae,* עֲבָדִים וּשְׁפָחוֹת, offendit Hubigantium, qui sequendum esse ait textum Samaritanum, in quo meliori ordine ita legitur: עבדים ושפחות וחמרים ואתנות. Digna tamen sunt quae perpendantur, quae de hac re observat *Seb. Ravius* in *Exercitatt.* p. 174. „Fateor," inquit, „in verbis, uti in codice Hebraeo leguntur, ordinem non observari. Scio etiam, alibi, velut infra XXIV, 35., ordinem facultatum Abrahami paulo aliter constitui. Vel sic tamen nego, lectionem, quam hic prae se ferunt editiones nostrae, ideo reprobandam esse, et lectioni Samaritanae post ponendam. Quodsi enim Moses nos docere voluit, ut voluit revera, facultates istas Abrahamo non solum brevi temporis spatio obtigisse, sed et Pharaonem suae liberalitati nec ordinem constituisse, nec modum, et multis ac diversis beneficiis eum ita cumulasse, ut se invicem trudere viderentur, et ipse, quid priore quid posteriore loco poneret, haud nosset, quidni potuit maximo suo jure adhibere πολυσύνδετον, et vocabula ὁμοιοτέλευτα וַחֲמֹרִים וַעֲבָדִים וּשְׁפָחוֹת

וְאֲתֹנֹת inter se conjungere? Sed Hubigantius hunc locum vertit odiose, cum ait in hodiernis Hebraicis codicibus sic legi: *fuerunt illi asini et servi, ancillae et asinae,* quum nemo nesciat, hunc locum sic verti posse: *fuerunt illi oves bovesque et asini, et servi et ancillae, et asinae, et cameli,* quomodo Hebraea et intellexerunt qui Accentus adposuere."

17. וַיְנַגַּע יְהוָה אֶת־פַּרְעֹה נְגָעִים גְּדֹלִים *Sed percussit Jova Pharaonem plagis magnis*, i. e. graviter afflixit, aut morbis, aut mortibus aut alio infortunio.

18. Qua ratione Pharaoni innotuerit, se suamque familiam propter Saram haec mala passos esse, non declaratur. Quodvis vero infortunium inexspectatum a gentibus antiquis pro signo irae divinae propter peccatum aliquod commissum habebatur. Josephus *Antiqq.* L. I. c. 8. sacerdotes eum monuisse dicit: *ἐμποδίζοι δὲ ὁ Θεὸς τὴν ἄδικην αὐτοῦ ἐπιθυμίαν, νόσῳ δὲ καὶ στάσει τῶν πραγμάτων, καὶ πυθομένῳ περὶ ἀπαλλαχῆς. κατὰ μῆνιν Θεοῦ τὸ δεινὸν αὐτῷ παρεῖναι ἀπεσήμαινον οἱ ἱερεῖς ἐφ᾽ οἷς ἐνυβρίσαι τοῦ ξένου τὴν γυναῖκα. Impedit vero Deus injustam ejus libidinem morbo et rerum perturbatione; quaerenti autem, quomodo iis liberari possit, malum hoc ira divina ei accidisse significarunt sacerdotes, quia hospitis uxori contumeliam inferre voluerat.* Sacerdotes apud Aegyptios erant regi a consiliis et rerum latentium periti; vid. infra XLI, 8.

20. וַיְצַו עָלָיו פַּרְעֹה אֲנָשִׁים *Et praecepit de eo Pharao viris*, i. e. certis hominibus, quos ad eam rem destinavit. עָלָיו hic est idem, quod alias בַּעֲבוּרוֹ, *propter eum.* וַיְשַׁלְּחוּ אֹתוֹ *Dimiserunt eum*, uxorem ac domesticos ejus, h. e. ad fines regni eos comitati sunt, quasi homines a quorum consortio abstinendum esset, ne si qua illis injuria fieret, graves propterea poenas Deus immitteret.

4. Abrahamus ex Aegypto redux pristinas sedes repetit, et quum una cum Loto, prae copia pecoris, vivere amplius hic non posset, cum a se dimittit. Lotus in planitie Jordanis sedes figit. Abrahamus promissum de Cananaea a sobole sua possidenda accipit, eam peragrat et ad Mamren tendit. Cap. XIII.

Cap. XIII. 1. הַנֶּגְבָּה *Meridiem versus* scil. Cananaeae. Qui in illa regione degebant, *meridiem* vocabant australem partem tribus Judae et Idumaeam. LXX. *εἰς τὴν ἔρημον in desertum*, quod eodem recidit, nam desertum ad austrum Judaeae est.

2. וְאַבְרָם כָּבֵד מְאֹד *Abrahamus valde gravis*, i. e. valde dives rediit.

3. וַיֵּלֶךְ לְמַסָּעָיו *Et ivit per mansiones suas*, quod LXX. *καὶ ἐπορεύθη ὅθεν ἦλθεν* reddidere, et hinc Vulgatus: *reversus est per iter, quo venerat.* Videntur id in animo habuisse, quod hic dicit Jarchi, Abrahamum ex Aegypto revertentem iisdem usum esse diversoriis, quibus cum e Cananaea in Aegyptum proficiscebatur, usus est. Sane מַסָּעִים sunt certa et definita loca, in quibus subsistunt, qui iter faciunt, Graeci *σταθμοὺς* appellant, Arabes مَرَاحِل, quo nomine hic Arabs uterque utitur (vid. de eo J. M. Hartmanni Prolegomm. ad Edrisii Africam p. CXVI.). Eodem sensu nomen Hebraicum usurpatur Exod. XVII, et saepius in Numerorum libro de mansionibus Israelitarum in itinere per desertum, veluti X, 6. 12. מִנֶּגֶב *ab austro*, ab australi tractu terrae Cananaeae, ut Vs. 1. בַּתְּחִלָּה *Initio*, i. e. priusquam in Aegyptum demigraret. LXX. *οὗ ἦν σκηνὴ αὐτοῦ πρότερον.*

4. וַיִּקְרָא שָׁם אַבְרָם בְּשֵׁם יְהוָה *Et invocavit ibi Abramus nomen Jovae.* Iterum ibi sacra fecit, gratias Deo agens pro conservatione et felice reditu ex Aegypto. Cf. supra XII, 8.

5. וְאֹהָלִים *Et tentoria*, i. e. domestici multi et servi, qui in tentoriis degebant.

6. וְלֹא־נָשָׂא אֹתָם הָאָרֶץ *Non ferebat eos terra*, i. e. מִרְעֵה הָאָרֶץ *pascuum terrae illius*, uti exponit Jarchi, qui ait idem Verbum נָשָׂא in masculino poni, quum אֶרֶץ sit femininum. Usurpatur tamen nonnumquam ut masculinum; vid. Gesenii *ausführl. Lehrgeb.* p. 472. Non poterant, ut antea, una vivere; ob penuriam pascui ad tam numerosa greges.

7. וַיְהִי־רִיב בֵּין רֹעֵי מִקְנֵה־אַבְרָם וּבֵין רֹעֵי מִקְנֵה לוֹט *Aliquando exoriebantur rixae inter Abrahami et Loti pastores*, inde, ut credibile est, ortae, quod sibi quilibet ex aquis et pascuis optima vindicabat. וְהַכְּנַעֲנִי וְהַפְּרִזִּי אָז יֹשֵׁב בָּאָרֶץ *Cananaei vero et Pherizaei tum terram incolebant.* Cananaei quidem omnes sunt, qui ex Canaane originem ducebant, quorum undecim tribus recensentur supra X, 15-18., hic vero כְּנַעֲנִי certae alicujus illarum tribuum appellatio videtur, ut Exod. III, 8. 17. XXXIII, 2. XXXIV, 11. et alias. Ea antiquissimis illis temporibus regionem Sichemicam, in qua tunc Abrahamus et Lotus una versabantur, incoluerunt, ut ex hoc loco colligitur. Postea haec loca videntur deseruisse, ut sedes suas ad Mare Mediterraneum, Zidonem versus, transferrent, ubi potissimum Mosis tempore erant, uti liquet e Num. XIII, 29. *Pherizaeos* in montanis et sylvestribus Cananaeae sedes habuisse, constat e Jos. XI, 3. XVII, 15. „Hinc," inquit Bochartus *Phaleg.* L. IV. Cap. 36. p. 348., „agreste hominum genus Pherezaeos fuisse colligas, qui quum procul ab urbibus in solis pagis degerent, פְּרִזִּים dicti sunt non immerito. Hebraei quippe *pagos* פְּרָזוֹת, *paganos* פְּרָזִים vocant." Observat porro Moses, ubi de rixa pastorum Abrami et Loti loquitur, Cananaeos et Pherizaeos tunc temporis haec loca tenuisse, quia si una contendere perrexissent, summum erat periculum, ne se rixae miscentes regionis incolae utrumque spoliassent.

8. כִּי־אֲנָשִׁים אַחִים אֲנָחְנוּ *Quia nos homines fratres*, i. e. consanguinei, necessarii.

9. הֲלֹא כָל־הָאָרֶץ לְפָנֶיךָ *Nonne universa terra coram*

te? patet et exposita est tibi? Per me licet eligas, quam in partem iturus sis. אִם־הַשְּׂמֹאל *si ad sinistram*, scil. discesseris. וְאֵימִנָה *tum dextrabo*, ego ad dexteras ibo. *Dextra* et *sinistra* oppositas plagas, ut passim, hic sonant. Alii de sinistra et dextera coeli plaga, i. e. septentrione et meridie, intelligunt. Ita Onkelos et Jonathan; nam uterque locum sic interpretatur: *si ad aquilonem iveris, ego ad austrum ibo, et si tu ad austrum, ego ad aquilonem.*

10. וַיַּרְא אֶת־כָּל־כִּכַּר הַיַּרְדֵּן כִּי כֻלָּהּ מַשְׁקֶה *Et contemplatus est* (*Lotus*) *totum circa Jordanem tractum multis fontibus irrigatum.* Ex montanis nempe regionibus circa Sichem, in quibus Abrahamus degebat, cum Lotus ab eo discessit, in oppositos montes trans Jordanem eunti occurrebant primum Jerichuntini agri copiosissimo fonte madidi, tum Jordanes ipse, qui a lacu inde Genezareth usque ad mare inter duo mediocrium montium juga, in valle, circiter tria milliaria Germanica lata, labitur, ex quo sine dubio hic illic rivuli derivati erant, qui campos et agros circumjacentes irrigarent, ut in Oriente adhuc hodie solitum est. His fossis et canalibus rigare, dicitur הַשְׁקוֹת, unde nomen, quo Moses hic utitur, descendit, ita ut מַשְׁקֶה sit regio canalibus fossisque rigata. Sic et nonnulli veterum interpretum hunc locum intellexerunt. LXX. verterunt ποτιζομένη, *rigata.* Syrus et Onkelos בֵית שַׁקְיָא *locus irrigationis*, quod dicitur de scaturiginibus in supercilio sitis, unde subjecto agro aqua inducitur. Ceterum hanc vallem Josephus in L. V. *de Bello Jud.* c. 27. sic describit: Ἡ μέση δὲ τῶν δύο ὀρέων χώρα, τὸ μέγα πεδίον καλεῖται, ἀπὸ κώμης Γινναβρὶν διῆκον μέχρι τῆς Ἀσφαλτίτιδος λίμνης. ἔστι δὲ αὐτοῦ μῆκος μὲν σταδίων διακοσίων, εὖρος δὲ αὐτοῦ εἴκοσι καὶ ἑκατόν, και μέσον ὑπὸ τοῦ Ἰορδάνου τέμνεται. *Regio, quae media est inter duos montes, magnus campus vocatur a pago Ginnabrin porrecta usque ad Asphaltiten lacum. Est ejus longitudo mille ducentorum stadiorum, latitudo vero centum viginti. Jordane medius secatur.* כְּגַן־יְהוָה *Instar horti*

Dei, i. e. similis erat haec regio horto amoenissimo; omnia enim in suo genere excellentissima *divina* sive *Dei* nominantur. Vid. quae de hoc loquendi modo dixit Dathius ad *Glassii Philol. S.* p. 45. seqq. כְּאֶרֶץ מִצְרַיִם *Sicut Aegyptus*, quae simili modo fossis, machinis, canalibus ligneis irrigatur; quod ipse Moses Aegypto tanquam peculiare quiddam tribuit Deut. XI, 10. 11. בֹּאֲכָה צֹעַר *Usque venias ad Zoarem*, quae verba non cum כְּאֶרֶץ מִצְרַיִם, sed cum כִּכַּר הַיַּרְדֵּן jungenda sunt; Zoar enim non urbs Aegypti fuit, sed una ex quinque illis, Sodoma, Gomorrha, Adama, Zebojim et Zoar, quae in libro Sapient. X, 6. Πενταπολὶς vocantur. Similis verborum metathesis invenitur Jos. XXIV, 26.: *Scripsit Josua verba haec in libro legis Dei, et cepit lapidem magnum et statuit eum ibi sub quercu, qui est in sanctuario Jehovae*, quo in loco ultima verba *ad librum legis*, non ad proxime praecedentia referenda videntur. Ceterum in nomine Zoar prolepsis est; Abrahami enim temporibus hoc oppidum *Bela* vocatum est. Syrus pro בֹּאֲכָה צֹעַר posuit ܕܡܥܠܢܐ ܕܨܥܢ *quae in aditu Zoanis*, i. e. Taneos, urbis Aegypti, quasi pro צֹעַר interpres צֹעַן legerit (vid. Num. XIII, 22. Jes. XIX, 11. Ezech. XXX, 14.), quod non displicet Clerico, quod ad regionem summopere irriguam describendam nullum esset aptius exemplum inferiore Aegypto, et quidem *qua Tanim ex Cananaea ibatur*, fuit enim non modo Nili alveis varie secta, verum et stagnis et paludibus plena. Sed nulla necessitas est, ut unius Syri interpretis auctoritate quod omnes codices Hebraei et reliqui omnes veteres interpretes exhibent, צֹעַר, mutemus, nam eo extremus ad austrum terminus convallis illius, quam nunc mare mortuum occupat, indicatur.

11. וַיִּבְחַר־לוֹ לוֹט אֵת כָּל־כִּכַּר הַיַּרְדֵּן *Elegitque sibi Lotus omnem planitiem Jordanis*, i. e. totum illum tractum, qui circa inferiorem Jordanis tractum fuit ut in eo pecudes pascens hac illac vagaretur. וַיִּסַּע לוֹט מִקֶּדֶם *Et*

profectus est Lotus orientem versus, ita enim מִקֶּדֶם hic vertendum esse, neque *ab oriente*, ut alias, res ipsa docet, quum Jordanes, ad quem concessit Lotus, sit ad Orientem eorum locorum, in quibus cum Abrahamo versatus fuerit. Videtur phrasis elliptica esse pro וַיִּסַּע לוֹט לָשֶׁבֶת מִקֶּדֶם *profectus est Lotus ad habitandum*, s. *ut habitaret, ab oriente*, i. e. in plaga orientali. Cf. supra II, 8. Similiter Jos. XV, 1. נֶגְבָּה מִקְצֵה תֵימָן *austrum versus, ab* s. in *extremitate australi.*

12. אַבְרָם יָשַׁב בְּאֶרֶץ־כְּנָעַן *Abrahamus Cananaeam inhabitavit;* Cananaeam videlicet stricte sic dictam, seu familiae illius Cananaeorum, quae sic κατ' ἐξοχὴν vocabatur, et illum tractum tenuisse videtur, qui mare mediterraneum inter et Jordanem jacet. Alioquin Cananaeorum regionem non minus Lotus incoluit quam Abramus. וַיֶּאֱהַל עַד־סְדֹם *Et tentoria fixit usque ad Sodomam*, i. e. dum per campos circa Jordanem huc illuc migraret, ad Sodomae usque moenia tentoria fixit et pecus egit; quin et in ipsa urbe eum degisse liquet ex Cap. XIX. Recte Salomon Ben Melech וַיֶּאֱהַל exponit היה נוטה אהלו ממקום למקום *tetendit tentorium suum e loco in locum*, Nomadum more. Cf. Saadiae interpretationem infra Vs. 18. וְאַנְשֵׁי סְדֹם רָעִים וְחַטָּאִים לַיהוָה מְאֹד *Sodomitae autem mali et peccatores Jovae erant valde.* לַיהוָה LXX. recte ἐναντίον τοῦ θεοῦ verterunt, est enim idem quod לִפְנֵי יְהוָה *in conspectu Jovae*, quod additur ad exaggerandam Sodomitarum impietatem, q. d. omnem Dei timorem penitus excusserant. Jarchi: „Noverant Dominum suum, sed de industria in eum rebellarunt.“ רָעִים et חַטָּאִים Onkelos ita exponit: בִּישִׁין בְּמָמוֹנְהוֹן וְחַיָּבִין בְּגְוִיַּתְהוֹן *mali divitiis suis, et peccatores corporibus suis*, i. e. etiamsi abundarent divitiis, pauperes tamen non sublevasse, sed fastuosos fuisse et crapulae luxuique deditos, deinde corpora etiam sua impuro coitu contaminasse. Quod sequutus Aben-Esra רָעִים de eorum inhumanitate interpretatur, atque ait, Ezechielem hoc exposuisse, dum

XVI, 49. dicit, Sodomitas in rerum omnium deliciosarum ubertate non subvenisse inopiae pauperum.

15. Verba לְךָ אֶתְּנֶנָּה וּלְזַרְעֲךָ sunt qui sic vertant: *tibi, id est, posteris tuis dabo* (omnem hanc, quam vides, terram), nam Abramus ipse Cananaeam non possedit, coll. Act. VII, 5. *οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ κληρονομίαν ἐν αὐτῇ, οὐδὲ βῆμα ποδός.* Ita Noldius, qui in *Concordant. Particular.* p. 290. ed. Tymp. loca complura attulit, quibus ו *ἐξηγητικῶς* usurpatur. Sed recte Clericus: „Quamvis Deus hos agros Abrami demum posteris, post aliquot secula, possidendos dederit; attamen iis, sensu dilutiore, Abramum donasse etiam censeri potest, quum in iis per plurimos annos pacate vixerit, consenuerit, et obierit; quin et in agro a se emto Saram, uxorem sepelierit, et ipse tandem sepultus fuerit. Hinc Josephus infra XL, 15. terram, in qua vixerat proavus, et post eum avus et pater, *terram Hebraeorum* vocat.

18. וַיֶּאֱהַל אַבְרָם וַיָּבֹא וַיֵּשֶׁב בְּאֵלֹנֵי מַמְרֵא *Et tetendit Abramus tabernacula venitque et habitavit in quercetis Mamres;* quae Saadias sic reddidit: فَتَخَيَّمَ أَبْرَامُ مَرْحَلَةً مَرْحَلَةً إِلَى أَنْ جَآءَ وَأَقَامَ فِى أَرْضِ مَمْرِى *fixitque Abramus tentoria variis in diversoriis usque dum veniret et commoraretur in terra Mamres.* Quod אֵלֹנֵי *terram* vertit, in eo haud longe discedit ab Onkeloso et Hieronymo, quorum ille מֵישַׁר *planities*, hic *convallis* reddit; cf. not. ad XII, 6. מַמְרֵא fuisse nomen viri Emoraei, patet ex iis, quae infra XIV. 13. leguntur. *Terebinthum Moreh*; supra XII, 6. memoratam, nonnulli haud diversam putarunt a *terebinthis Mamres*, quarum hic mentio; sed perperam. Nam אֵלוֹן מוֹרֶה eo in loco quo postea Sichem urbs est condita, fuisse dicitur, אֵלֹנֵי מַמְרֵא autem haud procul ab Hebrone extitisse, hoc loco diserte traditur. Urbes Sichem et Hebron vero plurium dierum itinera invicem distare constat. אֲשֶׁר בְּחֶבְרוֹן *Quae in He-*

brone sunt, i. e. ad Hebronem, in Hebronensi agro; neque enim in urbe ipsa fuisse videtur arboretum, ad quod Abrahamus tenderit. „Ceterum non modo hic est πρόληψις, quales observavimus ad Cap. XII, 8., et ad hujus Capitis Vs. 10., sed quae a Mosis manu esse nequit. Non temporibus tantum Abrami, sed ipsius Mosis et Josuae, haec urbs vocabatur *Arba*, aut *Kirjath-arba*, vid. infra XXIII, 2. XXXV, 4. Jud. I, 10. Cum vero Caleb eam urbem expugnasset, mutatum id nomen in *Hebronem* est, quemadmodum vocabatur Calebi nepos, vid. Jos. XV, 13. 14., et 1 Paral. II, 42. 43. Itaque credibile est, aliquem, qui post Mosen vixit, quicunque tandem fuerit, addidisse voces אֲשֶׁר בְּחֶבְרוֹן, ut a posteris melius arboreti Mamres situs intelligeretur." *Cleric.* Alii tamen putant, חֶבְרוֹן antiquissimum urbis nomen fuisse, quod illa jam Abrahami aetate habuerit, postea autem, dum in Aegypto degerent Jacobi posteri, in *Kirjath-Arba* mutatum fuerit; postquam vero expugnata urbs a Josua fuisset, inditum iterum esse illi priscum Hebronis nomen, quemadmodum urbs Hierosolymitana, postquam per aliquod tempus *Aelia Capitolina* vocata esset, priscum nomen serioribus temporibus recuperavit. Quam sententiam, collato potissimum loco Jos. XV, 13., post Lilienthalium, Jahnium, et Fritzschium, nuper pluribus defendit *J. A. Kanne* in *den bibl. Untersuchungen und Auslegg.* P. I. p. 104. seqq.

5. *Bello oborto inter regem Elymaidis et quinque Cananaeorum principes, diripitur Sodoma, et Lotus captivus abducitur. Abramus, hoc audito, servos armat, victoresque aggressus omni praeda exuit, et Lotum liberat. Melchisedecum sibi bene precatum decima praedae donat, cetera Sodomae regi restituit.*

Cap. XIV.

Cap. XIV. 1. Hunc Versum Hieronymus ita vertit: *Factum est autem in illo tempore, ut Amraphel, rex*

Senaar, et Arjoch rex Ponti .... inirent bellum et quae sequuntur. Quae quidem interpretatio recte se haberet, si verba Hebraea haec forent: וַיְהִי בִּימֵי הָאֵלֶּה אַמְרָפֶל וגו׳ Recte vero LXX.: Ἐγένετο δὲ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῇ Ἀμαρφὰλ βασιλέως Σενναὰρ, Ἀριὼχ βασιλεὺς Ἐλλασὰρ .... ἐποίησαν πόλεμον κ. τ. λ. Nam Amraphelis mentio inservit hic designationi temporis, quo haec gesta sunt. Foederatorum regum praecipuum Cedorlaomerum fuisse, cui reliqui auxilium tulerunt, colligere est e Versu quarto. Pro מֶלֶךְ-שִׁנְעָר Onkelos posuit מַלְכָּא דְבָבֶל *rex Babelis;* nam שִׁנְעָר tractum circa Babelem nuncupatum fuisse, vidimus supra ad X, 10. Arabs Erpenii: ملك البغداد *rex Bagdadi.* Est autem Bagdad urbs primaria ejus provinciae, quae Arabibus عراق بابلي *Irak Babylonicum*, veterem Chaldaeam et Babyloniam complectens. Nomen, quod sequitur, regis Ellasaris, אַרְיוֹךְ, Chaldaeis nec serioribus temporibus inusitatum fuisse, patet inde, quod praefectus militiae Nebucadnezaris, regis, Dan. II, 14. memoratus, idem nomen gessit. אֶלָּסָר Symmachus et Hieronymus *Pontum* interpretantur; quod Bochartus *Geogr. S.* L. I. Cap. 5. se non capere fatetur, quum ea regio, quae Graecis et Romanis Pontus dici solet, a Babylonia et Elymaide longius dissita sit, quam ut reges hic memorati inde auxilia petiisse credibile sit. Bochartus quidem Pontum conjiciebat pro *Botticâ* positum, quod unum esse e Chaldaeae seu Babyloniae nominibus, in Etymologico magno traditur. Sed unius tantum literae T similitudine haec conjectura nititur. J. D. Michaelis in *Spicil.* P. I. p. 234. cogitavit et de *Punda*, urbe Babyloniae a Ptolemaeo memorata, et de Euphrate Tigrideque magnam Babyloniae partem Augusto mense maris in modum inundantibus, unde Ponti regio dici potuerit. Sane Babyloniae confinem tractum aliquem nomen Ponti tenuisse, suadet et hoc, quod Jonathan hoc ipso loco et supra XI, 2. pro שִׁנְעָר posuit אַרְעָא דְפוֹנְטוֹס. Sed pro אֶלָּסָר habet תְּלַסָּר, quod nomen est provinciae aut

loci haud procul remoti, quod exstat Jesaj. XXXVI, 12., et 2 Reg. XIX, 12. חֶלְאשָׂר scribitur. Falso Michaelis in *Supplemm.* p. 92. Arabem, i. e. Saadiam, אֶלָּסָר expressisse per خوزستان (scribendum خوزستان) ait, quae est regio Persiae ad orientem Tigridis in sinum Persiae influentis, quum illud nomen in Saadiae versione potius Hebraico עֵילָם, quod sequitur, respondeat; sed pro אֶלָּסָר posuit سريان, quod haud diversum videtur a *Seriane*, urbe Chalcidenes, regionis Syriae, in Antonii Itinerario memorata (vid. Cellarii *Notit. Orb. ant.* T. II. p. 364.), nec a *Seria*, seu *Siria*, cujus urbis ruinas in deserto Syriae Haleba Bagdadam iter faciens vidit Della-Valle, vid. ejus *Itinerar.* T. I. p. 185. vers. teut. עֵילָם esse *Elymaidem*, vix dubium; vid. ad X, 22. „Hinc liquet, Elymaeorum reges tunc temporis Asiae potentissimos fuisse, quum ex regno trans Tigrim sito in Cananaeam usque venissent, regesque ejus vectigales fecissent. Alioqui, si Babyloniae, aut Sinearis reges tum rerum potiti essent, his potius, ut vicinioribus, vectigalia pependissent Cananaei, neque socii aliorum, ut hi in ordinem cogerentur, ivissent, sed vectigales ipsi suos, adjuvantibus forte aliis, domuissent." *Cleric.* Minus certa sunt, quae his, quae hic legimus, adstruit *Hyde Hist. relig. vet. Persar.* C. 2. p. 45. edit. Oxon. 1760. Qui hoc Versu ultimo loco commemoratur, Tidhal, vocatur מֶלֶךְ גּוֹיִם *rex gentium.* Jarchi ait locum fuisse dictum *Gojim*, propterea quod ex pluribus nationibus homines ibi congregati fuerint. Aben-Esra putat accipi posse vel pro provincia sic dicta, vel appellative pro gentibus, quorum nomina non sunt expressa. Symmachus vertit βασιλεὺς Σκυθῶν, quod placet *Fullero Miscell. SS.* Lib. II. Cap. 4., quod Scythia incoleretur a variis gentibus, unde forsan *Sacae* a Persis Scythae dicti fuerint, ἀπὸ τοῦ סַךְ aut סַכְסָךְ *multitudo miscellanea.* Magis tamen arridet, Galilaeae regem, ut Jos. XII, 23. intelligere, qui in officio manserit, atque ex

foedere Cedorlaomero auxilium tulerit. Galilaeam enim constat גְּלִיל הַגּוֹיִם vocari, vid. Jes. VIII, 23. Matth. IV, 15. (Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν), quia multae et variae gentes in ea habitabant. Strabo Lib. XVI. §. 34. p. 760.: ταῦτα προσάρκτικα τὰ πολλὰ δὲ ὡς ἕκαστα εἰσιν ἀπὸ φυλῶν οἰκούμενα μικτῶν, ἔκ τε Αἰγυπτίων ἐθνῶν καὶ Ἀραβίων καὶ Φοινίκων, τοιοῦτοι γάρ οἱ τὴν Γαλιλαίαν ἔχοντες. *Haec septentrionalia* (Judaeae) *pleraque et singula mistis gentibus habitantur, ex Aegyptiis, Arabibus, Phoenicibus; nam tales sunt, qui Galilaeam tenent.* 1 Maccab. V, 15. Galilaea vocatur Γαλιλαία Ἀλλοφύλων.

2. Haec quinque oppida eo in loco jacebant, ubi nunc *mare mortuum* est. הִיא־צֹעַר *Haec est Zoar*, i. e. quae nunc Zoar dicitur. Haec formula saepius occurrit ubi veteri nomini novum additur; vid. mox Vs. 3.

3. כָּל־אֵלֶּה חָבְרוּ אֶל־עֵמֶק הַשִּׂדִּים *Omnes illi jungebant se ad vallem Siddim*, i. e. foedere juncti copias ad vallem Siddim coëgerunt. עֵמֶק שִׂדִּים LXX. τὴν φάραγγα τὴν ἁλυκὴν, *vallem salsam*, reddiderunt, ex re ipsa conjecturâ ductâ potius quam ex vocis שִׂדִּים significatione. Onkelos מֵישַׁר חַקְלַיָּא *planities agrorum* vertit, unde Jarchi vallem illo nomine appellatam ait, שהיו בו שדות הרבה *quod in illa essent multi agri*, seu multa arva; quasi שִׂדִּים sit Pluralis nominis שָׂדֶה; qui vero שָׂדִים esse deberet. Attamen ad שָׂדֶה retulit שִׂדִּים et Aquila, qui τῶν περιπεδίνων, et Hieronymus, qui *vallem sylvestrem* vertit, quemadmodum חַיַּת הַשָּׂדֶה *feras sylvestres* interpretari solet. Aben-Esrae שִׂדִּים est Pluralis τοῦ שִׂיד *calx* (ut a צִיץ est צִצִּים 1 Reg. VI, 18.). A calce vero valli nomen inditum putat, quod bitumen, cujus magna in illa erat copia (cf. infra Vs. 10.), pro calce esset in usu, vid. supra XI, 3. Quod longius est petitum. Aliis a שָׂדַד *occavit* שִׂדִּים sunt *agri aratro proscissi et complanati. Jo. Simonis* in *Onomast. V. T.* p. 217. nomen interpretatur *rectitudines* (collato Arabico سَدّ, in Conjug. X.

rectus fuit), ut *vallem rectitudinum*, i. e. planam planitiem proprie significet, ut infra Vs. 17. עֵמֶק שָׁוֵה. Jonathan פַּרְדֵּיסַיָּא *hortos* reddidit, ex XIII, 10. Additur hoc loco: הוּא יָם הַמֶּלַח *Hoc est mare salis*, salsum, a summa aquarum ejus salsedine ita dictum; cf. ad XIX, 25.

4. עָבְדוּ אֶת־כְּדָרְלָעֹמֶר *Servierunt Kedor-Laomero*, i. e. vectigalia ei solverunt, ut 2 Reg. XVIII, 7. Quae sequuntur, וּשְׁלֹשׁ־עֶשְׂרֵה שָׁנָה מָרָדוּ non sunt ita vertenda: *et tredecim annos rebellarunt*, sed, uti recte verterunt LXX. τῷ δὲ τρισκαιδεκάτῳ ἔτει, et Jonathan: בְּתְלֵיסְרֵי שְׁנִין *in decimo tertio anno*. Alias dicere solent Hebraei: בִּשְׁנַת שְׁלֹשׁ־עֶשְׂרֵה. Est tamen ubi aliter loquuntur, ut mox Vs. 5. בְּאַרְבַּע עֶשְׂרֵה שָׁנָה *anno decimo quarto*. Nostrae phrasi similis est Exod. XX, 11. שֵׁשֶׁת־יָמִים *sex diebus fecit Jova coelum et terram*, omissa ante שֵׁשֶׁת praefixa ב. מָרָדוּ *Rebellarunt*, i. e. defecerunt in vectigali solvendo.

5. אֲשֶׁר אִתּוֹ *Qui cum eo*, scil. foederati erant. רְפָאִים LXX. reddiderunt γίγαντας, quales et גִּבָּרַיָּא denotat, qua voce Onkelos hic est usus. Sane nomen hebraeum, quod *mortuos*, seu potius *manes* notat, e. c. Jesaj. XXVI, 14. 19., inditum constat gentium Cananaearum alicui, hominibus magnae staturae haud dubie insigni, ut colligere est ex Deut. II, 11. Manes enim, uti observat *Hillerus* in Commentat. *de antiquissima Gigantum gente eorumque sedibus*, in *Syntagm. hermen.* p. 205., vitâ praedita corpora longitudine multum superant, unde et in fabulis manes ingentibus gaudent simulacris. Virgilius *Aeneid.* II, 772.

Infelix simulacrum, atque ipsius umbra Creusae,
Visa mihi ante oculos, et nota major imago.

Seneca in Thyeste:

Saepe simulacris domus attonita magnis.

Et in Oedipo:

Simulacra virûm majora viris.

Rephaeos inter eos populos fuisse, quorum fines Israeli-

tis daturus erat Deus, patet ex iis, quae infra XV, 20. leguntur. Eos sedisse Moses dicit hoc loco in עַשְׁתְּרֹת קַרְנַיִם, quae urbs erat Basanitidis, quae tribui Manassae cessit, vid. Jos. XIII, 31. Et Deut. III, 13. dicitur, totum tractum Argobi per totum Basanem vocatum fuisse *terram Rephaeorum.* Quadringentis post Abrahamum annis regem habuit Ogum, corpore immanem, vid. laudat. Deut. loc. Vs. 11. Nomen urbis alii arcessunt ab Astarte, seu Venere, quam ibi cultam antiquitus putant, alii a divitiis. Iudaei vero a *cornibus* cognominatam ajunt, quod sita fuerit inter duos altissimos montes, quorum extrema cacumina referebant cornua. Hillerus a *pecore* nomen duxisse urbem autumat (cf. עַשְׁתְּרוֹת צֹאן *foetus gregis,* Deut. VII, 13.), et quod a *cornibus* denominatur, id denotare ovium greges cornutos fuisse, quales et heroum temporibus in Libya fuisse Homerus est auctor. Qui hic secundo loco memorantur, זוּזִים, nusquam alias in V. T. reperiuntur. *Bachiene* in *Beschreibung von Palästina,* T. I. Vol. II. §. 255. putat *Zuzaeos* ad orientem maris mortui, in ea regione, quam deinde Moabitae et Ammonitae incolebant habitasse. Veteres videntur et eos pro gigantum gente habuisse. Nam LXX. vertunt ἔθνη ἰσχυρὰ, Onkelos et Samaritanus תַקִּיפַיָּא, Syrus ܥܫܝܢ̈ܐ *fortes.* Consentit Hillerus l. c. Clericus a זוז *movere* (ut Arabum زَازَ) dictam existimat vagam gentem, quae per Arabicas solitudines huc illuc latrociniis grassaretur. Michaelis in *Supplemm.* p. 598. conjicit זוּזִים, collato Arabico زُونَّزَةٌ, *breves et crassos homines* notare ita ut, punctis בְּהָם mutatis in בָּהֵם, sensus hujus Versus hic esset: *profligarunt Gigantes in Astheroth Karnaim, et brevioris,* i. e. mediocris *staturae homines, qui inter illos erant.* Ita et LXX. legisse videntur, qui בהם ἅμα αὐτοῖς reddiderunt, quos sequitur Hieronymus. Sed Onkelos, qui בְּהֵמְתָא vertit, recte pro nomine pro-

prio habuit, uti Saadias, qui ٱلدَّهَاقِين ٱلَّذِين فِي هَام *pagorum praefectos, qui in Hama* reddidit دِهْقَان enim, cujus Pluralis fractus دَهَاقِين, vox est origine Persica, e دِه, *pagus* et خَان *princeps* composita. Pro בהם olim in nonnullis codicibus Hebraicis, uti etiamnum in septem Samaritanis a Kennicotto indicatis, בחם (per Cheth) exstitisse, ex hisce Hieronymi verbis in *Quaestt.* ad h. l. patet: „*Baem*, pro quo dixerunt ἅμα αὐτοῖς, hoc est, *cum eis*, putaverunt scribi per He, ducti elementi similitudine, quum per Heth scriptum sit. *Baem* enim quum per tres litteras scribitur, si mediam He habet, interpretatur *in eis;* si autem Heth, ut in praesenti, locum significat, id est, *in Hom.*" In versione tamen sua ipse Hieronymus *cum eis* posuit. Ceterum הָם, Zuzaeorum sedem, in Ammonitarum solo fuisse, Hillerus p. 210. inde patere observat, quod Susaei Moabitas inter et Amoraeos, Gileaditidis, vel Basanis, incolas, recensentur. „Reges enim Orientis irruptione ex Syria ad septentrionem in Astharothas, i. e. in Basanitidem facta, per Zuzaeos in Ham ad eos venisse constat, quos Emaeos vocitant Moabitae, Deut. II, 11., unde manifestum fit, Cedorlaomerum cum regibus confoederatis a septentrionibus in austrum pergentem regna primum ad orientale Jordanis latus vexasse. Itaque a Basanitide penetraturi in loca, quae possederant Emim necesse habuerunt per eum venire tractum, qui medius inter Basanem et Moabitas fuit. Is autem erat Ammonitarum regio, una et sola inter Basanem et Moabitidem interjecta. In hac igitur et Ham quaerenda, antiqua Zuzaeorum habitatio. Ea, quantum quidem conjectare nobis ex nomine licuit, est famosa Ammonitarum, Rabba, quam inferior aetas Philadelphiam appellavit, 2 Sam. XI, 1. 1 Paral. XX, 1. Certe eadem utriusque nominis est sententia: Rabba quippe, si interpreteris, est *multa* scil. populo, quemadmodum in Threnis I, 1. Hierosolymorum civitas dicta רַבָּתִי־עָם *populosa.*

Alterum vero, priscum urbis nomen, הָם, idem, quod collectanea vox הָמוֹן, id est, *multitudinem*, sonat." Qui tertio loco nominantur, אֵימִים *Emaeos*, dicit ipse Moses Deut. II, 10. in Moabitarum regione, antequam eam Loti posteri occupassent habitasse, et Gigantes fuisse. Quod et nomen eorum indicat. אֵימִים enim *terribiles* sonat, unde אֵימְתָנֵי, voce notionis ejusdem, appellat eos Onkelos, et Saadias المهيبين *timendos* (nam quod in Bibliis Polyglottis exstat المهيبين, et interpres *Mahenos* reddidit, non dubitamus mendum esse). Emaei sedes habuere in שָׁוֵה קִרְיָתָיִם, quod verti potest: in *planitie* urbis *Kirjathaim;* nam שָׁוֵה Chaldaeis *aequum* esse, et سَوَاءٌ Arabibus est *aequale, rectum.* Saadias: في مستوي قراوا, *in planitie Coravqe.* Hillero ante קִרְיָתָיִם omissum esse וְ, *id est* vertendum, arbitratur, ut שָׁוֵה sit priscum urbis Kirjathaim nomen. „Ut autem," ait p. 214., „Kirjathaim cum ellipsi Vau acciperetur, euphonia suasit, quae aegerrime patitur, labialem ejusdem organi elementis postponi. Si enim hoc contigerit, ablata litera a perito linguae facile subaudiatur. Sic Vau intelligitur post se ipsum 2 Reg. XVII, 24. in מֵעַוָּא מֵחֲמָת *ex Avva et ex Hamath*, Joel IV, 1. יִגְּשׁוּ יַעֲלוּ *appropinquent* et *ascendant*," rel. Quum autem tres civitates Kirjathaim dictae in V. T. commemorentur, prima, Sihonis, regis Emoraeorum, Rubenitis per sortem data, Num. XXXII, 33., in montanis posita, Jos. XIII, 17. 19; secunda, in Moabitide sita, Jerem. XLVIII, 1. 20. 21. Ezech. XXV, 9.; tertia, in sorte tribus Naphtali, 1 Chron. VI, 61.; cujus hic mentio facta, videtur esse Moabitica, illa scilicet, quam ante Israelitarum egressum, Emaeis veteribus colonis ejectis, sibi belli jure vindicaverunt Moabitae.

6. וְאֶת־הַחֹרִי בְּהַרְרָם שֵׂעִיר *Et Choraeos in montibus eorum*, videlicet *Seir. Choraei* sunt Troglodytae (nam

חוֹר est *foramen*, τρώγλη), qui in montibus nunc desertis, quos olim Idumaei coluerunt, ante eos habitabant. Hoc nomine הֹרִים, quod proprie omnes speluncarum incolas denotat, illi Seiris Troglodytae praecipue vocati esse videntur. Pro בְּהַרְרָם in textu Samaritano legitur בהררי, quod et LXX. exprimunt (ἐν τοῖς ὄρεσι Σηΐρ), et reliqui veteres omnes, praeter Graecum Venetum, qui suo ἐν τῷ σφῶν ὄρει idem, quod hodie in codicibus hebraicis omnibus exstat, expressit. Choraei et Deut. II, 12. montana Seir tenuisse olim, sed ab Edomitis inde pulsi dicuntur. Seir vero recentius nomen videtur illis montanis tum demum, postquam Edomitae illa occupassent, inditum. Nam שֵׂעִיר idem quod עֵשָׂו id est, *hirsutum* denotat; quod erat nomen auctoris gentis Edomitarum. עַד אֵיל פָּארָן Onkelos, Hieronymus et Saadias *usque ad planitiem* s. *campestria Pharan* reddunt. Sed LXX. ἕως τῆς τερεβίνθου τῆς Φαράν, quibuscum Syrus consentit. אֵיל significatu haud differre ab אֵלוֹן (vid. supra ad XII, 6.) et אֵלָה sumunt et recentiores plerique interpretes. Recte Jarchi observare videtur, אֵיל esse non appellative vertendum, sed tanquam nomen proprium retinendum, ut אָבֵל in nomine loci אָבֵל הַשִּׁטִּים Num. XXXIII, 17., et בַּעַל in בַּעַל גָּד Jos. XI, 17. פָּארָן pars est desertae Arabiae ad Idumaeae montes usque porrectae, in qua Ptolemaeus *Pharanitas* collocat. Adhuc Hieronymi temporibus urbs in ea regione extitit, quae *Pharan* dicebatur; sic enim ille in *Locis Hebraicis: Pharan nunc oppidum trans Arabiam junctum Saracenis, qui in solitudine vagi errant.* Mansit huic valli nomen illud usque hodie, teste Niebuhrio (*Reisebeschreibung*, P. I. p. 240.), qui eam describit et propter dactylorum sive palmarum ubertatem laudat. Abest haec vallis ab urbe *Sues* 24½ milliaria. אֲשֶׁר עַל־הַמִּדְבָּר Onkelos reddidit דִּסְמִיךְ עַל מַדְבְּרָא *quae contigna deserto*, scilicet Arabiae, in quo Israelitae Aegypto egressi habitarunt.

7. וַיָּשֻׁבוּ *Et redierunt.* „Videntur, inquit Clericus, „infesto exercitu a septem trionibus in austrum progressi,

initio facto a Basanitide, unde trans Jordanem iter facientes, cum in Idumaeam pervenissent ad septentrionem, per ortum circumacto agmine, redire, ut ex sequentibus constat." עֵין מִשְׁפָּט proprie *fons judicii;* sic dici putant plures hunc locum a severo illo judicio, quod contra Mosen et Aaronem pronunciavit Deus, Num. XX, 12. Tum foret hic πρόληψις, ut supra XII, 8. XIII, 10. Verum עֵין־מִשְׁפָּט fuisse vetus loci nomen, ei ob causam aliquam nobis ignotam olim inditum, inde patet, quod novum, tum, cum haec literis mandatu sunt, magis notum nomen Cadesch (הִיא קָדֵשׁ) subjungitur, uti supra Vs. 2. antiquo nomini Bela additur Zoar. Pro קָדֵשׁ Onkelos et hic, et infra XVI, 14., nec non Num. XIII, 26. XXXIII. 36. posuit רְקַם; Josepho (*Antiqq.* L.IV. Cap. 7. §. 1.) Ἀρεκέμ, quam refert esse Petram, Arabiae Petreae, Palaestinae australi confinis, metropolin. Vid. *Relandi Palaestin.* p. 931. *A. Schultensii* Indic. Geographic. ad *Vitam Saladini* s. v. *Errakim*, et *Büschingii Erdbeschreib.* P. V. p. 508. Ut reges confoederati Seirem montem ex Moabitide peterent, oportuit eos haud procul ab hoc loco transire, quum fuerint ad ortum Idumaeae, ad austrum Maris Mortui. Vid. Num. XIII, 26. XXXIII, 36. 37. Deut. I, 2. וַיַּכּוּ אֶת־כָּל־שְׂדֵה הָעֲמָלֵקִי *Profligaruntque totum agrum Amalekitarum*, i. e. incolas illius regionis, quam postea occupaverunt Amalekitae, inter Aegyptum et terram Canaan. Amalek enim, a cujus posteris regio illa inhabitata, et unde denominata fuit, longo post tempore natus est, ut infra XXXVI, 12. narratur. Alii interpretes putant, qui hic memorantur Amalekitae non esse Esaui posteros, sed potius Cananaeos in Arabia viventes, quibuscum Israelitae grave bellum gesserunt, vid. Exod. XVII, 8. 1 Sam. XV, 2. וְגַם אֶת־הָאֱמֹרִי *Et Amoritas quoque.* De iis vid. supra Cap. X, 16. הַיֹּשֵׁב בְּחַצְצֹן־תָּמָר *Qui Chazazon Thamar incolebant.* Hic locus recentiori nomine עֵין גֶּדִי *Engedi* dictus est, ut patet ex 2 Par. XX, 2., quod *fontem capri* notat. Nomen compositum חַצְצֹן־תָּמָר Bochartus in *Hie-*

roz. P. I. L. II. Cap. 52. p. 720. edit. Lips. conjicit *tuguria in palmeto* significare, partem priorem nominis alludere ratus ad Arabicum خُصَاص, quod *casas ex arundine factas* designat; posteriore autem *palmam* significari constat. Sed alio loco ejusdem illius Operis (P. II. L. VI. Cap. 5. p. 813.) nomen prius conferens cum Arabico خُضَاخِض, quod *locum arboribus et aquâ abundantem* sonat, חַצְצֹן־תָּמָר interpretatur locum irriguum palmis frequentem. Simonis in *Onomast.* p. 103. exponit *copiosam succisionem palmae*, quia locus palmarum caeduis sylvis abundabat. Proinde Josephus *Antiqq.* Lib. IX. c. 1. §. 2. *Καὶ στρατοπεδεύονται πρὸς Ἐγγαδδὶ πόλιν, κειμένην πρὸς τῇ Ἀσφαλτίτιδι λίμνῃ, τριακοσίους ἀπέχουσαν σταδίους τῶν Ἱεροσολύμων. γεννᾶται δὲ ἐν αὐτῇ φοῖνιξ ὁ κάλλιστος, καὶ ὀποβάλσαμον. Et castra metantur ad Engaddi urbem, juxta lacum Asphaltitida sitam, stadiis trecentis ab Hierosolymis distantem. In ea vero palmae nascuntur optimae et opobalsamum.* Et Hieronymus in *Locis Hebraicis: Engaddi in tribu Juda. — Vocatur usque hodie vicus praegrandis Judaeorum Engaddi, juxta mare mortuum, unde opobalsamum venit.* Plinius *Hist. Nat.* L. V. c. 17. dicit *Engaddam esse oppidum secundum ab Hierosolymis, fertilitate palmetorumque nemoribus.*

8. וַיֵּצֵא *Exiit rex etc.* copiam scilicet pugnae facturus, ut saepe יָצָא sumitur, ut 2 Sam. XI, 1. *Vertente anno, quo tempore egrediuntur reges*, h. e. ut Vulgatus habet: *quo solent reges ad bella procedere.* בֶּלַע הִוא־צֹעַר *Bela, id est, Zoar*, ut supra Vs. 2. „Quales repetitiones in re simili haud semel in hoc libro occurrunt. Sic Mamren aut Arbam ter monemur esse Hebronem, XIII, 18. XXIV, 2. XXXV, 27., quod non esse monitionem hanc, aliasque similes, a manu Mosis, sed ad marginem appositas in textum irrupisse, suspicionem injicere queat.“ Cleric.

10. עֵמֶק הַשִּׂדִּים בֶּאֱרֹת בֶּאֱרֹת חֵמָר *Vallis Siddim putei putei bituminis*, h. e. repleta erat puteis bituminis. Nam repetitio ejusdem vocis multitudinem designat, conf. Exod. VIII, 14. *et colligebat ranas acervos acervos*, i. e. acervatim, per *multos acervos.* Vid. et Jud. V, 12. 2 Regg. III, 16. De חֵמָר vid. supra ad XI, 3. וַיָּנֻסוּ מֶלֶךְ־סְדֹם וַעֲמֹרָה וַיִּפְּלוּ־שָׁמָּה *Fugeruntque rex Sodomae et Gomorrhae et ceciderunt ibi.* Bituminis sive naphtae fontes longi atque errantes ingens fugientibus impedimentum objiciebant. Simili modo in regione prope Baku ad mare Caspium Naphta nonnullis in locis tanta vi ex terrae rimis ebullire solet, ut nonnunquam aditus sit periculosus, teste Kaempfero in *Amoenitatt. exotic.* Fasc. II. relat. 2. §. 6., ubi de his naphtae fontibus haec dicit: *fissurae erant mire angustae, non ultra pedem palmumque hiantes, breviores aliae et in hemicyclum ductae, aliae longo et incurvo flexu delirantes;* qui locus hunc Versum optime illustrat. וַיִּפְּלוּ *Ceciderunt*, i. e. inciderunt; nec tamen perierunt, nam viros et incolumes inde evasisse patet ex iis, quae infra Vs. 17. et 21. legimus. Aben-Esra utrumque regem data opera in illos puteos, i. e. fossas bituminis se conjecisse putat, ut laterent donec hostes abiissent. Qui *ceciderunt* interpretantur occisi fuerunt, ii per reges Sodomae et Gomorrhae eorum copias intelligunt oportet, quod minus probabile. וְהַנִּשְׁאָרִים הֶרָה נָּסוּ *Et reliqui*, qui e proelio evaserant, *fugerunt ad montem*, ad montana. הֶרָה Jarchi observat valere לָהָר, sive אֶל הַר, indefinite, ut dicat, unumquemque fugisse ad eum quem primo invenerit montem. Nam si certum quendam montem indicare voluisset, scribendum auctori fuisse הָהָרָה, quod idem cum אֶל־הָהָר.

11. וַיִּקְחוּ אֶת־כָּל־רְכֻשׁ סְדֹם וַעֲמֹרָה *Et ceperunt*, scil. *victores omnes facultates Sodomae et Gomorrhae.* Deest Nominativus; neque ad Nominativos, qui proxime praecedunt, verba haec referri possunt, sunt enim haec a victoribus avecta, uti ex iis, quae sequuntur, apparet, non ab iis, qui fugerunt in montes. LXX. Ἔλαβον δὲ τὴν ἵπ-

που πᾶσαν τὴν Σοδόμων καὶ Γομόῤῥας. Legerunt רְכֻשׁ pro רְכֻשׁ, sed mox Vs. 12. recte ἀποσκευὴν vertunt. אָכְלָם *Cibum eorum*, i. e. annonam et commeatum.

12. In priore Versus parte verba aliquatenus sunt inversa; nam בֶּן־אֲחִי אַבְרָם debebant sequi vocem לוֹט, non, ut in textu est, vocem רְכֻשׁוֹ. Recte LXX. perspicuitatis causa, mutato ordine, ita interpretantur: ἔλαβον δὲ καὶ τὸν Λὼτ, τὸν υἱὸν τοῦ ἀδελφοῦ Ἄβραμ, καὶ τὴν ἀποσκευὴν αὐτοῦ. וְהוּא יֹשֵׁב בִּסְדֹם *Et ille*, Lotus, *habitavit in Sodoma*, ideo communi et eadem cum illis calamitate est involutus.

13. וַיָּבֹא הַפָּלִיט *Venitque unus, qui ex proelio evaserat*, LXX. τῶν ἀνασωθέντων τις. Symmachus: τῶν διαφυγόντων τις. ה est hic pro Articulo indefinito habendum, ut Deut. XVIII, 6. 1 Sam. I, 4., et *quidam, aliquis* reddendum. Cf. Noldii *Concordantt.* p. 216. ed. Tymp. Vocem הָעִבְרִי omnes fere veteres interpretes ex praepositione עֵבֶר, *trans*, explicant, et putant Abrahamo hoc nomen inde datum esse, quod in Cananaeam migraturus Euphratem trajecisset. Ita LXX. περάτης, quos sequutus est Aquila, qui vertit περαΐτης, h. e., interprete Hieronymo, ἀπὸ τῆς πέραν χώρας προσελθών, *ex transfluviana regione ortus et advena.* Origenes: περάτης ἑρμηνεύεται Ἄβραμ, ἐπειδὴ ἀπὸ τῶν Χαλδαίων χώρας διαπεράσας τὴν Μεσοποταμίαν ἦλθεν εἰς τὰ μέρη τοῦ Χαναάν. Eandem interpretationem habent Gennadius, Acacius, Diodorus, Theodoretus, a Montefalconio ad h. l. excitati. Ex aliorum interpretum sententia Abrahamus potius ab Hebero, abavo suo, Cap. XI, 14. memorato, הָעִבְרִי nominatur. Cf. not. supra ad X, 21. וְהֵם בַּעֲלֵי בְרִית־אַבְרָם *Et ipsi erant domini* s. *viri foederis Abram*, i. e. confoederati Abrami, cum eo foedus inierant. LXX. συνωμόται, *conjurati*, Eodem modo vox בַּעַל Nehem. XI, 18. ponitur, ubi בַּעֲלֵי־שְׁבוּעָה sunt *conjurati*, foederati. Vid. omnino de voce בַּעַל Glassii *Philolog. S.* p. 93. edit. nov.

14. אָחִיו *Frater*, agnatus *ejus*. וַיָּרֶק אֶת־חֲנִיכָיו *Et*

expedivit instructos suos. Verbum הֵרִיק alias ut Ps. XXXV, 3. *gladios* lanceasve e vaginis, thecis, aut armamentariis suis *educere* sonat (cf. not. ad laudat. Psalm. loc.), hic per metaphoram *militis in aciem* velut ex umbratica vita *educere* valet. Saadias apposite ad exprimendum וַיָּרֶק usus est Arabico جَرَّدَ, quod plane ut Hebraicum הֵרִיק, proprie *exuit, nudavit, evaginavit* gladium valet, tunc vero metaphorice pro: *expeditum emisit agmen* usurpatur, cujus usus exempla plura attulit A. Schultens in nota ad Hamzae Ispahanensis particulam a se editam ad calcem Vitae Saladini, p. 15. Onkelos זָרֵיז *accinxit, expedivit, armavit* reddidit. LXX. qui vertunt ἠρίθμησε, fortasse וידק per Daleth legerunt, quod ad דוּק *curiosius inspicere* referebant, ita ut *numerare* idem sit, quod *lustrare;* ut Michaelis in *Supp.* p. 458. conjecit. Sequitur eos Hieronymus, qui *numeravit* habent. חֲנִיכִים *instructi* (cf. Prov. XXII, 6. חֲנֹךְ לַנַּעַר עַל־פִּי דַרְכּוֹ *imbue,* erudi *puerum secundum modum ejus,* i. e. paulatim, unde serioribus Hebraeis חִנּוּךְ est *prima institutio, κατήχησις,* et Arabicum حَنَّكَ *intellexit, percepit rem, expertum reddidit usus* (unde مُحَنَّكٌ *expertus, probatus*), i. e. bello adsuefacti, usu armorum triti et exercitati. Bene Jonathan: יַת עוּלֵמוֹי דְחַנִיךְ לִקְרָבָא *pueros suos proelio assuefactos.* Onkelos solum עוּלֵמוֹהִי *pueros,* i. e. servos *suos* posuit. יְלִידֵי בֵיתוֹ *Natos domus suae,* vernas, מְרַבְּיָנֵי בֵיתֵיהּ *in domo sua educatos,* ut Jonathan reddidit. וַיִּרְדֹּף עַד־דָּן *Et persequutus est* scil. hostes, qui Lotum secum abduxerant, victores Sodomitarum et reliquorum, *ad Danem usque.* „Qui existimant hanc esse urbem, quae post divisos a Josua Cananaeae agros id nominis consequuta est, quod a Danitis capta erat, et antea vocabatur *Laisch,* aut *Leschem* (Jos. XIX, 47. Jud. XVIII, 29.), ii haec a Mosis manu esse negant. Sed alii [ut Deyling *Observatt. SS.* P. I. p. 43.] existimant fuisse locum alium, a priori non remotum, ubi alter fon-

tium Jordanis. Auctor enim est Josephus *Antiqq.* L. I. Cap. 10., ubi hanc historiam narrat, ita vocatum, aitque Abramum ἐπιπεσεῖν τοῖς Ἀσσυρίοις περὶ Δάνον, *invasisse Assyrios circa Danum*, οὕτως γὰρ, subdit, ἡ ἑτέρα τοῦ Ἰορδάνου προσαγορεύεται πηγὴ, *sic enim alter Jordanis vocatur fons.* Alter enim, circa Daphnen, *minor Jordanes*, יְאֹר *rivus* dicebatur; vid. Josephus *Bell. Judaic.* L. IV. Cap. 1. Si hoc verum sit, oportet Jordanis fontem, priusquam urbs Laisch novum nomen nancisceretur, dudum *Dan* dictum, deinde, cum Danitae eà loca invasissent, non fontem tantum, sed ipsam etiam urbem vicinam id nominis esse sortitam. Quod quum fieri possit, hoc ex loco certum duci non potest argumentum, hoc vocabulum a Mose scriptum non esse. Interdum contingit locum eandem appellationem duabus diversis de causis esse sortitum; quod factum in puteo Deserti Judaeae, qui *Beerscheba*, hoc est, *puteus jurisjurandi*, ex duobus illis sancitis foederibus, dicitur. Vid. infra XXI, 31. XXVI, 33. Eodem exemplo, loco, qui Dan vocabatur, ex duplici causa nomen id esse potuit." *Cleric.*

15. וַיֵּחָלֵק עֲלֵיהֶם לַיְלָה הוּא וַעֲבָדָיו *Et divisus est sese super eos nocte, ipse et servi ejus*, i. e. divisis copiis in eos cum servis suis irruit. Accesserunt Aner, Eschcol et Mamre, foedere cum Abrahamo juncti, qui etiam cum suis eum comitati sunt, uti e Vs. 24. liquet. Hi ergo divisis copiis noctu invaserunt Cedorlaomerum et socios, qui cum numerum eorum, qui in se irruebant, ignorarent et majorem esse censerent, quod ex variis partibus castra adgrederentur, in fugam se conjecerunt. וַיַּכֵּם וַיִּרְדְּפֵם עַד־חוֹבָה *Et percussit eos atque persequutus est eos usque ad Chobam*, quo nomine Eusebii adhuc tempore villa (κώμη) exstitit in tractatu Damasceno, ἐν ᾗ εἰσιν Ἑβραῖοι οἱ εἰς Χριστὸν πιστεύσαντες Ἐβιωναῖοι καλούμενοι, ut ille dicit in libro de Locis V. T. Commemoratur et Judith. XV, 5. locus quidam Χωβά, ad quem usque Israelitae Assyrios persequutos esse narrantur. מִשְּׂמֹאל לְדַמָּשֶׂק *Ad sinistrum Damasci*, i. e. ad septemtrionem Damasci,

uti recte Onkelos. Oriens enim censetur anterior mundi pars, occidens posterior; unde hic dicitur אָחוֹר, ille קֶדֶם. Meridies *textra* pars mundi vocatur, unde sequitur, septemtrionem esse *sinistram*, observante Clerico ad h. l.

16. וְגַם אֶת־הַנָּשִׁים וְאֶת־הָעָם *Et mulieres quoque et populum* scil. הֵשִׁיב *reduxit*, i. e. captivos, quos abduxerant, quorum potissima pars mulieres erant, quippe quae in urbibus deprehensae fugere non potuerant. Continentur quidem mulieres voce עָם, sed haud raro post praecipuam speciem nominatam nominatur et genus. Perinde est, ac si dixisset: *mulieres, universam denique plebem.*

17. אֶל־עֵמֶק שָׁוֵה הוּא עֵמֶק הַמֶּלֶךְ *In vallem Schave, quae et regia vallis vocatur.* Vallis hujus *regiae* mentio quoque fit 2 Sam. XVIII, 18., sed situs ejus certe definiri nequit. Videtur fuisse ad septemtrionem Salemi, nam ex Damasco redeunti Abrahamo in aliam coeli plagam non obviam ire potuit Melchisedecus. Vid. Büchiene *Beschreibung von Palästina*, T. I. §. 148.

18. Nomen מַלְכִּי־צֶדֶק, quod denotat *regem justum* (βασιλέα δικαιοσύνης, Ebr. VII, 2., δικαιαρχὸν apud Graecos), nonnulli volunt non huic regi proprium, sed titulum honorificum fuisse, quale *Augustus*, et sicut quibusdam principibus Mohammedanis nomen الملك العادل *el Malek-ol-adel rex justus*, tribuitur, ut Herbelot in *Bibl. Orient.* sub v. *Adl* observat. Verum talis honoris titulus Hebraice מֶלֶךְ צַדִּיק exprimendus fuisset, observatque Jacobus Capellus in h. l., esse nominum propriorum Hebraicorum hanc indolem, ut cum componuntur e duobus nominibus, quorum prius est concretum, posterius abstractum, tum concretum recti, abstractum obliqui casus sit, et inseratur Jod, connexionis vim habens, non autem Pronominis. Talia nomina sunt אֲדֹנִי־צֶדֶק *dominus justitiae*, nomen regis Hierosolymae, Jos. X, 3., et אֲבִימֶלֶךְ *pater regis*, infra XX, 2. Cf. *Gesenii Lehrgeb.* p. 520. „Hebraei," uti tradit Hieronymus in Quaestt. ad h. l., „ajunt Melchisedech esse Sem filium Noe, et

supputantes annos vitae ipsius ostendunt eum ad Isaac usque vixisse omnesque primogenitos Noe, donec sacerdotio fungeretur Aaron, fuisse pontifices." In utraque Chaldaica paraphrasi, Jonathanis et Hierosolymitana quoque nomini Melchisedeci additur: הוּא שֵׁם בַּר נֹחַ *hic est Semus, Noachi filius.* Verum quod Hebraeos in hanc sententiam traxit, hoc fuit haud dubie, quod virum tam laudatum, et ipsi Abrahamo praelatum, noluerint a sua gente extraneum facere. Cf. *Deylingii Observatt. SS.* P. II. p. 75. seqq., ubi et aliae vanae de Melchisedeco conjecturae recensentur, et *Jo. Herm. van Elswich Melchisedecus ab injuria Petri Juriaei defensus* (qui eum Chamum fuisse putat), et Ejusd. *Melchisedecus ab Henrico Hulsio minus feliciter in Henocho detectus*, quae utraque Dissertatio prodiit Vitebergae 1710. et repetita est in *Thesauro novo theolog. philolog.* T. I. p. 175. seqq. Dicitur Melchizedecus מֶלֶךְ שָׁלֵם *rex Salem*, quam quidem eandem urbem fuisse, quae deinde Jerusalem vocata est, vetus est opinio, in qua jam Josephus et Onkelos fuere. Sane Ps. LXXVI, 3. Hierosolyma dicitur Salem. Quod argumentum tamen leve judicat Relandus in *Palaestina* p. 832. seqq., quum et alia urbs שָׁלֵם dici potuerit, usitatissimo nomine, non poëtice tantum, ut Hierosolyma illo in Psalmorum loco. Et Hieronymus in Epistola ad Euangelium (quae est LXXIII. apud Vallarsium, T. I. p. 446. edit. in quatern.) „Salem autem," inquit, „non, ut Iosephus, et nostri omnes arbitrantur, est Jerusalem, nomen ex Graeco Hebraicoque compositum, quod absurdum esse peregrinae linguae mixtura demonstrat, sed oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem, et ostenditur ibi palatium Melchizedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnitudinem, de quo in posteriore quoque parte Geneseos scriptum est [infra XXXIII, 17. 18.]: *Venit Jacob in Socoth*, id est, in tabernacula, *et fecit sibi ibi domus atque tentoria et transivit in Salem civitatem, regionis Sichem, quae est in*

terra Chanaan." Eo tamen Geneseos loco שָׁלֵם loci nomen esse est dubium. Illius autem urbis Salem, quam Hieronymus dicit haud procul a Scythopoli, id est, בֵּית־שְׁאָן, urbe tribus Manassis (Jud. I, 27.), distare, situs huic narrationi bene congruit, est enim in tractu lacum Gennesaricum inter et Mare Mortuum, ad occidentale Iordanis latus. הוֹצִיא לֶחֶם וָיָיִן *Produxit*, i. e. attulit (LXX. ἐξήνεγκεν) *panem et vinum*, i. e. obtulit Abrahamo e pugna redeunti et servis ejus cibos, quibus se reficerent. Joseph. *Antiqq.* L. I. c. 10. §. 2. Ἐχορήγησε δὲ οὗτος ὁ Μελχισεδέκης τῷ Ἀβραμοῦ στρατῷ ξένια, καὶ πολλὴν ἀφθονίαν τῶν ἐπιτηδείων παρέσχε. *Hic Melchisedecus Abrahami militibus hospitalia dona et multam necessariorum copiam suppeditavit.* Sine ratione nonnulli hic de sacrificio cogitarunt, quod Melchizedecus Deo obtulerit, sed nulla ejus mentio hic fit. הוּא כֹהֵן לְאֵל עֶלְיוֹן *Is autem fuit sacerdos Dei summi.* Dei Ἐλιοῦν καλουμένου, quod nomen ὕψιστον interpretatur Philo Byblius, mentio occurrit in theologia Phoenicum, in fragmento Sanchuniathonis, quod exstat apud Eusebium *Praepar. Evang.* L. I. Cap. 10. Ceterum apud antiquissimos populos rex simul erat sacerdos vel Pontifex. Apud Virgilium *Aeneid.* III, 80., legitur:

Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos.

Ad quem locum Servius: *Sane majorum haec erat consuetudo, ut rex etiam esset sacerdos, vel Pontifex.* Idem dicit Aristoteles in *Polit.* L. III. c. 14. postquam quatuor esse regni species dixisset: Μία μὲν ἡ περὶ τοὺς ἡρωϊκοὺς χρόνους, αὕτη δ' ἦν ἑκόντων μὲν ἐπὶ τισι δ' ὁρισμένοις· στρατηγὸς γὰρ ἦν καὶ δικαστὴς ὁ βασιλεὺς καὶ τῶν πρὸς τοὺς Θεοὺς κύριος. *Una quidem erat circa heroica tempora, atque haec erat volentium quidem, sed in quibusdam praefinitis. Rex imperator erat et judex, et rerum divinarum arbiter.* Diogenes Pythagoricus apud Stobaeum Serm. XLVI. Ἀνάγκα τὸν τέλειον βασιλέα στρατηγόν τε ἀγαθὸν ἦμεν, καὶ δικαστὴν καὶ ἱερέα. *Necesse est, perfectum*

regem imperatorem esse strenuum, et judicem, et sacerdotem.

19. וַיְבָרְכֵהוּ *Bene precatus est ei Abramo*, gratulatus est ei de victoria in hostes parta, et fausta quaeque ei est apprecatus. Josephus *Antiqq.* L. I. c. 10. §. 2.: Καὶ παρὰ τὴν εὐωχίαν αὐτόν τε ἐπαινεῖν ἤρξατο, καὶ τὸν Θεὸν εὐλογεῖν ὑποχειρίους αὐτῷ ποιήσαντα τοὺς ἐχθρούς. LXX. reddunt εὐλόγησε, quod ὑμνεῖν et εὐφημεῖν notare potest. Sequitur ipsa apprecationis formula: בָּרוּךְ אַבְרָם לְאֵל עֶלְיוֹן *benedictus* sit *Abramus Deo summo*, sive: *benedictus Dei summi*, i. e. bene sit ei a Deo supremo, benefaciat ei Deus. לְ ante אֵל refert benedictionem ad Deum auctorem, adeoque Latine per *ab* est exprimendum, ut Prov. XXI, 31. לַיהוָֹה הַתְּשׁוּעָה *Jovae est salus*, i. e. a Jova est salus, is salutis est auctor. Cf. *Storrii Observatt.* p. 291. קֹנֵה שָׁמַיִם וָאָרֶץ *Qui possidet coelum et terram*, i. e. dominus coeli et terrae. Ita Onkelos: דְּקִנְיָנֵיהּ שְׁמַיָּא וְאַרְעָא *cujus possessio* sunt *coeli et terra*. Sed LXX. ὃς ἔκτισε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, quod sequutus Hieronymus: *qui creavit coelum et terram*. Et Jarchi קֹנֵה exponit per עֹשֵׂה. Nec id quidem male, quum קָנָה et *parandi, creandi* notionem obtineat; cf. not. ad Ps. CXXXIX, 13. In lingua Aethiopica hoc Verbum *operari* notare, observat Ludov. de Dieu ad h. l.

20. בָּרוּךְ אֵל עֶלְיוֹן *Benedictus sit Deus supremus*, i. e. laudetur Deus, gratiae ei agantur. Nam benedicit Deo, qui eum laudat. אֲשֶׁר מִגֵּן LXX. recte: ὃς παρέδωκε, et Onkelos: דִּי־מְסַר *qui tradidit.* Hieronymus vero cum verbis proximis: צָרֶיךָ בְּיָדֶךָ sic reddidit: *quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Respexit procul dubio ad nomen מָגֵן *scutum;* at in eo מ est servile, in Verbo autem, quod hic exstat, radicale. וַיִּתֶּן־לוֹ מַעֲשֵׂר מִכֹּל *Deditque* Abramus *ei* Melchizedeco, *decimam ex omnibus*, videlicet, ut recte Jonathan addit, מָה דְּאָתִיב *quod reduxit e proelio*, sive, ut Josephus, τὴν δεκάτην τῆς λείας, *decimam praedae partem*, non, uti vult Jarchi, de omni-

bus suis facultatibus. Plures antiquitatis populos haud raro decimam de praeda partem diis sacrasse, ostendunt *Dougtaeus* in *Anall. SS.* p. 16., et *Seldenus* in Dissertat. *de Decimis* a Clerico ex Anglico Latine facta Ejusdemque Commentario in Pentateuchum subjuncta, p. 736. Decimis vero de praeda bello capta Melchizedeco solutis, non modo gratiam ei rependit Abrahamus, quod eum muneribus et faustis precationibus exceperat, verum et publice declaravit, se illum tanquam unius veri Dei, universi mundi opificis, quem et ipse coluit, sacerdotem agnoscere et venerari. Cf. *J. H. Verschuiri* in hunc locum Dissertationem, quae prima est in Ejus *Opusculis* a J. A. Lotze Traj. ad Rhen. 1810. in octon. editis.

21. *Dixitque Rex Sodomae Abramo:* תֶּן־לִי הַנֶּפֶשׁ *da mihi animas*, i. e. homines Sodomitas, quos reduxisti. LXX. Δὸς μοι τοὺς ἄνδρας. נֶפֶשׁ supra XII, 5., *homines*, sed servos, significare vidimus; hic *captivi* ea voce indicantur, qui a servis multum non differebant, quippe quos victores vendere, si vellent, poterant. Nisi forsan *animae* hoc loco homines dicantur ut opponantur anima carentibus divitiis. וְהָרְכֻשׁ קַח־לָךְ *Opes vero tibi sume.* Ex jure belli illorum temporum ea, quae rex Sodomitarum in pugna amiserat et Abrahamus hostibus rursus eripuerat, videntur Abrahami possessio facta esse, ita ut non oportuerit eum illa regi Sodomitarum, licet socio et amico, reddere ac restituere; ut Michaelis observat in *Jure Mosaico*, P. III. p. 251. 252.

22. הֲרִמֹתִי יָדִי *Sustuli manum meam*, i. e. juravi manum tollendo ad coelum, nam is est jurantium gestus. Cum enim testem jurisjurandi Deum advocarent, eum veluti, manu ad coelum, sedem ejus, porrecta, digito ostendebant. Vid. Deut. XXXII, 40. Ezech. XX, 5. 6. Dan. XII, 7. Apoc. X, 5. 6. Recte igitur Saadias haec verba sic reddidit: *sustuli manus meas* حَالِفًا بِاللّٰهِ *jurans per Deum.* Idem jurantium apud Virgilium occurrit ritus, *Aeneid.* XII, 195.

Sic prior Aeneas, sequitur sic deinde Latinus
Suspiciens coelum, tenditque ad sidera dextram,
Haec eadem, Aenea, terram, mare, sidera juro.

Cf. *L. C. Valckenaer* Dissert. *de ritibus in jurando a veteribus Hebraeis maxime et Graecis observatis*, Franequ. 1735. repetit. in Oelrichs *Collect. Opusculor. histor. philol. theologic.* T. I. p. 195. seqq. אֶל־יְהוָֹה אֵל עֶלְיוֹן קֹנֵה שָׁמַיִם וָאָרֶץ *Ad Jovam Deum summum conditorem coeli et terrae.* Videtur, ut Clericus monet, Abramus in responso, quod regi Sodomae dat, his verbis de industria uti, ut Melchizedeco, qui tunc aderat, et iisdem verbis antea erat usus, ostenderet, coli a se eundem Deum, cujus ille sacerdos esset. Nomen יְהוָֹה a Mose additum, ne dubitetur, quin אֵל עֶלְיוֹן sit idem; qui postea Judaeos nomine יְהוָֹה innotuit.

23. אִם־מִחוּט וְעַד שְׂרוֹךְ־נַעַל *Si a filo usque ad corrigiam calcei* quicquam sumam, scil. τάδε ποιήσει μοι ὁ θεὸς, καὶ τάδε προσθείη (1 Sam. XXV, 22.). Particula אִם in jurejurando usitata, elliptice ponitur; *quodsi hoc fecero*, scil. Deus me male perdat, *hoc et illud mihi faciat*, ut 1 Sam. XIV, 44. plene dicitur. Corrigiae, quibus veterum calcei devinciebantur, notant rem vilissimi pretii; ita ut sensus hic sit: *ne vilissimum quidem de his omnibus, quae tua sunt, accepturus sum.* Multus est Valckenarius in Dissertat. ad Vs. 22. laudata Cap. II. p. 207. seqq. in demonstrando, חוּט *filum* hic minime *rem nihili*, verum potius *pretiosam*, proprie *vestem captivam* indicare, quum et aliae voces *filum, lanam, linum* significantes pro vestimentis ex iis confectis passim in V. T. passim usurpentur, veluti אֵטוּן *filum*, *funiculus*, Prov. VII, 16. pro *tapetibus*, צֶמֶר et פִּשְׁתָּה, *lana* et *linum*, Hos. II, 5. (al. 7.), pro vestimentis ex ea materia factis, et vestes maximam apud veteres divitiarum effecerint partem. Unde hunc locum sic interpretatur: non a rebus pretiosoribus usque ad vilissima quaevis. Cui suae interpretationi favere ait locum Sirach. XLVI, 19., ubi de Samuele loquutus scriptor eodem fere, quod hic ha-

betur loquendi genere utitur: χρήματα καὶ ἕως ὑποδημάτων ἀπὸ σάρκης οὐκ εἴληφα, *ab istis rebus, quae magni aestimantur ad res nihili usque ab ullo mortalium accepi.* Sane constructione phraseos per Particulam מ sequente עַד majora minoribus opponi solent, vid. Jon. III, 5. Esth. I, 20.

24. בִּלְעָדַי fere reddunt *praeter, praeterquam,* neglecto Suffixo. Ita LXX. πλὴν ὧ ἔφαγον οἱ νεάνισκοι. Sed quum vox illa per Accentum Rbhia ab iis, quae sequuntur, distinguatur, distinctiori etiam sensu gaudebit. Et Ludov. quidem de Dieu removendi Particulam judicat, qua dictis non assentimur, humaniterque id a nobis repellimus, quod Galli dicunt: *excusez moi, pardonnez moi.* Ad verbum: *praeter me,* scil. est hoc, i. e. hoc a me removeo, ut nempe a te ditatus dicar. Quomodo et infra XLI, 16. hanc vocem capiendam censet. Rectius tamen Gussetius in Lexico (sub voc. רקק. G. H.), ex בַּל *nihil, non,* et עַד *ad, usque ad* compositum ratus, exponere videtur *non s. nihil ad me,* scil. perveniet; *tantum quod comederunt pueri,* rel. Quam interpretationem pluribus commendat *H. B. Stark* in *Notis selectt.* ad h. l. הַנְּעָרִים *Juvenes* non dubium fuisse servos illos, quos in proelium duxit, quemadmodum et 2 Sam. II, 14. 1 Reg. XX, 14. milites eo nomine designantur.

*

6. *Deus Abramo sobolem promittit, foedus cum eo init, terramque Cananaeam post quadringentos annos propriam posterorum ejus futuram docet. Cap. XV.*

Cap. XV, 1. בַּמַּחֲזֶה *In visione,* quod perinde esse videtur ac בְּמַרְאֹת הַלַּיְלָה *in visionibus noctis,* infra XLVI, 2. Et in hoc ipso Capite Vs. 12. 13. sopore oppressus Abramus audit verba Dei se compellantis. In somnis etiam Deum videt et audit Jacobus, infra XXVIII, 12. 13. seqq. Quinimo dormientes Deus monet Abimelechum, et Labanem XX, 20. XXXI, 24. — אָנֹכִי מָגֵן לָךְ *Ego* sum *clypeus tibi,* i. e. praesidium, sive, praesidio adversus omnia pericula, non

secus ac clypeo quis munitus facile ictus a se repellit. Cf. Ps. III, 4. Nonnulli Hebraeorum haec verba Dei Abramum confirmantis eo spectare tradunt, quod timuisset sibi ab illis regibus, quos bello erat aggressus, aut eorum propinquis, ne rursum collectis copiis redirent in terram Cananaeam; aut ne forte in se irruerent illius regionis incolae, apud quos in suspicionem venerit ipsius potentia ob istam victoriam. שְׂכָרְךָ הַרְבֵּה מְאֹד *Merces tua multum* (nam Infinitivus Hiphil Verbi רָבָה adverbialiter usurpatur) *valde*, copiosa admodum scil. erit. Ita LXX. *ὁ μισθός σου πολὺς ἔσται σφόδρα.* Alii repetunt אָנֹכִי, *ego*, inquam, *sum merces tua*, egregio sensu, quasi se Deus significet ipsius amplissimam mercedem futuram, sicuti Deus Levitarum *haereditas* et *pars* dicitur Num. XVIII, 20. Deut. XVIII, 2. Cf. Jos. XVIII, 7. Ps. XVI, 35. et ad eum loc. not.

2. מַה־תִּתֶּן־לִי וְאָנֹכִי הוֹלֵךְ עֲרִירִי *Quid mihi dabis? sine prole ego ex hac vita discedam.* Sub *mercede* enim Abrahamus majores divitias et facultates intelligebat, quibus, liberis carens, haud admodum indigere se existimabat. וְאָנֹכִי הוֹלֵךְ עֲרִירִי *Orbus ego incedo*, sive, ut plerique vertunt, *discedam*, i. e. moriar sine liberis; ita LXX. *ἀπολύομαι ἄτεκνος*, et Jonathan: דְאֲנָא עָבִיר מִן עַלְמָא *qui abeo ex hoc mundo.* Sane de discessu ex hac vita saepius, ut Ps. XXXIX, 14. LVIII, 9. dicitur. Hoc tamen loco אָנֹכִי הוֹלֵךְ valere videtur: ego vitam traduco, vivo, sum. Sic Jerem. VI, 28. הֹלְכֵי רָכִיל *incedentes obtrectatores* notat, qui tales sunt. Quod sequitur בֶּן־מֶשֶׁק בֵּיתִי, praeter LXX., qui *ὁ δὲ υἱὸς Μάσεκ τῆς οἰκογενοῦς μου, hic autem filius Masecae, vernaculae meae*, et Syrum, qui posteriorem hujus Versus partem verbis transpositis ita reddidit: ܘܐܠܝܥܙܪ ܕܪܡܣܘܩܝܐ ܒܪ ܒܝܬܝ ܗܘ ܝܪܬ ܠܝ *et Elieser Damascenus, filius domus meae, haeres est mihi*, reliqui veteres omnes de *procuratore domus* Abrahami intellexerunt. Theodotion: *καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου, filius ejus, qui domui meae praefectus est.* Hie-

ronymus: *filius procuratoris domus meae*, et in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l.: „Quod autem dicit, hoc est: ego sine liberis morior, et filius procuratoris mei, vel villici, qui universa dispensat et distribuit cibaria familiae meae, vocaturque Damascus Eliezer, hic meus haeres erit." Aquila: *ὁ υἱὸς τοῦ ποτίζοντος οἰκίαν μου*, *filius potum dantis domui meae*, quasi מֶשֶׁק idem esset quod מַשְׁקֶה. Onkelos: בַּר־פַּרְנָסָא הָדֵין דִּי בְּבֵיתִי *filius gubernatoris hujus, qui in domo mea.* Jonathan: בַּר פַּרְנָסַת בֵּיתִי *filius gubernationis domus meae.* Samaritanus: בר מרבר ביתי *filius disponentis domum meam.* Saadias: ذُو قِيَاسِ مَنْزِلِي *qui gerit gubernationem domus meae.* Arabicus ab Erpenio editus interpres: إِبْنُ مَؤُونَةِ دَارِي *filius commeatus s. curae domus meae.* Jarchi: שכל ביתי נזון על פיו *cujus mandato tota mea domus cibatur*, additque: אפוטרופא שלי *ἐπιτροπὸς meus.* De propria nominis מֶשֶׁק significatione tamen dissentiunt. Quidam referunt ad שׁוּק vel שָׁקַק *discurrere, cursitare*, ut בֶּן־מֶשֶׁק sit *filius cursitationis*, i. e. procurator domus, qui ceteris servis praeest, vel quod ad eum omnes currunt, ad mandata ab eo accipienda, vel quod ipse per omnes partes domus currit, ipse omnia inspecturus. Sic Kimchi in Commentar. ad h. l. et Fullerus in *Miscell. S.* L. III. c. 15. aliique. Sed rectius A. Schultensius in libro *de Defectibus Linguae Hebraeae*, §. 33. 37. seqq. p. 27. et in *Vindiciis*, p. 142. מֶשֶׁק illustrat ex Arabico مَشَقَ, quod proprie *pectinare, carminare, polire*, deinde vero metaphorice *diligenter et nitide curare* significat, ut בֶּן־מֶשֶׁק בֵּיתִי *filius politionis domus meae* sit politor, procurator domus meae, qui universam domum administrat, curat et polit, et, ut ita dicam, sub suo pectine comtam nitidamque servat. Sic *politores* et Latinis dicti sunt, qui agros curarent pectinarentque. Quo pertinet quod, Ludov. de Dieu ad

h. l. Arabibus مشقة משקה *curam* denotare observat, „quo sensu," inquit, „legere memini parentes liberos suos educare بمشقتها الجزيلة *cura sua maxima*, in Catechismo Romano Arabico." Intelligitur dubio procul ille Romae 1613. editus Catechismus, in sermonem Arabicum translatus a Victorio Scialac, et Gabriele Sionita, doctis Maronitis, quibus lingua Arabica vernacula erat. Praeterea *procuratoris* significatio huic loco apprime est apta; nam in ingenti servorum numero, qualem Abrahamus habuit, vix dubium est, quin unus esset, qui ceteris praeerat, more non tantum Graecorum et Romanorum, verum et Orientalium, ab antiquissimis temporibus. Sic Josephus Potipharis heri familiae praefectus fuit, Genes. XXXIX, 4. 22., et ipse libertatem nactus procuratorem habuit, XLIV, 1. Facessat igitur Jo. Simonis in Lexico proposita conjectura, מֶשֶׁק esse, permutatis invicem elementis ejusdem organi, ק et ךְ, idem quod מֶשֶׁךְ *possessio*, ut בֶּן־מֶשֶׁק בֵּיתִי sit *filius possessionis domus meae*. Procurator ille domus Abrahami vocatur דַּמֶּשֶׂק, quod pro אִישׁ דַּמֶּשֶׂק (ut Jud. X, 1. אִישׁ יִשָּׂשכָר) ponitur, aut repetendum est בֵּן, *filius Damasci*, i. e. Damasco oriundus. Michaelis in *Supplemm*. p. 452. דַּמֶּשֶׂק non pro nomine proprio habet, sed derivat ex Arabico دَمَشَقَ, *rem deproperare*, quod compositum esse putat ex مَشَقَ, *deproperavit*, et دَمَشَ, *aestuare*, ut דַּמֶּשֶׂק sit *diligentissimus* ex servis, verbaque בֶּן־מֶשֶׁק בֵּיתִי הוּא דַּמֶּשֶׂק אֱלִיעֶזֶר, sic vertenda sint: *filius diligentis vernae mei, diligentissimus Eliezer*. Verum ut taceamus, minus verisimile esse, דַּמֶּשֶׂק, ceteris omnibus V. T. urbis Danasci nomen proprium, hoc solo loco esse appellativum, et quidem plane inusitatum, omnis illa sententia, quam Michaelis verbis inesse opinatur, loquentis animo nequaquam congruit. Nullam enim doloris significationem haberent haec verba, si ea tantam Eliezeris laudem, quantum Michaelis vult, continerent. Conqueritur potius Abrahamus, quod peregrino et alienigenae, non pro-

prio filio, domus suae curam committere bonaque sua relinquere cogatur. Quem hujus loci sensum bene enucleavit *Seidenstüçker* in Commentatione, quae legitur in *dem Magazin für Religionsphilosophie*, *Exegese* etc. ab Henkio edito, P. IV. p. 211. seqq. Concinit Jarchii ad hunc locum glossa: אלו לי בן היה בני ממונה על שלי *Si mihi filius esset, rebus ille meis praeficeretur.*

3. בֶּן־בֵּיתִי יוֹרֵשׁ אֹתִי *Filius domus meae*, verna, i. e. Eliezer, aut alius ex meis domesticis, ut sit generale, *haeres mihi erit.* Sic Hebraei בְּנֵי־בֵית *filios domus* dicunt pro אַנְשֵׁי הַבַּיִת, i. e. domesticis, quasi diceret, יְלִיד בֵּיתִי, ut supra XIV, 14. Hoc eum angebat, quod, quantacunque sibi esset daturus Deus, externus omnia esset possessurus, non haeres ex se procreatus. Lotum, fratris filium, haereditate exclusit; unde colligere licet, moris tunc fuisse, ut, si quis sine prole decederet, verna familiae praefectus haeres ipsi fieret.

4. אֲשֶׁר יֵצֵא מִמֵּעֶיךָ הוּא יִירָשֶׁךָ *Qui egredietur e visceribus tuis*, i. e. filius, qui nascetur ex te, *haeres tibi erit.* LXX. Ὃς ἐξελεύσεται ἐκ σοῦ, οὗτος κληρονομήσει σε.

6. וַיַּחְשְׁבֶהָ לּוֹ צְדָקָה *Imputavit ei hoc justitiam*, i. e. fidem Abrahami pro egregio religionis et pietatis argumento accepit. Facta enim est Abrahamo haec promissio eo tempore, quo parum verisimile erat eum liberos habiturum, cum jam octogesimum aetatis annum superasset. צְדָקָה hic pluribus aliis V. T. locis non *justitiam*, sed *pietatem*, *religionem* denotat, ut δικαιοσύνη, quod LXX. hic habent, Rom. IV, 3. seqq. et aliis Nov. Test. locis.

8. בַּמָּה אֵדַע כִּי אִירָשֶׁנָּה *Unde vero cognoscam, me illam possessurum?* Haec Abrahami quaestio non satis convenire videtur fidei ejus modo laudatae; videtur enim signum expetens dubitasse de divina promissione. Negant quidem nonnulli superioris aetatis interpretes, hanc quaestionem esse dubitationis indicium, et provocant ad Gideonis exemplum Jud. VI. et Hezekiae, 2. Regg. XX.;

quod tamen aliis non satisfacit. Jarchius aliique veteres et recentiores interpretes (inter eos Michaelis in Notis ad translationem suam teutonicam et Dathe ad h. l.) hoc dubium ita solvunt, Abrahamum non sua causa signum petiisse, quippe qui istiusmodi adminiculis haud indiguerit, sed propter posteros, qui tum ob adipiscendae rei difficultatem, tum ob multiplices calamitates eis obventuras dubitare potuissent de hac promissione, nisi fides ejus manifesto aliquo pacto et foedere confirmata foret. Sed facile patet, tribuisse scriptorem Abrahamo illam interrogationem nullam alium in finem, nisi ut viam sibi pararet ad eam, quam proferre voluit, narrationem de foedere, quod Jehova cum Hebraeorum progenitore inierit, atque de mira praedictione eorum, quae illius posteris eventura essent. Quae omnia, satis quidem apposite ad extollendam gentis gloriam enarrata, non potuerunt non magnopere tangere animos Hebraeorum, quippe qui hujusmodi oraculis atque praedictionibus multum tribuerent.

9. עֶגְלָה מְשֻׁלֶּשֶׁת Onkelos reddit עֶגְלִין תְּלָתָא *tres vitulos*, eumque sequuti sunt Jarchius, Kimchius et alii. Rectius LXX., Hieronymus, Samaritanus, Syrus, Arabs reddiderunt *τριετίζοντα*, *trienhem* seu *trimam*. Ita et Josephus *Antiqq.* L. I. c. 10. *δάμαλιν τριετίζουσαν* etc. Nec Jesaj. XV, 5. עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה aliter explicari potest, quam vitula trium annorum. Cf. *Bocharti Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 28. T. I. p. 268. edit. Lips. Ratio autem, cur Deus animalia trima esse voluerit, procul dubio haec fuit, quia tali aetate haec animalia in pleno robore et vigore aetatis sunt. Chrysostomus Homil. XXVI. in Genesin: *τριετίζοντα λαβεῖν προσέταξε, τουτ᾽ ἔστι τέλεια ἀπηρτισμένα.* Sic apud Lucianum in Deorum Dialogis Ganymedes a Jove raptus et dimitti petens, pro λύτρῳ suo promittit se arietem Jovi immolaturum *τὸν τριετῆ, τὸν μέγαν, ὃς ἡγεῖται πρὸς τὴν νομήν.* גּוֹזָל *pullum* quidem et aliarum avium, sed potissimum columbini generis significat; vid. Bochartum l. c. P. II. L. I. C. 1. T. II. p. 531.

10. Quae hactenus narrata sunt videntur gesta בַּמַּחֲזֶה *in visione*, cujus descriptio Vs. 9. desinit. Abrahamus vero expergefactus animalia ista cepit et discerpsit. וַיְבַתֵּר אֹתָם בַּתָּוֶךְ *Et dissecuit ea in medio*, per medium, i. e. media secuit. LXX. *μέσα*. Onkelos בְּשָׁוֵי *aequaliter*, in duas partes aequales, in duo dimidia. Verbum בָּתַר *dissecuit*, non nisi in hoc Versu occurrit, ac fortasse, ut Michaelis in *Supplemm.* p. 239. putat, ex antiquo monumento, ex quo Moses hanc historiae partem sumsit, servatum est, ut plura hujus Capitis verba. Confert cum hoc verbo Arabicum نتر *resecare*, sive بطر *findere*. וַיִּתֵּן אִישׁ־בִּתְרוֹ *Ac posuit virum segmenti sui*, i. e. unumquodque segmentum, לִקְרַאת רֵעֵהוּ *ex adverso socii sui*, i. e. alterius. Sic Hebraei *viri* et *feminae* nomen, *socii* et *sociae*, *fratris* et *sororis*, usurpant de unaquaque re masculini aut feminei generis, quae alteri adjungitur. Dicitur, Abrahamum partes animantium dissectas altrinsecus posuisse, ita ut quaeque alteri ex adverso responderet; singulas singulis opposuit. LXX. Καὶ ἔθηκεν αὐτὰ ἀντιπρόσωπα ἀλλήλοις. Hubigantius verba hebraea hoc ordine transponenda censet: וַיִּתֵּן בִּתְרוֹ אִישׁ לִקְרַאת רֵעֵהוּ *posuitque divisiones suas unamquamque e regione alterius*. „Nam," inquit, „consuetus ordo est, ut id, quod communiter dicitur, proxime collocetur ante id, quod separatim. Nimirum בִּתְרוֹ, vel בְּתָרָיו, dicitur communiter de victima tota, vel de omnibus ejus partibus, אִישׁ autem et רֵעֵהוּ partibus de singulis." Sed recte monet *Ravius* in *Exercitatt.* p. 65., nihil esse sic mutandum aut loco movendum. „Propositum erat Mosi docere, quod Abraham partes animalium a se dissectas et divisas ita disposuerit, ut uniuscujusque animalis dissecti pars dimidia alteri e regione esset opposita. Itaque nisi בֶּתֶר, aut בִּתְרָם dixerit, aut vero בִּתְרֵיהֶם, *sectiones eorum*, cum affixo relationem ad praecedens אֹתָם habente, quam tamen lectionem nullus prae se fert codex Hebraicus, alio verborum ordine uti non potuit. Habet enim Pronomen

singulare in בְּתוֹךְ manifestam relationem ad vocabulum אִישׁ *unumquodque* animal designans, atque ideo non *suam* vel *suos* vertendum est; nisi perquam absurde id velis referre ad Abrahamum." Quod vero attinet ad rem ipsam, quae hoc Versu narratur, apparet, describi ritum, quo foedera inter Hebraeos pangi solerent; cf. Vs. 18. Partes paciscentes per animalia dissecta transibant (ut ex Jerem. XXXIV, 18. 19. liquet), quod innuebat, eos imprecari sibi, ut qui prior violasset foedus, non secus caederetur ac perderetur, quam animal, foederi adhibitum, caedebatur. Credibile est, Abrahamum similiter inter partes victimarum divisarum transiisse, quamvis hoc Moses non diserte dicat. Ex Versu enim 17. patet, Deum huic ritui simile quid fecisse. Ceterum ex hoc ritu vix dubium ortam esse phrasin כָּרַת בְּרִית *scindere foedus.* Sic antiquissimi Graeci dicebant ὅρκια τέμνειν *juramenta secare, ἀντὶ τοῦ* pactum jurejurando et divisis victimis sancire. *Iliad.* B. v. 124. ὅρκια πιστὰ ταμόντες, ad quae verba Eustathius: *διὰ τομῆς ζώων θυομένων οἱ ἐπὶ μεγάλοις ὅρκοι ἐγίνοντο· per sectionem animalium mactatorum juramenta de magnis rebus fiebant.* Plutarchus in *Quaestt. Romanis* consuetudinis cujuspiam talis diserte meminit vigentis inter Boeotos: Βοιωτοῖς δὲ δημοσίᾳ καθαρμός ἐστι κυνὸς διχοτομισθέντος τῶν μερῶν διεξελθεῖν, *apud Boeotos est sacrificium, quo cane in duas partes discisso, per earum medium transire solent.* Simili prorsus modo Macedonum reges lustrare solebant suos milites, narrante Curtio, L. X.: *ut discissi canis viscera ultimo in campo, in quem deduceretur exercitus, ab utraque parte abjicerentur.* Valerius Flaccus *Argon.* L. III. Vs. 439. 440.

Tunc piceae mactantur oves, prosectaque partim
Pectora, per medios partim gerit obvius Idmon.

Plura vid. in *Dougtaei Analectt. SS.* p. 19. Cf. *das alte und neue Morgenland,* P. I. p. 57. No. 38.

11. וַיֵּרֶד הָעַיִט עַל־הַפְּגָרִים *Descendit autem avis rapax* (ab עִיט *irruere*), quod collective sumendum est,

involarunt aves rapaces, *super*, in *cadavera*, illa scilicet segmenta, unde Alexandrini adjecerunt, καὶ τὰ διχοτομήματα, וַיַּשֵּׁב אֹתָם *exsufflavitque*, i. e. flatu abigebat, perturbabat, *eas*, nam quia עַיִט collectivum et pluralis nunc ponitur. Quod volucres dissectorum animalium partes appetiisse narrantur, omen fortasse scriptor esse voluit, sive signum hostium diversorum in Israelitas incursantium, sed facile opera abigendorum.

12. וַיְהִי הַשֶּׁמֶשׁ לָבוֹא *Et factum est, sol ad occidendum*, id est, cum sol ad occasum vergeret. LXX. Περὶ τῆς ἡλίου δυσμάς. וַיְהִי non est ad הַשֶּׁמֶשׁ referendum, sed fertur in totam sententiam, ut infra Vs. 17.; quasi ita כַּאֲשֶׁר הָיְתָה הַשֶּׁמֶשׁ לָבוֹא *cum esset sol ad ingrediendum*, i. e. occidendum; loquuntur enim Hebraei de solis occasu vulgi et poetarum more, quo videtur et putatur immergi Oceano, unde et cum oritur, verbo יָצָא *exeundi*, utuntur, quod ex Oceano videatur egredi. וְתַרְדֵּמָה נָפְלָה עַל־אַבְרָם *Et sopor incidit super Abrahamum*. LXX. ἔκστασις ἐπέπεσε τῷ Ἄβραμ. Apposite ad rem; neque enim sopor naturalis hic erat, sed a Deo immissus, qualis describitur a *Jamblicho de Mysteriis* Sect. 3. Cap. 2., ubi, de somnii divini argumentis agens, ex Assyriorum et Aegyptiorum disciplina, argumentum primum esse ait τὸν ὕπνον, καὶ τὴν τῶν ὀμμάτων κατοχὴν, καὶ τὴν κάρῳ προσφερῆ κατάληψιν, *somnum, et oculorum detentionem* (non animi, interea vigilantis), *et veterno similem impetum*. וְהִנֵּה אֵימָה חֲשֵׁכָה גְדֹלָה נֹפֶלֶת עָלָיו *Et ecce terror, obscuritas magna cadens*, cadebat, *super eum*, terrore magno et caligine correptus est. Ejusmodi terror cum sopore conjunctus divinas ἐπιφανείας cernentes invadere solebat, vid. Job. IV, 13. seqq. XXXIII, 15. Dan. X, 9. Similiter exteri poëtae Deorum praesentiam describere solent. Sic Homerus *Iliad.* B. 41. somnium a Jove Agamemnoni immissum describens, Ἔγρετο, inquit, δ' ἐξ ὕπνου, θείη δέ μιν ἀμφέχυτ' ὀμφή. *Surgebat e somno, et divina vox ei circumfusa erat.*

13. יָדֹעַ תֵּדַע כִּי־גֵר יִהְיֶה זַרְעֲךָ בְּאֶרֶץ לֹא לָהֶם *Scito, posteros tuos peregrinos futuros esse in terra non sua,* i. e. peregrina, aliena; sub ea Aegyptus intelligitur. וַעֲבָדוּם *Et servient* posteri tui *iis*, incolis terrae peregrinae. Verbum ponitur plurale, quod זֶרַע est collectivum, et affixum pro separato לָהֶם, ut Jos. XV, 19. נְתַתָּנִי pro נָתַתָּ לִי *dedisti mihi.* Plura hujusmodi vid. in *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 729. Onkelos: וְיִפְלְחוּן בְּהוֹן *servient inter eos.* Sed LXX. δουλώσουσιν αὐτοὺς, quod sequutus Hieronymus: et *subjicient eos servituti.* Nec aliter Saadias: ويستعبدونهم. Sic vero Hebraice foret הֶעֱבִידוּם, quod tamen in nullo codice legitur. וְעִנּוּ אֹתָם *Et adfligent* scil. terrae alienae incolae, *eos*, posteros tuos. אַרְבַּע מֵאוֹת שָׁנָה *Per quadringentos annos.* Numerus minor hic omittitur, uti fieri solet in oraculis; nam Israelitas 430 annos in Aegypto commoratos fuisse, Exod. XII, 39. diserte dicitur.

14. *Sed ego in eam gentem, cui servient, animadvertam, et denique cum magnis opibus illinc emigrabunt.* דָּן אָנֹכִי *Ego judicabo*, i. e. puniam; nam quia antequam poena luantur judicium ferre necesse est, *judicari*, ubi de malis est sermo, perinde est passim ac *puniri*, et *judicium* poenas sonat, 1 Sam. XXIV, 16. Es. XXVI, 9.

15. וְאַתָּה תָּבוֹא אֶל־אֲבֹתֶיךָ *Tu vero ad patres tuos ibis;* mortis περίφρασις, quales hae Latinae: *ire ad plures, ire in communem locum.* „Videntur," inquit Clericus, „hae loquutiones, quaecunque earum postea significatio fuerit, originem ducere ab opinione aut hac, aut huic simili, animos mortuorum certa quaedam loca petere, et unamquamque nationem et familiam seorsim ab aliis sedes habuisse, seu nepotes in illo vita functorum, ut ita dicam, mundo ad majores suos sese aggregasse. Lucianus in Necyomantia, ubi fingit se in Acherusium campum venisse, εὑρισκομέν τε, inquit, αὐτόθι τοὺς ἡμιθέους τε καὶ τὰς ἡρωΐνας, καὶ τὸν ἄλλον ὅμιλον τῶν νεκρῶν, κατὰ

ἔθνη καὶ φῦλα διαιτωμένους, inveniebamus ibidem semideos et heroïnas, et alium coetum mortuorum, per gentes et tribus dispositum. Ac sane haec paene animis hominum, qui partem sui meliorem immortalem futuram existimant, insita est cupiditas, videndorum aut consanguineorum, aut popularium, qui famam egregiam post fata reliquerunt. Ad eam opinionem adludere videtur Ezechiel XXXII, 22. seqq. *Hic est Assur et* omnis *ejus coetus circa eum,* rel." A sepulturae ritu Hebraeis finitimisque Aegyptiis recepto, quo singulis familiis sua in montium cavernis spatiosa sepulchra essent, loquendi formulam: *ad patres suos ire*, seu *colligi*, repetit *Lowth* in *Praelect. VII. de sacra Hebraeor. poësi*, p. 76. edit. Lips. Cf. *Pareau de immortalitatis notitiis* etc. p. 48. seqq.

16. וְדוֹר רְבִיעִי יָשׁוּבוּ הֵנָּה *Et generatio quarta redibunt huc*, constructio sensu congrua; nam דוֹר, *generatio, aetas*, valet homines eadem aetate viventes. Alii, ante דוֹר subaudito ב, vertunt: *in generatione quarta.* Ita LXX. *τετάρτη δὲ γενεᾷ*, quod sequutus Hieronymus. Ceteri priorem sententiam exprimunt, quam et Jarchius adoptavit, qui tres generationes ait in Aegypto exulasse, quartam vero in terram Canaan rediisse; Jacobum siquidem in Aegyptum migrasse, atque ibi posteros ejus ad tertiam usque generationem mansisse, nempe Judam, Pharez, et Hezron, Calebum autem, Hezronis filium, ex iis fuisse, qui terram Canaan ingressi sunt. Sed de Calebo quidem, filio Jephunnae, res certa est; unde autem constet, filium Hezronis, qui 1 Chron. II, 18. 42. memoratur, terram Canaan ingressum esse, nemo facile dicat. Praestet itaque, דוֹר hic de *longiore temporis spatio* capere, quemadmodum Arabum جِيل, quo Arabs uterque h. l. utitur, et *homines eadem aetate viventes*, et *seculum* valet. Atque דוֹר h. l. de *seculo*, seu *centum annorum spatio* sumendum esse, suadet Vs. 13., ubi diserte numerantur אַרְבַּע מֵאוֹת שָׁנָה *quadringenti anni.* Et vere Jacobus ejusque posteri per plenos 430 annos in

Aegypto habitarunt; qua de re copiosius dicetur ad Exod. XII: 40. כִּי־לֹא שָׁלֵם עֲוֹן הָאֱמֹרִי עַד־הֵנָּה *Improbitas enim Amoraeorum non perfecta est huc usque*, i. e. nondum ad summum pervenit. Amoraeis reliquae omnes Palaestinae gentes indicantur, quarum nomina omnia raro simul ponuntur. *Perfecta*, seu *consummata* dicitur improbitas, quae immanitate eo pervenit, ut a Deo amplius non sit toleranda.

17. וַיְהִי הַשֶּׁמֶשׁ בָּאָה *Et fuit, sol iverat*, i. e. postquam occidisset. Minus recte LXX. ἐπεὶ δὲ ὁ ἥλιος ἐγένετο πρὸς δυσμὰς, *quum sol ad occasum vergeret.* Quod supra Vs. 13. erat לָבוֹא. Videtur interpres h. l. בָּאָה pro Participio habuisse, quum tamen sit tertia Praeteriti feminina; est enim παροξύτονον, Participium est ὀξύτονον. Atque Praeteritum esse בָּאָה, ostendit et illud, quod additur: וַעֲלָטָה הָיָה *et densa caligo erat.* LXX. φλὸξ ἐγένετο, quasi לֶהָבָה *flamma* legissent. וְהִנֵּה תַנּוּר עָשָׁן וְלַפִּיד אֵשׁ אֲשֶׁר עָבַר בֵּין הַגְּזָרִים הָאֵלֶּה *Et ecce! clibanus fumans et fax ignea, quae per partes illas animalium dissectas transibat;* Dei praesentis ac foedus cum Abrahamo ferientis indicia. Similiter inter incendium et fumum Sinai montis vocem emisit Deus, Exod. XIX, 18. XX, 15. Sunt, qui hoc loco *fornace* significari putent Aegyptiacam servitutem, quae Deut. IV, 20. Jerem. XI, 4. *fornax ferrea* dicitur, *face* vero liberationem, collato Jesaj. LXII, 1. Quae tamen alieno videntur ab hoc loco, ubi clibanus et lampas inter sectas victimarum partes transeunt, quemadmodum qui foedus ineunt.

18. כָּרַת יְהוָֹה אֶת־אַבְרָם בְּרִית *Cecidit*, i. e. pepigit *Jova cum Abrahamo foedus*, quae phrasis ex ritu, de quo ad Vs. 10., originem duxit. *Foedere* hic intelligitur promissio, quae statim subjicitur; cf. not. supra ad VI, 18. Promittit vero Deus hic Abramo, se ejus soboli possidendum daturum omnem illum terrarum tractum, qui מִנְּהַר מִצְרַיִם *inde a flumine Aegypti ad fluvium magnum, Euphratem, usque* porrigitur. De *flumine Aegypti* dis-

sentiunt interpretes. Alii Nilum, alii torrentem quendam, haud procul a Rhinocorura (hodie *El-arisch*) in mare mediterraneum labentem, intelligunt (cf. not. ad Jesaj. XXVII, 12.). Prior sententia verisimilior est. Primum enim torrens nusquam נָהָר vocatur, sed נַחַל. Deinde Jos. XIII. 3. terminus terrae Israelitarum fluvio שִׁיחוֹר describitur; et ejusdem fluvii Es. XXIII, 3. et Jerem. II, 18. mentio fit, quem ipse Jesaias laud. loco mox יְאֹר vocat, quo nomine Nilum intelligi nulla est dubitatio. Neque obstat, quod Israelitae regionis suae fines numquam protraxerunt. Laxius enim hic illi designantur duobus nobilissimis fluminibus, infra quae Hebraeorum ditio conclusa erat. Ita et Jesaj. XXVII, 12. et Jerem. II, 18. Euphrates et Nilus tanquam extremi terrae Hebraeorum termini sibi opponuntur. Praeterea Davidis tempore, Salomonisque, ejus filii, reges inter duos illos fluvios positi aut omnes, aut plerique regum Hebraeorum vectigales fuere, vid. 2 Chron. IX, 26. coll. 2 Sam. VIII, 3. Et quod adtinet terminos terrae Israeliticae ab Oriente et Septentrione, vix dubium est, eos jam ante Davidis tempora usque ad Euphratem exporrectos fuisse. Mons enim Gilead, qui in potestate Israelitarum semper fuit, Gileaditidi nomen impertiens, Euphrati fuit quam Jordani propior, ut Michaelis observat in *der Abhandlung von der Schafzucht der Morgenländer* (in ejusdem *Vermischten Schriften*, Tom. I. p. 149—160.), in *Jure Mosaico*, P. I. §. 23., et in *Historia belli Nesibeni*, §. IX. (in Commentatt. Societ. Reg. Goetting. praelectis per annos 1763—1768. p. 77.). Sed ultra hanc quoque Gileaditidem, atque ad ipsum Euphratem usque Israelitae transjordanenses Sauli tempore fines protulerunt. Nam 1 Paral. IV, 9. 10. haec legimus: *Ab oriente habitarunt Rubenitae, ab Euphrate fluvio usque ad desertum: greges enim eorum in Gileaditide valde creverant, unde Sauli tempore bellum gesserunt cum Hagarenis, quos vicerunt habitaruntque in tentoriis eorum, Gileaditidi ab oriente.* Antequam ergo Davides regnum ca-

pesseret, tres ultra Jordanem tribus desertis Arabiae usque ad Euphratem potiti erant, libere per illa greges pascentes, aliosque idem facere vetantes. Palmyra autem sive Thadmor, quae urbs diei tantum itinere ab Euphrate aberat, a Salomone aut condita aut munita erat. 1 Regg. IX, 18. 2 Paral. VIII, 4. Vid. omnino de Israelitarum finibus *Millii Dissertat. de Nilo et Euphrate Terrae S. terminis*, in Ejusdem *Dissertatt. selectis*, Lugd. Batav. 1743. p. 183. seqq.; *Michaelis* in *Jure Mosaico*, P. I. §. 21. seqq.; *J. E. Faber* ad *Harmeri Beobachtungen über den Orient*, P. II. p. 209 — 226.; *Bachiene* in *der Beschreibung von Palästina*, P. I. §. 80. 81.; *Shaw Itinerar.* p. 244—252. vers. germ.; et *Ikenii Dissertat. de finibus terrae promissae ejusque successiva occupatione*, in ejusdem *Dissertatt.* T. II. p. 95 — 138.

19. Qui in hoc Versu et duobus proximis nominantur populi, veteres Palaestinae incolae erant. *Kenaei*, הַקֵּינִי, et 1 Sam. XXVII, 10. XXX, 29. memorantur, quibus ex locis patet, eos in meridionali tribus Judae tractu habitasse. *Kennizaeorum*, הַקְּנִזִּי, nomen deletum esse conjicit Bochartus, *Phaleg.* Lib. IV. c. 36., eo temporis intervallo, quod inter Abrahamum et Mosen intercessit, quum Josua nec in agrorum divisione, nec in censu gentium a se devictarum Kenizaeorum mentionem faciat. הַקַּדְמֹנִי, *Kadmonaeos*, Bochartus in *Canaan*, Lib. I. c. 19. eosdem ac *Hevaeos* esse putat, qui supra X, 19. inter Cananaeos recensentur. Dicti fuerint קַדְמֹנִים *Orientales*, quod, uti Jos. XI, 3. Judic. III, 3. dicitur, occuparunt montem Hermon, quae pars erat terrae Cananaeae maxime orientalis.

20. De *Chittaeis* vide supra X, 15. De *Pherizaeis* ad XIII, 7. De *Rephaeis*, XIV, 5.

21. *De Amoraeis, Girgesaeis et Jebusaeis*, vid. supra ad X, 15. 16. *Cananaeis*, qui hic diserte nominantur, sensu stricto intelligenda est gens ea,

quae in regione Sichemi habitaverat; cf. not. supra ad XIII, 7.

7. ***Sara sterilis Hagaram Abramo pellicem dat, ab ea gravida spernitur, maleque ancillam habet. Hagara fugit, sed ab angelo jussa domum redit, et Abramo filium parit. Cap. XVI.***

Cap. XVI, 1. Nomen הָגָר Michaelis in *Suppl.* p. 497. putat ancillae non a parentibus inditum, sed potius cognomen esse a factis et fatis ejus desumtum, cujusmodi nomina passim in antiquissima historia occurrunt. Arabibus enim Verbum هَاجَرَ notat in III. Conjugatione: *discessit a suis, de regione in regionem migravit,* uti fit *propter persequutionem.* Cf. quae infra Vss. 6—16. narrata leguntur. Quum natu Aegyptia esset, haud credibile est, a parentibus nomen Hebraicum ei inditum fuisse.

2. עֲצָרַנִי יְהוָה מִלֶּדֶת *Occlusit me,* i. e. uterum meum (cf. infra XX, 18) *a pariendo,* impedit me Jova ne pariam. אוּלַי אִבָּנֶה מִמֶּנָּה *Forsan aedificabor ex ea,* LXX. ἵνα τεκνοποιήσωμαι ἐξ αὐτῆς, *ut habeam filios ex ea,* uti Hieronymus vertit. Liberos tamquam aedificium parentum sistit *Plautus* in *Mostellaria.* Act. I. Sc. 2. Vs. 38. seqq.

— — — nunc etiam volo
Dicere ut homines aedium similes arbitremini.
Primum dum parentes fabri liberûm sunt,
Et fundamentum substruunt liberorum, rel.

Alii Verbum hebraeum deductum volunt a בֵּן *filius,* ut אִבָּנֶה sit: *filiabor ex ea,* liberos ex ea suscipiam. Priori sententiae favent loca Exod. I, 21. Deut. XXV, 9., quibus de liberis procreandis eadem de aedificio desumta metaphorica loquendi formula usurpatur. Aben-Esra ad h. l.: הבן הוא כדמות בנין והאב כמו היסוד *Filius est instar aedificii, et pater quasi fundamentum.* Ceterum

patet tam ex hoc loco, quam ex alio infra XXX, 3., heram, quando ancillam viro permittebat, liberos, quos illa peperit, tanquam suos habuisse, quod et apud Sinenses moris esse, observavimus in libro nostro, cui epigraphe: *das alte und neue Morgenland*, P. I. No. 99. p. 142.

3. *Sumsit Sara, Abrami uxor, Hagaram, ancillam suam,* מִקֵּץ עֶשֶׂר שָׁנִים לְשֶׁבֶת אַבְרָם בְּאֶרֶץ כְּנָעַן *a fine decem annorum,* i. e. exactis decem annis, *ex quo Abramus in Cananaea consederat,* cum Abramus octoginta quinque et Sara septuaginta quinque annos esset nata, uti colligere est ex XII, 4., cf. infra XVII, 47. Hujus temporis mentione videtur innui, consilium Sarae et Abrami obsequium ex impatientia manasse, cum post longam exspectationem promissionem divinam non impletam cernerent. וַתִּתֵּן אוֹתָהּ לְאַבְרָם אִישָׁהּ לוֹ לְאִשָּׁה *Deditque eam Abramo, viro suo, ei* (videtur abesse לִהְיוֹת *ut esset ei*) *in uxorem.* Non erat tamen justae uxoris loco; nam in servitute mansit Sarae obnoxia. Uxor fuit, ut Plautus loqueretur, *usuraria* (*Amphitr.* Argum. Vs. 3.), ad prolem dumtaxat suscipiendam.

4. וַתֵּקַל גְּבִרְתָּהּ בְּעֵינֶיהָ *Vilis fuit hera ejus in oculis ejus,* sprevit heram suam. Credebat enim, se Sara gratiorem esse futuram Abrahamo, et herae imperiis subtracturam se, quod ei prolem paritura esset.

5. Verba חֲמָסִי עָלֶיךָ varie exponunt. LXX. ἀδικοῦμαι ἐκ σοῦ. Hieronymus: *inique agis contra me.* Onkelos: דִּין-לִי עִלָּךְ *lis,* contentio, *mihi contra te,* causam habeo, cur de te conquerar. Ludovicus de Dieu עַל h. l. eo usu capiendum censet, quo apud Arabas frequentissime obtinet, ut *debitum* et *officium* indicet, atque hebraea ita explicat: *injuria, quae mihi fit, tibi incumbit,* tuum est, eam praestare, mea injuria est tuum debitum a te praestandum. *A. Schultens* in *Animadverss. philologg.* ad h. l. sensum verborum hunc esse autumat: *injuriae mihi factae poena sit in te.* חָמָס enim saepe poe-

nam violentiae et injuriae denotat, ut Judic. IX, 24.; עַל vero, et Arabicum علي, poenam incumbentem. Similis phrassis occurrit Jerem. LI, 35. חֲמָסִי וּשְׁאֵרִי עַל־בָּבֶל *injuria mihi et carni meae*, i. e. cognatis meis, *facta sit super Babel.* Clericus: *contumelia, quae mihi fit, ad te pertinet.* Nos sensum haud dubitamus hunc esse: injuria, quae mihi infertur, tibi incumbit, tibi imputari debet; tu in culpa es, qui eam tolerare et defendere videaris, cum ad tantam illius insolentiam taces. Ita et Jonathan: כָּל עוּלְבָּנִי מִנָּךְ *omnis mea injuria a te.* חֲמָסִי Jarchi recte valere ait חמס העשוי לי *injuria mihi facta*, ut infra XXVII, 13. קִלְלָתְךָ *maledictio tua* est qua maledictus es; et L, 4. בְּכִיתוֹ *fletus ejus* est ejus qui deflebatur. Vid. et Jud. IX, 24. Eccles. IX, 5. 6. Postrema hujus Versus verba, יִשְׁפֹּט יְהוָה בֵּינִי וּבֵינֶיךָ *judicabit Jova inter me et te*, hoc sibi volunt: an te haec pati mihi fieri deceat, judicabit Deus, et delinquentem aut me, aut te plectet. Integra loquutio exstat 1 Sam. XXIV, 16. Vid. et Jud. XI, 27.

6. וַתְּעַנֶּהָ שָׂרַי *Et afflixit eam Sara*, i. e. male eam habuit, durius tractavit. LXX. καὶ ἐκάκωσεν αὐτὴν Σάρα.

7. וַיִּמְצָאָהּ מַלְאַךְ יְהוָה עַל־עֵין הַמַּיִם בַּמִּדְבָּר שׁוּר *Et offendit eam Jovae angelus ad fontem aquae in deserto.* Qui hic nominatur *nuntius*, sive *angelus* Jovae, infra Vs. 13. Jova vocatur. Ita saepius hisce in libris *Jova* et *Jovae angelus*, i. e. symbolum illud visibile, quo Deus sese hominibus conspiciendum praebuit, promiscue usurpatur; cf. Exod. III. עַל־הָעַיִן *Ad fontem illum.* ה ante עַיִן demonstrativum esse videtur, ut certus quidam et notus fons indicetur. Infra Vs. 14. dicitur בְּאֵר *puteus*, ut distinguatur a fonte e rupe, aut in terrae superficie fluente. Verum fons et *puteus* haud raro confunduntur, vid. infra XXIV, 11. 13. 16. שׁוּר est *Pelusium* ad Nili ostium, teste *Josepho Antiqq. VI*, 7, 3., qui pro Hebraicis מֵחֲוִילָה בּוֹאֲךָ שׁוּר (1 Sam. XV, 7.) haec Graeca

habet: Τοὺς ἀπὸ Πηλουσίου τῆς Αἰγύπτου, ἕως τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης. Desertum autem ante Schuram hodie dicitur جفار Dschofar. Vid. J. D. Michaelis Not. ad *Abilfedae Aegyptum*, No. 141. p. 66., ejusdemque *Supplemm.* p. 2300. Onkelos שׁוּר reddidit חַגְרָא, et accuratius Saadias: *in via* حجر الحجاز *Hedschrae* (mendose in Polyglottis حجز) *el-Hedschas*, provinciae Arabiae Palaestinae australi conterminae, quam miror J. D. Michaeli in *Supplemm.* p. 2301. ignotam fuisse. De urbe Hedschra falso pro Petra habita, vid., quae docte disputavit *A. Schultens* in Indice Geographico Vitae Saladini addito, s. v. *Errakim.* Cf. *Büschingii Erdbeschreib.* P. V. p. 625.

11. וְקָרָאת שְׁמוֹ יִשְׁמָעֵאל *Et vocabis nomen ejus Ismaël.* Infra Vs. 15. Abramus id nominis filio suo imposuisse dicitur, monente nimirum Hagara. Tam a matre, quam a patre, nomen liberis imponi solebat, vid. infra XXIX, 32. seqq. XXXVIII, 3. 4. Nomen יִשְׁמָעֵאל, quo appellandus erat filius, designat: *audit Deus*, scil. querelas, preces, quas fudit Hagara, earumque rationem habuit.

12. וְהוּא יִהְיֶה פֶּרֶא אָדָם *Et ille erit onager homo,* i. e. homo referens onagrum, praeditus indole onagri. פֶּרֶא est *onager*, qui et עָרוֹד vocatur, vid. Job. XXXIX, 5., nec, uti vult *Sam. Oedmann* in *den Sammlungen aus der Naturkunde etc.* P. II. p. 1. seqq., diversum ab illo animal; cf. quae notavimus ad *Bocharti Hieroz.* T. II. p. 220. edit. Lips. Frequens invenitur illud animal in Tartariae, Syriae et Arabiae desertis. Mongoli *Dsiggetai* h. e. *longas habens auras* (*Langohr*) vocant. Medius est hic ἡμίονος (ut eum adpellat Aristoteles, *Hist. Animal.* L. VI. c. 36.) inter equum et asinum; sed pulchrior et procerior vulgari asino, quem et cursu celeri longe superat, unde et nomen accepit; nam פֶּרֶא Chal-

daeis est *currere*, et عَرَنَ (unde alterum nomen עָרוֹד) *fugit*, *aufugit*. Fugiunt enim onagri hominum adspectum, nec domari, nec mansuefieri ullo modo possunt. Plura vide in *Bocharti Hieroz.* P. I. L. III. Cap. XVI. p. 868., Tom. II. p. 215. seqq. edit. Lips. Apte igitur Ismael et ejus posteri, Arabiae deserta occupantes, onagris comparantur, quod in deserto vitam essent acturi. Et aliis V. T. locis feroces homines et solitarii cum his animalibus comparantur, ut Job. XI, 12. XXIV, 5. Hos. VIII, 9. Arabum Nomadum vagum et ferox vitae genus, quod etiamnum agunt, satis est notum. Pulcherrime eorum mores describit Ammianus Marcellinus Lib. XIV. C. 10. *Nec eorum quisquam aliquando stivam apprehendis, vel arborem colit, vel arva subigendo quaeritat victum: sed vagantur semper, errantque per spatia longe lateque distenta, sine lare, sine sedibus fixis aut legibus, nec idem perferunt diutius coelum, nec tractus unius soli illis unquam placet. Vita est illis semper in fuga.* יָדוֹ בַכֹּל וְיַד כֹּל בּוֹ *Manus ejus in omnes et omnium manus in eum*, i. e. omnium adversarius erit, eumque vicissim omnes infestabunt. Ismaelitae, sive Arabes, erraticum vitae genus agentes adhuc hodie Arabiam omnem, et vicinarum regionum fines latrociniis infestos faciunt. In quoslibet, si impune possint eos spoliare, impetum faciunt, omnesque vicissim ab eis cavent; uti notum est ex itinerariis. Vide *das alte und neue Morgenland*, T. I. 39. p. 58. seqq. וְעַל־פְּנֵי כָל־אֶחָיו יִשְׁכֹּן *Ad faciem omnium fratrum suorum habitabit*, i. e. fratribus suis ab Oriente. Hebraei enim cum situm regionis describere volunt, faciem ad orientem convertere solent; cf. infra XXV. 18. Jos. XV, 8. Constat, Ismaelitas regiones Hebraeis orientales inhabitasse, unde בְּנֵי־קֶדֶם *filii Orientis* vocantur, Job. I, 3., ad quem loc. vid. not. Alii עַל־פְּנֵי *adversus*, *contra* notare volunt, ut sensus hic sit, Ismaelis ita numerosos futuros, ut nemo iis resistere possit.

13. אַתָּה אֵל רֳאִי *Tu Deus visionis* (est enim ראִי nomen quale עֳנִי *afflictio*, אֳנִי *navis*), i. e. conspicuus, qui se conspiendum praebet, more Hebraeorum, qui Adjectiva duobus Nominibus substantivis statu regiminis positis exprimere solent. Ita Ps. XXIX, 3. אֵל־הַכָּבוֹד *Deus gloriae* est Deus gloriosus. LXX. רֳאִי habuere pro Participio cum Suffixo primae Personae, nam reddiderunt: ὁ ἐπιδών με, quod sequutus Hieronymus: *qui vidisti me*. Sed id foret רֹאֵנִי, sive, in pausa, רֹאָנִי, ut Jes. XLVII, 10. Hebraea recte expressit Syrus: ܐܢܬ ܗܘ ܐܠܗܐ ܕܚܙܘܐ *tu es Deus visionis* (male in Polyglottis legitur ܒܚܙܘܐ, rectum ex Ephremo dedimus). Ceteri interpretes verba textus minus accurate reddiderunt. Onkelos: אַתְּ הוּא אֱלָהָא חָזֵי כוֹלָּא *tu es Deus videns omnia*. Saadias: أنت القادر الرآي *tu es potens videns*. Arabs ab Erpenio editus: أنت الحى الناظر *tu es vivens videns*. Ceterum quod Hagara hic Deum, qui cum ipsa colloquutus esset, אֵל רֳאִי vocasse dicitur, Clericus observat non significari, illam Deo novum nomen indidisse, sed duntaxat exclamasse: hic demum Deus est, qui se conspici patitur. Warburtonus vero in opere *de legatione Mosis divina*, L. IV. Sect. 6. existimat, Hagaram, Aegyptiam, pro more gentis suae Deo, qui ipsi apparuisset, tribuisse honoris nomen. Vid. *das alte und neue Morgenland*, T. I. No. 40. p. 61. Postremum hujus Versus membrum, הֲגַם הֲלֹם רָאִיתִי אַחֲרֵי רֹאִי interpretes varie exponunt. LXX. רֹאִי, ut antea רֳאִי, Participium cum Suffixo rati, sic vertunt: καὶ γὰρ ἐνώπιον εἶδον (al. ἴδον) ὀφθέντα μοι. Nec multo felicius Hieronymus: *profecto hic vidi posteriora videntis me*. Obversatus ejus menti est Exod. XXXIII, 23., quo Jova Mosi, roganti ut sibi ejus majestatem conspiciendam praebeat, respondet: וְרָאִיתָ אֶת־אֲחֹרָי *tum posticam mei partem videbis*. Syrus: ܗܐ ܐܦܝ ܚܙܐ

ܗܐ ܐܦ ܚܙܘܐ ܚܙܝܬ ܒܬܪ ܕܚܙܢܝ *en! etiam visionem vidi, postquam me vidit.* Similiter Arabs ab Erpenio editus: ايضا هنا رايت بعد نظرني *etiam hic vidi, postquam me vidit.* Saadias verba, quae elliptica opinatus est, sarcienda putavit: إِنِّي رَأَيْتُ هَاهُنَا رَحْمَتَكَ بَعْدَ رُؤْيَتِي الشَّقَا *profecto ego vidi hic misericordiam tuam, postquam vidi miseriam.* Jonathan: הָא בְרַם הָכָא אִתְגְלִיאַת יְקַר שְׁכִינְתָּא דַיְיָ בָּתַר חֶזְוָא *Ecce vero* hic *revelata est gloria majestatis Dei post visionem.* Jarchi locum sic interpretatur: miror, me etiam hic in deserto videre Dei nuncium, quae assueta fui videre eum in domo Abrahami; neque enim territam Hagaram fuisse viso angelo, quum contra Manoa propter hujusmodi visionis insolentiam crediderit, se statim occisum iri, Jud. XIII, 22. Aben-Esra: annon hic vidi angelum Dei, postquam Deus vidit afflictionem meam? quasi dicat: jam novi, quod tu, Deus, vere sis *Deus visionis* et cures omnia, quum etiam in hoc tam miserabili statu meo, in hoc tam vasto deserto, conspiciendum te mihi praebeas, meique curam geras. Kimchi in Lexico verba hoc modo exponit: *numquid hic vidi, postquam fui videns?* i. e. dum loqueretur mecum non cognovi, eum esse Dei angelum, sed ut lapsus est subito ab oculis meis jam cognovi, esse Dei nuncium; vidi igitur aliud, postquam evanuit a conspectu meo, quam quum loqueretur mecum. Qui omnes tamen videntur in eo errasse, quod רֹאִי ceperunt vel pro אֲנִי רֹאֶה, vel pro רֹאֶה אֹתִי, quum tamen vix dubium sit, esse idem, quod proxime praecessit, nomen רֳאִי, mutato tantum, propter pausam, Schva composito, in analogam Vocalem longam. Quare locus ita reddendus erit: *an etiam hic video,* i. e. lucem adspicio, adhuc vivo, *post visionem,* scil. Dei, seu angeli ejus mihi oblatam. Ita jam Onkelos: אַף אֲנָא שָׁרֵיתִי חָזְיָא בָּתַר דְאִתְגְלֵי־לִי *etiam ego mansi videns postquam manifestavit sese mihi?*

Miratur Hagara, sibi adhuc post visionem relictum esse luminum usum, quum lux, qua Deus et angeli splendebant, occoecare et posset, et crederetur; vid. Luc. II, 9. Act. IX, 3. 8. Quinimo et qui ejusmodi *ἐκστασίας* habuerant vitae suae interdum timebant, vid. infra XXXII, 30. Deut. XVIII, 16. Jud. VI, 22. 23. „Crediderunt certe etiam ethnici caecitatem conspectorum Deorum poenam esse. Plutarchus in *Parallelis*, initio, de Polyzelo, uno ex ducibus Atheniensium, qui ad Marathonem pugnarunt: *ὑπὲρ ἄνθρωπον φαντασίαν θεασάμενος τὴν ὅρασιν ἀπέβαλε, καὶ τυφλὸς ἐγένετο. Spectro, homine augustiore, conspecto, visum amisit, et caecus factus est.*“ *Cleric.*

14. קָרָא *Vocavit* scil. הַקֹּרֵא *vocans*, i. e. vocatur, impersonali loquendi genere, quo Hebraei uti solent, de quo vid. *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 797. לַבְּאֵר *Puteum illum*, quem supra Vs. 7. עֵין הַמַּיִם *fontem aquae*, i. e. puteum aquam habentem vocavit. Nam sunt et putei in locis illis siticulosis, qui aquâ carent. בְּאֵר לַחַי רֹאִי *Puteum viventis*, i. e. Dei, *visionis*, i. e., ut recte Onkelos, בֵּירָא דְמַלְאַךְ־קַיָּמָא אִתְחֲזֵי עֲלַהּ *puteum angeli viventis, qui visus erat ad eum.* חַי hic ponitur pro אֵל חַי *Deus vivens* (oppositus falsis diis, qui sunt *mortui*, Ps. CVI, 28.), quomodo Jos. III, 10. dicitur, et Dan. XII, 7. חֵי־הָעוֹלָם *vivens in aeternum.* Vater, quem sequitur Gesenius in Lexico Hebraico minori, vertit: *puteum vitae, visionis*, i. e. ad quem conspicitur Deus sine vitae jactura. Quod tamen durius videtur. Pro לַחַי Michaelis (*Oriental. Biblioth.* P. IX. p. 185.) pronunciandum putat לְחִי. Haec vox enim, quae proprie *maxillam* notat, saepe fit nomen proprium locorum, ubi in petrae cavitate fons oritur, ut Jud. XV, 19. Conjectura supervacanea, cui neque codices neque versiones antiquae favent. De קָדֵשׁ vid. not. supra ad XIV, 7. בֶּרֶד nomen loci plane ignoti est. Onkelos reddit חַגְרָא, quod ipsum supra Vs. 7. pro שׁוּר posuit; vid. ibi not.

16. וְאַבְרָם בֶּן־שְׁמֹנִים שָׁנָה וְשֵׁשׁ שָׁנִים *Et Abramus erat filius octoginta annorum et sex annorum.* Alias in antiquioribus V. T. libris minor numerus praeponi solet, in serioribus major numerus, ut hic. Attamen et in nonnullis aliis hujus primi libri locis idem, qui hic, ordo observatur, ut infra XVII, 1. XVIII, 28. XLVI, 15. Vid. *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 616.

8. *Deus Abramo multam sobolem promittit, Abrahamumque vocari jubet, et circumcisionem praecipit. Pollicetur etiam ei Isaacum filium ex Saraï, quam Saram in posterum vocari vult. Ex Ismaële plures tribus ortum ducturas docet. Abramus se et totam familiam circumcidit. Cap. XVII.*

Cap. XVII. 1. Annis aetatis Abrami, qui hic memorantur, comparatis cum iis, qui sub finem Capitis superioris indicantur, patet, inter ea, quae dehinc facta narrantur et superiora intercedere tredecim annos. De nomine שַׁדַּי, quo sese Deus hic appellat, docte disseruit *Conr. Ikenius* in peculiari Dissertatione, quae in ejusdem *Dissertationibus Philologico-Theologicis*, Lugd. Batav. 1749. T. I. est prima. Ostendit, notare *validum, potentem*, collato Arabico شَدَّ, *potentia et robore valuit.* Est autem י = terminatio Pluralis, seu forma nominibus collectivis exprimendis inserviens, vid. *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 525., et שַׁדַּי pro Plurali excellentiae, ut אֲדֹנָי, habendum, quasi dicas: *potentissimus.* LXX. plerisque in locis παντοκράτωρ vertunt, reliqui veteres Graeci interpretes ἱκανός, rati שַׁדַּי esse pro שֶׁיֵּשׁ דַּי seu שֶׁדַּי *qui est sufficiens*, scil. לְעַצְמוֹ, aut, qui sufficiens est ad omnia, quae vult praestanda, quae est Raschii explicatio, plerisque Hebraeorum recepta, expressa quoque ab utroque Arabico interprete per الكافي

sufficiens. Frequens Arabibus formula كَفِيَ بِٱللّٰهِ نَصِيرًا *sufficit Deus adjutor*, v. c. in Corano Sur. IV, 47. Istam nominis שַׁדַּי interpretationem pluribus commendavit *Steph. Souciet* in peculiari de hoc nomine Commentatione, quae inest Syntagmati Dissertatt. tacito auctoris nomine edita hac epigraphe: *Requeil de Dissertations critiques sur des endroits difficiles de lecriture sainte* etc. Paris, 1715. in quat., p. 200. seqq. et 215. seqq. Cf. *J. D. Michaelis* in Not. 110. ad Lowthi librum de *S. Hebraeor. Poësi*, p. 583. edit. Lips. et in *Supplemm.* p. 2284. שַׁדַּי ex Arabico سَدَا (pro سَدَوَ) *summam rei conscendere*, interpretatur *summi coeli sessorem*, τὸν ἐπουράνιον, ut LXX. Ps. LXVIII, 15. vertunt. De phrasi הִתְהַלֵּךְ לְפָנַי vid. supra ad V, 22. De תָמִים vid. quae notavimus ad Ps. XV, 2.

2. וְאֶתְּנָה בְרִיתִי בֵינִי וּבֵינֶךָ *Foedus tecum inibo.* Foedus *generale* jam inierat Deus cum Abrahamo Cap. XV., sed hic *speciale* circumcisionis spectatur, ut liquet ex sequentibus.

5. וְלֹא־יִקָּרֵא עוֹד שִׁמְךָ אַבְרָם וְהָיָה שִׁמְךָ אַבְרָהָם *Non amplius Abramus, sed Abrahamus voceris.* אַבְרָם *patrem altum* significat, compositum ex אַב *pater* et רָם *altus, excelsus*, אַבְרָהָם vero *patrem magnae multitudinis*, ex אַב et רָהָם رُهَام, *numerosa multitudo*, compositum. Vid. *Ikenii Dissert. de mutatione nominum Abrahami et Sarae*, in ejus *Dissertatt. philologg.* T. I. p. 10. seqq. Mos fuit apud Orientales, non modo infantibus nomina, quae bonum omen haberent, et quae faustum quiddam significarent, imponere; sed etiam homines adultos nomen mutare, si quid singulare eis evenisset. Sic Ruth I, 20. *Nohomi*, cujus nomen *amoenam* sonat, amissis viro et filiis jubet se *Maram* vocari, i. e. *amaram*. Similiter Christus Matth. XVI, 18. Apostolo, qui a pa-

rentibus Simeon dictus erat, nomen *Cephae*, i. e. *Petri* indidit. Plura de hoc more, qui hodienum in Oriente manet, dedimus in *dem alten und neuen Morgenl.* P. I. No. 41. p. 63. seqq.

6. וּמְלָכִים מִמְּךָ יֵצֵאוּ *Et Reges ex te egredientur*, reges intellige Israelitarum, Idumaeorum, Ismaelitarum aliorumque populorum, qui ex Abrahamo per Isaacum, Ismaelem et filios Cethurae oriundi erant.

8. וְהָיִיתִי לָהֶם לֵאלֹהִים *Et ero illis Deus.* His verbis Deus significat, se verum et se illis prae ceteris populis benefacturum esse. Deus enim *eorum Deus* esse dicitur, quibus singulari ratione favet. Ita Latini quoque loquuntur, ut observavit *Joh. Frid. Gronovius Observatt.* Lib. IV. Cap. 17. Veluti *Aeneid.* II, 396.

Vadimus immixti Danaïs haud numine nostro.

Tibullus Lib. III. Eleg. 3. Vs. 28.

Audiat aversa non meus aure deus.

10. זֹאת בְּרִיתִי *Hoc* est *foedus meum*, i. e. foederis me inter et vos initi signum, uti dicitur Vs. 11., cf. supra IX, 12. Circumcisionem tesserae instar Deus vult haberi, qua suos sit agniturus. הִמּוֹל לָכֶם כָּל־זָכָר *Circumcidi vobis omnem masculum*, ut circumcidatur vobis omnis mas, quod mox Vs. 11. disertius ita exprimitur: וּנְמַלְתֶּם אֵת בְּשַׂר עָרְלַתְכֶם *et circumcidatis carnem praeputii vestri.* Vix dubium est, eum ritum Abrahamo jam notum fuisse. Apud Aegyptios enim et Aethiopes jam ante Abrahami tempora haec consuetudo recepta esse videtur munditiei causa. *Herodotus* Lib. II. Cap. 104. Μοῦνοι πάντων ἀνθρώπον Κόλχοι καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Αἰθίοπες περιτάμνονται ἀπ᾽ ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ᾽ Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. *Soli omnium Colchi, Aegyptii et Aethiopes a principio pudenda circumcidebant, Phoenices autem et Syri, qui Palaestinam incolunt, consuetudinem illam ab Aegyptiis accepisse confitentur.* Quod idem asserit Diodorus Siculus L. I. C. 28. p. 17. b. ed. Rhodom. „Ani-

madverti meretur, Circumcisionis ritum, sicut apud Abrahamidas, ita quoque apud Aegyptios, actum fuisse religiosum, signum et veluti tesseram singularis in religione puritatis et castimoniae. Apud Aegyptios enim ad circumcisionem nemo tenebatur, nisi sacerdos mysteriis religionis initiandus, qui rerum divinarum curam agebat, et ad scientias sacras admittebatur (vid. Horapollo *Hieroglyph.* L. I. Cap. 14. Origenes in Epist. ad Rom. L. II. Anaxandrides apud Athenaeum L. VII. p. 300.). Solebant id observare etiam ex aedituis templorum religiosissimi quique (Cyrillus Alexandr. *adversus Julian.* L. IX. p. 298.). Erat igitur circumcisio Aegyptiorum religiosa quaedam confoederatio, ut illa Abrahamidarum." *P. E. Jablonski Panth. Aegypt.* Prolegom. p. 14. Plura de circumcisionis ritu erudite disseruit *Spencerus* de *Legibus Mosaicis ritual.* L. I. C. V. Sect. II—V. p. 19. seqq. ed. Hag. Comit. 1686. 4. (p. 48. ed. Tubing. fol.) quocum cf. *J. D. Michaelis Mosaisches Recht.* P. IV. §. 184. seqq., et *G. B. Winer bibl. Realwörterbuch.* P. 99.

12. וּבֶן־שְׁמֹנַת יָמִים יִמּוֹל לָכֶם *Et filius octo dierum circumcidetur vobis. Octavo demum die* infantes pueros circumcidi Deus jussit, quia ante eum diem infirmior est infans, quam ut par sit dolori.

14. וְעָרֵל זָכָר אֲשֶׁר לֹא־יִמּוֹל אֶת־בְּשַׂר עָרְלָתוֹ *Praeputiatus vero mas, cujus caro praeputii circumcisa non fuerit.* Agitur de incircumcisis adultis, qui circumcidi se neglexerunt, quum eorum circumcisio esset a parentibus intermissa, qui igitur a parentibus neglectam circumcisionem approbaverunt. וְנִכְרְתָה הַנֶּפֶשׁ הַהִוא מֵעַמֶּיהָ *Exscindetur illa anima e populo suo. Excisionem* non fuisse poenam forensem, seu a judicio aliquo humano pependisse, sed divinitus infligendam, Hebraei statuunt fere unanimes, atque non solum quidem Rabbanitae, sive illi, qui Talmudis placita amplectuntur, verum et Karaei, qui rejectis traditionibus solum codicem sacrum credendorum

et agendorum normam habent, uti pluribus ostendit *Jo. Seldenus* tam in opere *de jure nat. et gentium ex discipl. Hebraeor.* Lib. VII. Cap. 9., quam in libro *de Synedriis vett. Hebraeor.* L. I. Cap. 6. Atque pari illi illustrissimo sectarum Hebraeorum refragari, idem judicat Seldenus (*Synedr.* p. 70.), quod in Jure Caesareo tam Sabinianis Cassianisque, quam Proculianis etiam Ulpianis, Paulis, Papinianis, ejusmodi reliquis, interpretando ex novis ingenii commentis, novo verborum sensu audacius adversari. Sane Hebraeorum sententiae, poenam כָּרֵת *excisionis* esse mortem a Deo ipso modo qualicunque inflictam, favent loca, in quibus Deus minatur, se ipsum ejusmodi poenas de reis sumturum, ut Levit. XVIII, 10. *Vultum meum convertam in hominem comedentem sanguinem, et exscindam* (וְהִכְרַתִּי) *eum e medio populo suo.* Vid. et Levit. XX, 5. 6. XXIII. 30. Et Act. III, 23. ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ· usurpatur loco hujus phraseos אֶדְרֹשׁ מֵעִמּוֹ *requiram ex eo*, Deut. XVIII, 19., ubi videtur Deus sibi poenam illam exigendam servare. Christiani vero interpretes pars mortem a judicibus decretam, pars excommunicationem, seu juris civitatis Hebraicae privationem, excisionis poenâ significari existimant. His accensendus Clericus, qui *exsilii* poenam excisione e populi Hebraeo intelligi opinatur. „Crediderim," inquit, „si quis ante Legem a Mose latam, Remque publicam Hebraeam constitutam, circumcisionem neglexisset, eum quasi alienum a consanguineis expulsum, post Legem vero ei ex Israelitico solo migrandum fuisse, quippe qui inter Hebraeos amplius non habebatur; aut si in exsilium non mitteretur, eodem loco habitum ac ethnicos, qui commerciorum causa inter Judaeos versabantur, praedia nulla inter eos possedisse, et jure, quo soli fruebantur Hebraei, excidisse." Quam suam sententiam confirmari putat Versibus quibusdam inter Petronii fragmenta, quibus de Judaeo, qui *non ferro succiderit inguinis oram*, dicitur: *exemtus populo Grajam migrabit ad urbem.* Exilium, seu certe juris civis Hebraei amissionem *excidii* poenâ si-

gnificari, et J. D. Michaelis in Notis ad versionem Geneseos teutonicam sententia fuit, quae tamen postea ipsi dubia visa, vid. *Mosaisch. Recht*, P. V. §. 237. p. 41. edit. prim.

15. Nomen uxoris Abrahami, שָׂרַי, Deus jubet in שָׂרָה mutari. De utriusque nominis significatu erudite disseruit *Conr. Ikenius* in Dissertatione *de mutatione nominum Abrahami et Sarae*, quae est *secunda* Tomi prioris *Dissertatt.* ejus *theolog. philologg.*, docuitque p. 23. collato Arabico سَرَأَ, *numerosam prolem habuit*, שָׂרָה *mulierem proliferam* sive *foecundam* significare; quam significationem fortasse LXX. respexerunt, qui Σάῤῥα habent, atque omnem nominis mutati differentiam in una duplicatione litterae ρ ponunt. Quod huic derivationi opposuit Michaelis (in *Biblioth. Orient.* P. IX. p. 188.), Arabicum سَرَأَ habere Eliph hamzatum, adeoque Hebraice שָׂרָא non שָׂרָה pronunciari debere, jam diluit Ikenius l. l. observando, nihil frequentius esse in linguis Hebraeae cognatis literarum א et ה permutatione, et ipsum hoc nomen ab interprete Syro tam V. quam N. T. semper per Olaph ܣܳܪܐ scribi. Prius uxoris Abrahami nomen, שָׂרַי (formae שָׂמַי et מַי), Ikenius probabiliter exponit *generosam, nobilem*, ex Arabico سَرَى *liberalis, generosus fuit*, unde سَرِيّ *generosus, principalis*, et ipse *princeps*. Sic in Abulpharagii *Hist. dynastiar.* p. 396. دَارٌ سَرِيَّةٌ est *domus principalis*, palatium. Alias nominis utriusque, שָׂרָה et שָׂרַי explicationes recensuit dijudicavitque Gesenius in Appendice I. ad Lexicon hebraicum majus p. 1309. Vid. et *J. A. Kanne bibl. Untersuchungen*, P. II. p. 227. seqq. Ceterum nomina mutare, ob memorabiles, qui ipsis accidunt, eventus, illa-

rum regionum hominibus hodienum non est infrequens; vid. *das alte und neue Morgenland*, P. I. No. 41. p. 63. seqq.

17. וַיִּפֹּל אַבְרָהָם עַל־פָּנָיו וַיִּצְחָק *Tum concidit in faciem Abrahamus subrisitque.* Verbo צָחַק neutiquam exprimitur *laetitia* atque *exultatio*, quemadmodum Onkeloso decepti (qui חֲדִי *laetatus est* posuit) haud pauci opinati sunt, sed revera *risus*, ut rebus novis et non exspectatis risus oboriri solet, prae stupore, ut apud se obstupescens secum ita reputarit: anne centenario proles gigni poterit, et quidem e *Sara*, e qua in juventute et toto superiori tempore non genui? Rectius itaque Onkeloso duo reliqui Chaldaei paraphrastae reddiderunt תְּמַה *obstupuit*, admiratus est. Cf. quae de hoc loco scripsit Seidenstücker in *dem Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte*, Henkii cura instructo, T. II. Fasc. II. p. 427—432.

18. לוּ יִשְׁמָעֵאל יִחְיֶה לְפָנֶיךָ *Utinam Ismael vivat coram te!* i. e., te eum respiciente, ac tuente salvum et incolumem. Onkelos: לְוַי יִתְקַיַּם קֳדָמָךְ *utinam maneat*, vivus conservetur *coram te.* Minus accurate Jonathan: לְוַי יִתְקַיַּם קֳדָמָךְ וְיִפְלַח קוּמָךְ *utinam vivat coram te, et te colat.* Quod sequutus Jarchi, qui exponit: יחיה ביראתך *vivat in timore tui.* Sed hoc esset יִתְהַלֵּךְ לְפָנֶיךָ *ambulet coram te*, ut supra Vs. 1.

19. *Vocabisque nomen ejus* יִצְחָק, a risu illo, de quo Vs. 17. Tertia persona Futuri haud raro nomina propria format, ut *Jacob, Jair, Jabin*, rel. וַהֲקִמֹתִי אֶת־בְּרִיתִי אִתּוֹ לִבְרִית עוֹלָם לְזַרְעוֹ אַחֲרָיו *Statuamque foedus meum cum eo in foedus seculi*, i. e. perpetuum, *semini ejus post ipsum.* Pro לְזַרְעוֹ videtur dicendum fuisse אֶת־זַרְעוֹ *cum semine ejus*, uti praecessit אִתּוֹ. Sed valet haud dubie: *pro* semine ejus, i. e. in ejus commodum. LXX. Εἶναι αὐτῷ θεὸς καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ μετ᾽ αὐτοῦ. Addiderunt de suo: *ut sim ei Deus.* Sed copulam ante לְזַרְעוֹ exhibent et codex Samaritanus, Hieronymus

Arabs uterque, Persa, et plures hodierni codices, quos enumeravit de Rossi, quo referente Norzius testatur, se reperisse notatum in antiquo codice MS., *extare codices, qui legant hic copulam, sed eam abesse in codice Hispano.* Neque sane illa est opus.

20. וּלְיִשְׁמָעֵאל שְׁמַעְתִּיךָ *Et de Ismaële*, s. Ismaëlem quod attinet, *audivi te*, annuam votis tuis. Abrahamus, nempe, sobolem ex eo sibi optaverat. שְׁנֵים־עָשָׂר נְשִׂיאִם יוֹלִיד *Duodecim principes gignet.* De hisce duodecim Ismaelitarum Phylarchis, sive ducibus tribuum vid. infra XXV, 12. seqq., ubi eorum nomina recensentur.

22. וַיַּעַל אֱלֹהִים מֵעַל אַבְרָהָם *Et ascendit Deus ab Abrahamo*, ita et infra XXXV, 13. Pro אֱלֹהִים Onkelos posuit יְקָרָא דַיְיָ *gloria Dei;* videtur *nubem* splendentem, aut simile quid, intelligere, quae species in altiora loca abiit et tandem evanuit. Cf. Jud. XIII, 20.

9. *Tres angeli Abrahamum invisunt, ei ex Sara Isaacum pollicentur, et praedicunt exscidium urbium planitiei Jordanis. Abrahamus pro Sodomitis orat, sed frustra. Duo angeli Sodomam profecti hospitio excipiuntur a Loto; his conantur illudere Sodomitae, exitio urbis Lotus eripitur cum filiabus, sed perit ejus uxor. Fugit primum Zoaram, quae propter eum servatur, deinde abit in montes vicinos, ubi cum filiabus concumbit, unde Moabitarum et Ammonitarum origo. Cap. XVIII. XIX.*

Cap. XVIII, 1. וַיֵּרָא אֵלָיו יְהוָה *Apparuitque ei,* Abrahamo, *Jova;* quod generatim ei, quae sequitur, narrationi praemittitur, in qua modus, quo Jova apparuerit Abrahamo, plenius exponitur. בְּאֵלֹנֵי מַמְרֵא *In terebinthis Mamres,* ita vocabatur locus, ubi tum Abrahamus habitabat; vid. supra XIII, 18. XIV, 13. יֹשֵׁב פֶּתַח הָאֹהֶל Onkelos recte vertit יָתֵיב בִּתְרַע מַשְׁכְּנָא *sedens* fuit *in ostio,* seu *ad ostium tabernaculi,* omisso ante פֶּתַח prae-

fixo ב aut אֶל, qua ellipsi nihil frequentius. Notat Jarchi, sedisse Abrahamum ad ostium sui tentorii, tempore meridiano (כְּחֹם הַיּוֹם *circa aestum diei*, LXX. *μεσημβρίας*), ut videret, si quis praeteriret, utque praetereuntem in domum suam reciperet; ab hospitalitate Orientalium non alienum; cf. ad Vs. sequ.

2. „Bis in hoc Versu," inquit Jarchi, „adhibitum וַיַּרְא prima vice est sensu proprio, de visu, capiendum, altera vero valet *intelligere;* intellexit videlicet Abrahamus, tres viros uno in loco subsistere, nec velle ipsi molestiam creare, domum ejus subeundo." וַיִּשְׁתַּחוּ אָרְצָה *incurvavit se ad terram,* honorem eis exhibuit, ut homines solebant invicem in iis oris salutare, vid. infra XXIII, 7. 12., XXXIII, 3. 6. 7. De adoratione, qualis deo regibusque exhiberi solebat prostrato ad terram toto corpore, hic non est cogitandum, quum Abrahamus tres viros istos non angelos agnoverit, ac multo minus unum eorum coeli et terrae creatorem, neque enim cibum iis obtulisset. Iter facientes hospitii egenos illos existimavit. Ex iis demum, quae infra Vs. 21. seqq. leguntur, Abrahamo innotuit, quisnam sit ille, quocum colloqueretur.

3. Nomen אֲדֹנָי, plurale excellentiae, in Singulari *dominus* vertendum, ut שַׁדַּי (vid. supra ad XVII, 1.), ultimae syllabae Camez adscriptum habens, nonnisi de Deo usurpari constat, ut ab אֲדֹנַי *domini mei* discernatur (cf. Gesenii *Ausführl. Lehrgeb.* p. 524.), quare et hic Onkelos יְיָ *Jova,* posuit, Arabs Erpenii: يا الله *o Deus,* Saadias يا ولي الله *o vicarie Dei,* LXX. *Κύριε,* et Syrus ܡܳܪܝܳܐ *o domine!* Atque ne *domini mei* hoc loco quis reddat, cavere voluerunt Masorethae apposita nota marginali קדש, qua significatur nomen divinum hic esse. Nobis tamen haud dubium, ex mente scriptoris esse אֲדֹנִי *mi domine* legendum. Quum enim Abraham roget hospitem, ut *lavet pedes etc.* non credi-

bile est, eum statim intellexisse, non hominem, sed Deum esse, quocum loqueretur. Cf. not. ad Vs. 2. Videtur autem Abrahamus eum ex his tribus viris compellasse, quem principem, sive honoratiorem reliquis putabat; loquitur enim in hoc Versu in numero singulari. אִם־נָא מָצָאתִי חֵן בְּעֵינֶיךָ *Si, quaeso, inveni gratiam in oculis tuis*, i. e. si qua mihi est apud te gratia. „Latini simili oratione utebantur aliquid rogaturi. Procne, apud Ovidium, Terea virum rogatura, aut se Athenas mitteret, aut sororem illinc accerseret, sic preces orditur *Metamorph.* VI, 440.

Cum blandita viro Procne, si gratia, dixit,
Ulla mea est, vel me visendam mitte sorori,

hoc est, si mihi faves, si quid a te impetrare possum, quae Hebraicae φράσεως vis est.“ Cleric. Talis hospitalitas, qualis Abrahamus hic exemplum praebet, hodienum in pluribus Orientis regionibus, et apud ipsos latrocinantes Arabes invenitur. Certe in illis regionibus incultis atque desertis, ubi diversoria paene nulla, nisi in urbibus magnis, longis intervallis distantibus, peregrinis patent, hospitalitas et aequa et necessaria est. Non autem fuit hospitibus mos pulsandi ostium, aut eos quorum hospitio excipi cupiebant, priores alloquendi. Solebant potius in via stare, expectantes dum aliquis eos alloqueretur. Sic apud Homerus *Odyss.* A. Vs. 103. Minerva sub specie Mentis Taphi, hospitis Ulyssis:

Στῆ δ' Ἰθάκης ἐνὶ δήμῳ, ἐπὶ προθύροις Ὀδυσῆος,

donec Telemachus, sicut hic Abrahamus viris, ei obviam it, et eam ad convivium ducit. Cf. *das alte und neue Morgenland*, T. I. No. 44. p. 69. et T. VI. No. 333. p. 82. seqq.

4. יֻקַּח־נָא מְעַט־מַיִם וְרַחֲצוּ רַגְלֵיכֶם *Adferetur aquae aliquantulum aquae lavate pedes vestros.* Mos erat hospitibus lavari, ab antiquissimis temporibus ad Apostolica usque deductus, vid. infra XIX, 2. XXIV, 32. Jud. XIX, 21. 1 Tim. V, 10. Quod in calidis illis regionibus post aliquantum iter confectum ad recreandos hospites paene

necessarium est. Quia enim Orientales cum soleis tantum, pedibus alligatis, aut penitus discalceati ambulare solent, eorum pedes in itineribus pulvere ac sudore perfundi necesse est. Vid. *das alte und neue Morgenland,* T. I. No. 45. p. 68. הִשָּׁעֲנוּ תַּחַת הָעֵץ *Innitamini*, quiescite, recubate *sub arbore*. Plurali autem numero loqui incipit Abrahamus, ut et reliqui duo intelligerent, se eos velle hospitio excipere. In codice Samaritano jam in Versu superiore Pluralia leguntur, בעיניכם, תעברו, עבדכם, haud dubie ex emendatione Critici, qui Singularibus offensus sit. Certe 1 Sam. IX, 19., ubi propheta Saulem et servum ejus alloquitur, partim singulari, partim plurali numero utitur.

5. וְסַעֲדוּ לִבְּכֶם *Fulcite cor vestrum*, i. e. recreate vos, LXX. φάγεσθε. Sic apud Homerum *Odyss.* E. 95. Calypso advenienti Mercurio ξένια ἔθηκε, *hospitalem coenam adposuit*, Mercurius vero δείπνησε καὶ ἤραρε θυμὸν ἐδωδῇ, *coenavit et firmavit animum cibo.* אַחַר תַּעֲבֹרוּ *Postea transibitis*, discedetis, iter vestrum continuare potestis. כִּי־עַל־כֵּן עֲבַרְתֶּם עַל־עַבְדְּכֶם *propterea enim servum vestrum transivistis*, i. e. opportune enim accidit, ut tentorium meum transiretis. Non sunt verba exprobrantis, sed potius laetantis et factum laudantis, quod erat indicium, eos de sua hospitalitate bene sensisse. Haud absimile Loti dictum infra XIX, 8. *Nam propterea*, ut salvos et tectos eos praestem, *venerunt sub umbram tecti mei.* Vid. et infra XXXIII, 10. Cf. *A. B. Starkii Nott. selectt.* ad h. l.

6. מַהֲרִי שְׁלֹשׁ סְאִים קֶמַח סֹלֶת *Propera tria sata farinae similae.* סְאָה erat tertia pars Ephae, uti tradunt Hebraei, sesquimodium Italicum, teste Josepho (*Antiqq.* L. IX. Cap. 4. §. 5. ἰσχύει δὲ τὸ σάτον μόδιον καὶ ἥμισυ Ἰταλικόν), et Hieronymo (in *Commentar. ad Matth.* XIII, 33.: „*Satum* autem genus est mensurae, juxta morem provinciae Palaestinae, unum et dimidium modium capiens"). Abrahamus sine dubio ideo tantam panis copiam parare jussit, ut, si vellent hospites, quantum in

iter opus esset, sibi sumereut. קֶמַח סֹלֶת *Farinae similae*, i. e. purissimae farinae, σεμίδαλις, ut LXX. habent. עֻגוֹת LXX. ἐγκρυφίας, Hieronymus *subcinericios* vertunt. *Hesychius*: Ἐγκρυφίας, ἄρτου εἶδος ὁ ἐν σποδῷ γενόμενος τῷ μὴ εἶναι κλίβανον. Ἐγκρυφίας, *panis species, qui in cinere fit, si furnus deest.* Codex MS. Octateuchi in Biblioth. Coislin. ad ἐγκρυφίας hanc notam habet: Ἐγκρυφίας ἄρτος καλεῖται ὁ ὑπὸ τὴν σποδὸν χωννύμενος καὶ κρυπτόμενος ἐν τῷ ὀπτᾶσθαι, i. e. Ἐκρυφίας *vocatur panis, qui in cinerem immittitur, et occultatur, dum coquitur.* Etiamnum ejusmodi pane utuntur Arabes, teste *Thevenotio Itinerar. Oriental.* L. II. c. 32. ubi inter alia de moribus Arabum haec dicit: *Vescuntur etiam libis, seu placentis, inter quas Mafroucam in deliciis habent. In vase ligneo farinam aqua diluunt, massamque conficiunt, quam diligenter depsunt, deinde in placentas tenues et rotundas, cujus diameter est sesquipedalis, extendunt. Eas purgato, ubi ignis accensus fuerat, loco calenti in arena imponunt, teguntque calidis cineribus primum, deinde prunis. Cum alterum latus coctum est, placentam invertunt, cineribusque et prunis similiter tegunt, donec id quoque latus coctum sit.* Plura dabit *das alte und neue Morgenland*, T. I. No. 46. p. 69.

7. *Tum ad armenta cucurrit, vitulumque tenerum et pinguem sumsit, et puero tradidit, qui eum propere pararet.* Orientales vitulum mactatum statim assare solent, et assa ejusmodi caro sapida esse dicitur. Sed ne cui mirum videatur, quod Abrahamus ipse, vir tam dives adeoque regulus (أَمِير *Emir*), ad greges cucurrit et vitulum adportavit, observandum est, tale quid etiamnum in Oriente viro nobili non indignum esse; teste *Shawio Itiner.* p. 207. vers. germ. Cf. *das alte und neue Morgenland*, T. I. No. 47. p. 70. Simili modo apud *Homerum, Iliad. XI.* V. 205—221. duo nobilis heroes, Achilles et Patroclus, ipsi coquunt.

8. חֶמְאָה omnes fere superioris aetatis interpretes

versionem τῶν LXX. sequuti, *butyrum* vertunt. Sed primo, ut *Michaelis* in *Supplemm.* p. 807. observat, butyrum in Palaestina, olei optimi ferace, non confici solebat. Ad quos enim usus nos boreales butyro utimur, ad eos illarum regionum incolae, in quibus felix olivarum proventus, oleo utuntur. Vid. *Michaelis Jus Mosaicum*, §. 191., et 205. ubi de lege, usum butyri in assandis carnibus prohibente, egit. Deinde Jud. V, 25. Job. XX, 17. et XXIX, 6. vix dubitari potest חֶמְאָה esse fluidum quid atque potabile. Comparanda potius haec vox est cum Arabico خَمَّ *spissum fuit lac.* Sed et Jarchi ad h. l. חֶמְאָה explicat: שומן החלב, *pinguedo lactis*, quam de ejus superficie colligunt. Et MS. Brem. Lexici Cyrilliani ad βουτύρον, quod LXX. hic habent: Βούτυρον, τὸ ἐλαιῶδες τοῦ γάλακτος. Βούτυρον, *pinguedo oleosa lactis.* Phavorinus: Βούτυρον, τὸ λιπῶδες τοῦ γάλακτος. Cf. *Seb. Ravii* Dissertat. alter. *de re cibaria veter. Hebraeor.* Cap. II. §. V. seqq. p. 55. וְהוּא־עֹמֵד עֲלֵיהֶם *Et ipse stabat juxta eos*, מְשַׁמֵּשׁ עִלָּוֵיהוֹן *ministrans iis*, ut Onkelos reddidit; nam alias עָמַד per לִפְנֵי constructum, *coram aliquo stare*, valet: ei ministrare, vid. infra XLI, 46. Deut. I, 38. Et hodie apud Arabes ipsi hospites peregrinis comedentibus stantes inserviunt, teste *Shawio Itinerar.* p. 208. vers. germ., et *Lüdekio* in *Expositione brevi Locorum Scr. S. ad Orientem sese referentium.* Halae 1777. §. 59. וַיֹּאכֵלוּ *Et comederunt.* Quia tamen coelestes spiritus erant, qui corpora humana duntaxat ad tempus induerant, qui igitur revera cibos sumere non poterant, hinc Jonathan interpretatus est: דָּמֵי לֵיהּ כְּאִלּוּ אָכְלִין *videbatur ei ac si comederent.* Nec aliter Josephus *Antiqq.* L. I. Cap. 11. §. 2. Οἱ δὲ δόξαν αὐτῷ παρέσχον ἐσθιόντων, *speciem ei praebebant edentium.* Certe angelus, qui Manoae apparuit, comedere se posse negavit Jud. XIII, 16. Et Raphael diserte dicit Tobiae XII, 10.: Πάσας τὰς ἡμέρας ὠπτανόμην ὑμῖν, καὶ οὐκ ἔφαγον οὐδὲ ἔπιον, ἀλλὰ ὅρασιν ὑμεῖς ἐθεωρεῖτε.

10. וַיֹּאמֶר *Tunc dixit,* חַד מִנְּהוֹן *unus ex iis,* ut Jonathan addit, idem, quem prae ceteris compellavit Abrahamus Vs. 3., et qui Jova ipse fuit, uti patet ex iis, quae sequuntur. שׁוֹב אָשׁוּב אֵלֶיךָ *Redeundo redibo*, i. e. certissime redibo *ad te,* כָּעֵת חַיָּה *circa tempus vitae,* seu, *vivum,* de cujus loquutionis sensu veteres et recentiores dissentiunt. LXX. κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας, *hoc tempore ad horas*, i. e. praecise, ita ut momenta etiam hujus temporis observem. Hieronymus: *tempore isto vita comite*, quod in Quaestt. Hebrr. exponit: „si vixero, si vita fuerit comitata.“ Onkelos: כְּעִדָּן דְּאַתּוּן קַיָּמִין *circa tempus quo vos vivitis.* Quod sequutus Jarchi, cujus haec est glossa: כעת הזאת לשנה הבאה שתהא חיה לכם שתהיו כלכם שלמים וקיימים *circa tempus hoc anni futuri, dum vita fuerit vobis, et fueritis omnes vos integri et superstites.* Saadias: فِي مِثْلِ هَذَا ٱلْوَقْتِ مِنْ قَابِلٍ *in tempore huic simili anni proximi.* Syrus: ܒܙܒܢܐ ܗܢܐ ܟܕ ܗܝ ܚܝܐ *circa hoc tempus, cum ipsa* (Sara) *vixerit.* Profecto mortua non pepererit. Sanius Persa: چون وقت زاچه *circa tempus neonati;* חַיָּה partum intelligens, quem Sara esset enixura. Clericus phrasin hoc modo exponit: *eodem tempore vitae vestrae,* i. e. eadem vitae tempestate, sed vitae vestrae altero anno. „Erat idem tempus ratione anni, seu tempestatis, sed exactis duodecim mensibus, uno anno vitae provectioris.“ *J. H. Maius* in *Observatt. SS.* L. I. p. 72. hoc velle Mosen putat, vitam matris ad proximum usque annum extendendam adhuc esse, intra quem sit paritura filium, exigendumque spatium, quod ad vitam puerulo dandam requiritur, atque hoc spatium dici עֵת חַיָּה *tempus vitae.* Geminum esse illud Homeri *Odyss.* Λ. 247.

Χαῖρε, γύναι, φιλότητι· περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ
Τέξεις ἀγλαὰ τέκνα.

Fruere, mulier, amore; circumvoluto autem anno prae-

claros paries filios. „Quorum verborum sensum Favorinus ait apud Gellium (*Noctt.* III, 16.) hunc esse, non confecto anno, sed affecto, hoc est, proxime ad finem progresso deductoque, sive, decimo mense, tale eventurum.“ Recte phraseos vim expressisse videtur Drusius, qui חַיָּה pro Adjectivo habuit, ut sit, *hoc tempore vivente,* i. e. redeunte, q. d. iterum vivente. Eadem phrasi hospitae Sunamitidi diu sterili filium promittens utitur Elisaeus 2 Reg. IV, 16. לַמּוֹעֵד הַזֶּה כָּעֵת חַיָּה *hac tempestate tempore reviviscente amplexabere filium.* Sensu non diversum est, quod supra XVII, 21. habetur: לַמּוֹעֵד הַזֶּה בַּשָּׁנָה הָאַחֶרֶת *hoc tempore in anno altero.* Ista angeli verba *audivit Sara* פֶּתַח הָאֹהֶל *post ostium tabernaculi,* ut Hieronymus recte vertit. LXX. πρὸς τῇ θύρᾳ τῆς σκηνῆς. וְהוּא אַחֲרָיו *Et illud,* scil. ostium erat *post eum,* angelum, qui sedens sub arbore dorsum ostio tabernaculi obversum habebat.

11. בָּאִים בַּיָּמִים *Progressi in diebus,* i. e. in aetate. Graeci hoc dicerent: προβεβηκότες τῇ ἡλικίᾳ. *Desierat esse Sarae* אֹרַח כַּנָּשִׁים *via,* consuetudo, *ut mulieribus,* i. e. ordinarii et consueti mulieribus menses. LXX. τὰ γυναικεῖα. Tales mulieres autem extra spem concipiendi esse constat.

12. וַתִּצְחַק שָׂרָה בְּקִרְבָּהּ *Risitque Sara in medio sui,* i. e. κατ᾽ αὐτῆς, *apud se,* at Aquila reddidit. Hic risus non erat laetitiae, sed diffitentiae et subsannationis, ut ostendunt, quae sequuntur: אַחֲרֵי בְלֹתִי הָיְתָה־לִּי עֶדְנָה *Postquam anus facta sum, erit mihi voluptas?* scil. quae conceptum antecedit, i. e. ego scilicet in senectute mea voluptati indulgebo. Hieronymus: *voluptati operam dabo.* Symmachus: μετὰ τὸ παλαιωθῆναι με, ἐγένετο μοὶ ἀκμὴ, i. e. interprete Suida, νεότης, *adolescentia.* Sic apud Aelianum *Var. Hist.* L. III. c. 18. sub fin. τὸ μὲν γὰρ γῆρας ἀποῤῥίψας, ἐπὶ τὴν ἀκμὴν ὑποστρέφει. *Abjecta senectute ad vigorem aetatis revertitur.* אֲדֹנִי, *Dominus meus,* i. e. maritus meus. Cf. 1 Petr. III, 6., ad quem

loc. Grotius ostendit, nec Athenis nec Romae inusitatum fuisse matronis maritos ita appellare.

14. הֲיִפָּלֵא מֵיְהוָֹה דָּבָר *Num mirum reddetur verbum,* i. e. quidquam *a Jova*? an vero erit quidquam ita arduum et mirum, quod non possit efficere Jova? LXX. Μὴ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ. Et Hieronymus: *non est Deo quidquam difficile.* Onkelos pro הֲיִפָּלֵא posuit הֲיִתְכַּסֵּי *num occultabitur* a Jova quidquam? sensu eodem, nam quae mira et ardua eadem sunt a nobis aliena, tecta et occulta. Ita Proverb. XXX, 18. *Tria* נִפְלְאוּ מִמֶּנִּי *mirabiliora sunt prae me*, i. e. altiora me, mihi occulta.

15. כִּי יָרֵאָה *Quia timebat;* videbat enim, hospitem animadvertisse risum et cogitationes suas.

16. וַיַּשְׁקִפוּ עַל־פְּנֵי סְדֹם *Prospexerunt ad faciem Sodomae*, viam ingressi sunt, qua Sodomam ibatur.

17. Ex hoc Versu patet, Jovam se Abrahamo agnoscendum dedisse. Verba הַמְכַסֶּה אֲנִי מֵאַבְרָהָם LXX. ita vertunt: οὐ μὴ κρύψω ἐγὼ ἀπὸ Ἀβραάμ, et addunt: τοῦ παιδός μου, quod et Syrus habet: ܛܠܝ ܥܒܕܝ. Sed pro Ἀβραὰμ τοῦ παιδός μου potius legendum videtur Ἀβραὰμ τοῦ φιλοῦ μου, sicuti Philo in libro περὶ τοῦ ἐξένηψε Νῶε (P. I. p. 401. edit. Mangey.) haec verba excitat, et in Commentario explicat. Hoc igitur in codicibus τῶν LXX. Philonis temporibus exstitisse videtur. Sane in toto paene Oriente خَلِيلُ اللّٰه *amicus Dei* commune Abrahami nomen erat, quod et occurrit Jes. XLI, 8. 2 Chron. XX, 7., et quod Jacobus Cap. II, 23. Abrahamo ex V. T. tribuit. Unde tamen minime sequitur, et hoc loco in textu Hebraeo ita lectum fuisse: מֵאַבְרָהָם אֹהֲבִי, sive מֵאַבְרָהָם רַחֲמִי, ut Targum Hierosolymitanum habet, quod contendit *C. F. Hornemann* in *Exercitatt. in LXX. ex Philone* (Goetting. 1773.) p. 78. et *Michaelis Oriental. Bibl.* P. IV. p. 167. seqq.

18. וְאַבְרָהָם הָיוֹ יִהְיֶה לְגוֹי גָּדוֹל וְעָצוּם וגו' *Abraha-*

mus enim omnino futurus est in gentem magnam et validam, rel. Eumne igitur, quem tot ornavi honoribus et benefactis, quod ago celabo?

19. Verba כִּי יְדַעְתִּיו לְמַעַן אֲשֶׁר יְצַוֶּה אֶת־בָּנָיו וְאֶת־בֵּיתוֹ אַחֲרָיו וְשָׁמְרוּ דֶּרֶךְ יְהוָֹה vulgo ita redduntur: *Novi enim, eum praecepturum esse filiis suis et posteris suis, ut instituta mea servent et juste et probe vivant.* Quae quidem interpretatio recte sese haberet, si יְדַעְתִּיו cum verbis quae sequuntur, jungeretur per Particulam כִּי *quod,* vid. 1 Sam. XIV, 3. Jer. X, 23. Ezech. XXXIII, 33. Sed לְמַעַן אֲשֶׁר notare constat *propterea quod, quia*, et יְדַעְתִּיו Jarchi vere observat obtinere hic לשון חבה *significationem amoris*, ut sensus sit, diligo eum, quia praecipit filiis et posteris suis, ut instituta mea servent. יָדַע *Nosse* aliquem haud raro valet *alicujus rationem habere*, eum acceptum habere, veluti Amos III, 2. *Vos tantum* יָדַעְתִּי *novi*, elegi, acceptos habui, *ex omnibus familiis terrae;* cf. not. ad eum loc. et Ps CXLIV, 3. Vid. et Exod. XXXIII. 12. Et Jarchi huc refert מוֹדַע, *familiarem, propinquum, cognatum*, Ruth. II, 1., et מוֹדַעַת *cognationem, affinitatem*. Ruth. III, 2., שמחבב את האדם מקרבו אצלו ויודעו ומכירו *quia qui aliquem diligit eundem sibi propinquum facit ipsumque novit et cognoscit.* דֶּרֶךְ *Via* est vitae institutum, itaque דֶּרֶךְ יְהוָֹה *via Jovae* est id vitae institutum, quod divinae voluntati consentaneum est. Cf. Deut. VIII, 6. X, 12. לְמַעַן הָבִיא יְהוָֹה עַל־אַבְרָהָם אֵת אֲשֶׁר־דִּבֶּר עָלָיו *Ut venire faciat Jova supra Abrahamum, quod loquutus est super eo*, i. e. ut curet ejus posteris evenire, quod gentis conditori promisit.

20. זַעֲקַת סְדֹם וַעֲמֹרָה *Clamor Sodomae et Gomorrhae* aut est fama scelerum a Sodomitis commissorum, aut querelae eorum, qui ab eis violati fuerant. Sic supra IV, 10., sanguis obtruncati Abelis *e terra clamat.* Ps. IX, 13. צַעֲקַת עֲנָיִים *clamor pauperum*, sunt eorum querelae, ut Job. XXXIV, 28. Apud *Homerum Odyss.* P. v. 565. de procis Penelopes:

Τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἥκει.
Quorum libido et violentia ad ferreum coelum pervenit.

21. אֵרְדָה־נָּא וְאֶרְאֶה הַכְּצַעֲקָתָהּ הַבָּאָה אֵלַי עָשׂוּ כָּלָה *Descendi igitur, ut viderem, num secundum querelas ad me perlatas plane fecerint.* כָּלָה *Consummatio* hic *prorsus, omnino* valet, ut 1 Sam. XX, 33. Deus hic de se humano more loquitur, se velle agere ut judex justus, qui non cuivis accusatori credit, sed ipse inquirit. וְאִם־לֹא אֵדָעָה *Et si non, cognoscam,* i. e. ut cognoscerem an forsan res sese non ita habeat. Onkelos: וְאִם־תָּיְבִין לָא אֶתְפְּרַע *si resipuerint*, non *sumam poenas.* Ceterum omnis haec, quae ab initio inde hujus Capitis legitur narratio de Deo et Angelis, sub humana specie iter facientibus, convenit cum aliarum veterum gentium opinione de Diis homines invisentibus. Simillimus huic nostro locus extat apud *Homerum Odyss.* P. 486.

Καί τε Θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι
Παντοῖοιν πεχέθοντες, ἐπιστρωφῶσι πολῆας,
Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.

Dii similes hospitibus sub quovis habitu vagantur per urbes, speculantes contumeliam et justitiam hominum. Et *Ovidius Met. I.* 211. seq. Jovem sic loquentem inducit:

Contigerat nostras infamia temporis aures,
Quam cupiens falsam summo delabor Olympo,
Et Deus humana lustro sub imagine terras.

Praeterea in haud paucis narratio Mosaica de tribus אֱלֹהִים Abrahamum invisentibus et ab eo hospitio exceptis congruit cum iis, quae veteres Mythographi, potissimum Ovidius *Fast.* V. 495. seqq. et Palaephatus *de Incredibilib.* Cap. 5. referunt de tribus diis, Jove, Mercurio, et Neptuno, Hyrieum, senem, Tanagram, urbem Boeotiae, habitantem invisentibus. Ut Abrahamus angelis ita ille tribus diis convivium parat, et quum prole careret, filium petiit, cujus sui voti compos redditus post decem menses Orionem suscepit. Similitudinem utriusque narrationis pluribus persequutus est *H. A. Zeibich*

in Progr. *Isaaci ortus in fabula Orionis vestigia*, Gerae, 1776. 4.

22. וְאַבְרָהָם עוֹדֶנּוּ עֹמֵד לִפְנֵי יְהוָה *Abrahamus autem stabat adhuc coram Jehova.* Dum duo angeli Sodomam proficiscuntur, tertius interea cum Abrahamo manet, et quia hic sese Jovam confessus erat, Abrahamus eum alloquitur. Masorethae notant hunc locum esse unum ex octodecim illis, quibus תִּקּוּן סוֹפְרִים *correctio librariorum* sit facta. Olim enim ita lectum fuisse: וַיהוָה עוֹדֶנּוּ עֹמֵד לִפְנֵי אַבְרָהָם *et Jova stabat adhuc coram Abrahamo*, quum e superioribus appareat, non Abrahamum ad Jovam, sed Jovam ad Abrahamum venisse, Jarchio observante. Quum autem indecorum visum esset librariis, ut Deus coram Abrahamo stetisse dicatur, mutasse illos locum in hunc modum, quo in omnibus codicibus Hebraeis et in omnibus versionibus antiquis comparet. Cf. *Lud. Capelli Crit. S.* L. III. Cap. 18. p. 447. edit. Hal. Sed merum Rabbinicum commentum est illud, quidque omnino de תקון סופרים sit statuendum, diximus ad Habac. I, 12.

23. הַאַף תִּסְפֶּה צַדִּיק עִם־רָשָׁע *An etiam consumes*, perdes, *probum una cum improbo?* אַף Onkelos cepit pro nomine, *iram* denotante, ante quod ב supplendum, vertit enim הֲבִרְגַז *num in ira?* Saadias: أَيَقِينًا *num vere?* et Arabs Erpenii: هل بتحقيق, quod idem.

24. וְלֹא־תִשָּׂא לַמָּקוֹם *Et (annon) tolles loco* scil. עָוֹן *delictum?* delicti poenam? i. e. non condonabis loco? LXX. οὐκ ἀνήσεις πάντα τὸν τόπον; *nonne dimittes*, scil. impune, *totum locum?* Onkelos: וְלָא תִשְׁבּוֹק לְאַתְרָא *et annon remittes loco?*

25. חָלִלָה לְּךָ *Nefas* sit *tibi!* i. e. absit! De חָלִילָה proprie τὸ βέβηλον, *rem profanam*, vel *nefas* denotante, tum cum Pronominibus suffixis ut deprecandi formula usurpato, vid. *Fulleri Miscell. SS.* L. II. Cap. 2.

28. בַּחֲמִשָּׁה *Propter quinque,* i. e. quod quinque desint. Contra in Vs. proximo בַּעֲבוּר הָאַרְבָּעִים *propter quadraginta* valet: quod sint quadraginta.

29 לֹא אֶעֱשֶׂה *Non faciam,* scil. כָּלָה בָּהֶם *consumtionem in iis.* Samaritanus codex et hic et Versu proximo pro אֶעֱשֶׂה habet אשחית *delebo,* quod glossema videtur e Vs. 32.

Cap. XIX, 1. וְלוֹט יֹשֵׁב בְּשַׁעַר־סְדֹם *Et Lotus ad portam Sodomae sedebat.* Mos erat antiquissimis temporibus ad portas urbium convenire, et consilia publica, privataque etiam negotia ibi agitare. Vid. infra XXXIV. 20. Deut. XXI, 19. Ruth. IV, 1. Sic et apud Homerum *Iliad.* Γ. 148. ad Scaeas portas sedent Trojani senes. וַיַּרְא־לוֹט וַיָּקָם לִקְרָאתָם *Quos cum videret Lotus, obviam eis ivit,* quia hospites eos esse ex habitu aut vultu animadvertit. וַיִּשְׁתַּחוּ אַפַּיִם אַרְצָה Vid. not. ad XVIII, 2.

2. סוּרוּ־נָא אֶל־בֵּית עַבְדְּכֶם *Divertite, quaeso, ad domum servi vestri.* In Oriente enim, illis temporibus, uti hodie, exceptis Xenodochiis, *Karvanserai* dictis, non erant diversoria, quibus exciperentur peregrini; ideoque aut in platea pernoctandum erat, si quam in urbem venirent, aut in hospitis aedibus, seu notus is esset, seu ignotus, qui humanitate hospitium praeberet; vid. Jud. XIX, 15. seqq.

3. וּמַצּוֹת אָפָה *Paravit infermentata liba,* propter festinationem, quia ejusmodi liborum coctio non multum temporis postulavit.

4. כָּל־הָעָם מִקָּצֶה *Omnis populus ab extremitate,* i. e. populus ad unum omnes; nam haec summa est eorum, qui intra extrema continentur. Videtur phrasis esse truncata pro מִקָּצֶה וְעַד קָצֶה, vid. infra XLVII, 21. Jerem. XII, 12., vel pro מִן הַקָּצֶה אֶל־הַקָּצֶה Exod. XXVI, 28. XXXVI, 33. Eodem sensu suo عن اقصا *ab extremo,* Arabes uti solent. Exempla dedit *Alb. Schultens* in

Animadverss. Philolog. ad h. l. in *Operibus Minoribus*, p. 121. Cf. not. ad Ezech. XXXIII, 2.

5. *Ubinam sunt viri, qui ad te venerunt* הַלָּיְלָה *hac nocte*, sed prima pars noctis indicatur, ut e Vs. 1. liquet, ubi est בָּעֶרֶב *vesperi.* הוֹצִיאֵם אֵלֵינוּ וְנֵדְעָה אֹתָם *Educ eos ad nos, ut cognoscamus eos*, ut rem cum iis habeamus. Recte LXX.: ἵνα συγγενώμεθα αὐτοῖς. Verbum יָדַע enim h. l. ut aliis locis, per euphemismum de *concubitu* usurpari, patet ex Vs. 7. et 8., ubi *mulieres viros cognoscere* dicuntur. Oportet angelos juvenes et forma praestantes visos esse, qui nefandam Sodomitarum libidinem tam cito et tam vehementer moverint. *Josephus Antiqq.* Lib. I. c. 11. §. 3. Οἱ δὲ Σοδομῖται, θεασάμενοι τοὺς νεανίσκους εὐπρεπείᾳ τῆς ὄψεως διαφέροντας, καὶ παρὰ Λώτῳ καταχθέντας, ἐπὶ βίαν καὶ ὕβριν αὐτῶν τῆς ὥρας ἐτράπησαν. *Sodomitae autem, cum vidissent adolescentes egregie venustos ad Lotum divertisse, ad vim et contumeliam formae eorum inferendam se pararunt.* Neque igitur audiendi sunt qui יָדַע hic significatione usitatiore *cognoscendi* capiendum volunt, quasi dicant Sodomitae, sibi a Loto injuriam fieri, quod externos et ignotos homines domum admiserit, re cum civibus non communicata: *produc ergo eos, ut sciamus, quinam illi sint.* Indomitae libidinis et vis in hospitem intentatae exemplum huic simillimum vid. Jud. XIX, 22. seqq.

8. *Sunt mihi duae filiae virgines, eas nunc ad vos educam, iis pro arbitrio utamini.* Hinc liquet, ut vere observat Clericus, quam sancta fuerint hospitalitatis jura, cum Lotus geminas filias libidini Sodomitarum mallet exponere, quam pati hospitibus ignotis vim inferri. Putabat enim, nisi acerrime Sodomitis resisteret, serioque hoc a se fieri ostenderet, hospites eum pro proditore esse habituros, quo nihil turpius fieri poterat. Fortasse et speravit, non ausuros Sodomitas, quod offerebat, accipere; quia filiae ejus, ut ex sequentibus apparet, duobus Sodomitis civibus, fortasse principum filiis despon-

satae erant. כִּי עַל־כֵּן בָּאוּ בְּצֵל קֹרָתִי *Propterea enim trabis meae umbram subierunt*, i. e. propterea domum meam subierunt, quia in ea sese tutos sperabant.

9. גֶּשׁ־הָלְאָה *Accede ultra*, i. e. longius hinc facesse a nobis. LXX. ἀπόστα ἐκεῖ. Hieronymus: *recede illuc.* Jarchi Gallice ita exponit: *tire toi de nous.* Jubent enim Sodomitae Lothum recedere ab ostio, ad quod haud dubie stabat, postquam illud occlusit. Quemadmodum supra Vs. 2. Verbum סוּר cum אֶל constructum non *recedendi*, sed *accedendi* significatum obtinet, ita hic vicissim נָגַשׁ, quod proprie est *accedere*, hic, flagitante sententia, *recedere* valet. Nam qui recedit ab uno loco, idem accedit ad alium. הָאֶחָד בָּא־לָגוּר *Unus hic venit ad peregrinandum*, ut inquilinus sit inter nos, וַיִּשְׁפֹּט שָׁפוֹט *et judicabit judicando*, judicem, magistratum agit; deberet, quum sit advena, legibus nostris vivere, at auctoritatem inter nos vult usurpare. עַתָּה נָרַע לְךָ מֵהֶם *Nunc malum tibi faciemus prae illis*, pejus te quam illos tractabimus. וַיִּפְצְרוּ בָאִישׁ בְּלוֹט מְאֹד *Et vim fecerunt in virum hunc, in Lotum, valde*, viro illi, Loto, qui eos placare studebat, vim acriter intulerunt. Verbum פָּצַר supra Vs. 3. erat *verbis urgere, instare*, hic etiam *re ipsa cogere* et *vim inferre* significat.

10. וַיִּשְׁלְחוּ הָאֲנָשִׁים אֶת־יָדָם וַיָּבִיאוּ אֶת־לוֹט אֲלֵיהֶם הַבָּיְתָה *Et emiserunt* extra ostium *viri illi*, angeli, qui domi erant, *manum suam*, manu injecta *reduxerunt Lotum ad se in domum.*

11. וְאֶת־הָאֲנָשִׁים אֲשֶׁר־פֶּתַח הַבַּיִת הִכּוּ בַּסַּנְוֵרִים *Et viros illos, qui erant in ostio domus, percusserunt caecitatibus.* סַנְוֵרִים LXX. bene verterunt ἀορασίᾳ, non fuit enim *caecitas*, neque oculorum usu prorsus privati erant, sed potius scotomatis sive vertiginis species, quali percussi sunt vinolenti. Aben-Esra סַנְוֵרִים interpretatur מחשך העין ולב *tenebras oculi et animi*, i. e. cum quis oculorum usu quidem non privatus est, sed tamen non percipit aut discernit, quod videt, nec agnoscit aut scit, quid vi-

deat. Onkelos שַׁבְרִירַיָּא vertit, quam vocem Buxtorfius *fatuitates visus* exponit (est enim שַׁבְרָא *fatuus, simplex*), Mercerus autem *irradiationes*, cum quis immodica luce offuscatur. Syrus: ܦܪܪܓܠܐ *illusiones.* Nomen hebraicum praeter hunc locum semel duntaxat legitur, 2 Reg. VI, 18., de scotomate Syris ab Elisaeo immisso. וַיִּלְאוּ לִמְצֹא הַפָּתַח *Et laborarunt*, defatigati sunt *quaerere ostium*, quaerebant nec inveniebant.

12. וַיֹּאמְרוּ הָאֲנָשִׁים *Et dixerunt viri illi*, הַמַּלְאָכִים *angeli*, codex Samaritanus habet. עֹד מִי־לְךָ פֹה Num *adhuc*, praeterea, *quis tibi hic?* habes hic quempiam tuorum? uti Hieronymus vertit.

13. כִּי־מַשְׁחִתִים אֲנַחְנוּ *Nam perdentes nos*, jam in eo sumus ut perdamus. Participia nonnumquam paullo post futurum denotant, ut supra XVIII, 17. et mox Vs. 14.

14. לֹקְחֵי בְנֹתָיו *Qui ejus filias ducturi erant.* LXX. τοὺς εἰληφότας τὰς θυγατέρας αὐτοῦ, *qui ejus filias duxerant*, quod et ipsum dat sensum commodum. Scilicet a filiabus, quas isti duxerant et secum in urbe habebant, ceterae duae (Vs. 8.) ut praesentes, domi versantes, distinguuntur, Vs. 15.

15. בְּנֹתֶיךָ הַנִּמְצָאֹת *Filias tuas inventas*, i. e. quae tibi in promtu sunt, praesentes.

16. וַיִּתְמַהְמָהּ *Et cunctabatur.* LXX. καὶ ἐταράχθησαν. Legerunt fortasse וַיִּתְמְהוּ, ut Michaelis suspicatur, *Orient. Bibl.* P. IX. p. 13. בְּחֶמְלַת יְהוָֹה עָלָיו *Per miserationem Jovae erga illum*, i. e. quia Deus eum et familiam suam servare voluit.

17. וַיֹּאמֶר *Et dixit* scil. unus ex angelis. אַל־תַּבִּיט אַחֲרֶיךָ *Ne respice post te. Respicere post se* h. l. videtur esse morari in locis, quae subvertenda erant, videndi caussa quid sit futurum. הָהָרָה הִמָּלֵט *In montem fuge* in montes scilicet Moabiticos, ut postea dicti sunt, orientem versus sitos. Hi vero montes longius a Sodoma dis-

siti erant; igitur rogabat Lotus, ut sibi in locum propinquiorem fugere liceret.

20. וְהִוא מִצְעָר *Et parvum est,* scil. oppidum; nam ad הָעִיר, generis feminei nomen, referendum est femininum הִוא. Repetita autem mentio parvitatis istius urbis, sequitur enim, הֲלֹא מִצְעָר הִוא וּתְחִי נַפְשִׁי *nonne parva est illa,* urbs, *et vivet anima mea;* quo pertineat, exponit Jarchi: „pauci in ea habitant, pauca igitur eorum sunt malefacta; non est itaque quod te pigeat eam intactam illaesamque relinquere, unde fiat, ut vita mea in ea conservetur." Potest tamen הִוא genere neutro converti, ut sensus sit: *atque hoc parum,* scil. quod peto a te. Concede mihi exiguam hanc gratiam, ut in urbem illam vicinam aufugere mihi liceat, ut saluti meae consulatur.

21. הִנֵּה נָשָׂאתִי פָנֶיךָ גַּם לַדָּבָר הַזֶּה *Ecce sustuli* s. *accepi faciem tuam etiam ad hanc rem,* i. e. tui etiam hac in re rationem habebo. Phrasi נָשָׂא פְּנֵי אִישׁ significatur *προσωποληψία,* qua fit, ut personarum, quarum res agitur, potior, quam ipsarum rerum, ratio habeatur. Ea Deo inesse negatur Deut. X, 17., hominibusque vetatur ejusdem libri Cap. XVI, 19. Hic vero in meliorem partem sumitur; hoc enim vult angelus, se potius Loti, quam Zoaritarum, qui Sodomitis forsan meliores non erant, rationem habere, itaque ejus causa urbe, parcere velle.

22. עַל־כֵּן קָרָא שֵׁם־הָעִיר צוֹעַר *Propterea vocavit* scil. vocans, i. e. vocatum est *nomen urbis illius Zoar,* ex eo quod Lotus Vs. 20. eam dixisset parvam, vel parvi quidpiam esse rogans, ut illuc sibi liceret aufugere.

24. וַיהוָה הִמְטִיר עַל־סְדֹם וְעַל־עֲמֹרָה גָּפְרִית וָאֵשׁ *Et Jova pluere fecit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem.* Sed praeter duas, quae hic memorantur, urbes, et duae aliae una eversae sunt, Adama et Zeboim, uti diserte dicitur Deut. XXIX, 22.; cf. supra XIV, 2. Hos. XI, 8. Videntur Sodoma et Gomorrha reliquis ma-

jores et potiores fuisse. Quod *Deus* hic *depluisse* dicitur *sulphur et ignem* non de propria bituminis ac sulphuris ardentis pluvia intelligendum esse, sed de *fulmine*, docuit pluribus *Clericus* in Dissertatione *de Sodomae finitimarumque urbium subversione*, Commentario ejus in Pentateuchum adjecta §. IV., cui etiam adstipulatur *J. D. Michaelis* (in Commentatione secunda *de natura et origine maris mortui*, quae in ejusdem *Commentationibus in Societ. Reg. Goetting. per annos 1758—1762. praelectt.* quinta est, §. XVIII.). Eodem modo *fulmen* describitur Ps. XI, 6. *Depluet in impios turbines, ignem et sulphur.* Ezech. XXXVIII, 23. *Pleciam eum peste et sanguine; imbrem exundantem lapides grandinis, ignem et sulphur depluam in eum.* Fulmen autem dicitur *sulphur et ignis* quasi *sulphur ignitum*, vel accensum, ut Genes. III, 16. *dolor et conceptus* est dolor, qui conceptum sequitur. Quod autem additur מֵאֵת יְהוָֹה *a Jova*, plenius χαρακτηρίζει fulmen, recte observante Clerico. Non solum enim Hebraeis, verum et aliis gentibus fulmen *ignis Dei* vocatur. 2 Regg. I, 12. *Descendit ignis Dei e coelo et absumsit eum.* Sic etiam Job. I, 16. et Jes. LXVI, 16. *igne Jovae plectentur*, i. e. fulmine. Similiter *Statius Thebaid.* I, 92.:

> *Ilicet igne Jovis, lapsisque citatior astris,*
> *Tristibus exsiluit ripis.*

Aben-Esra מֵאֵת יְהוָֹה ait esse לשון צחות *sermonis elegantiam*, ac sensum esse, Jovam pluisse מאתו *a se ipso*. Jarchi quoque observat, V. T. scriptores ita loqui solere, ut supra IV, 23. *uxores Lamechi*, pro: *meae*; et Esth. VIII, 8. dicit rex, *scribite ad Judaeos nomine regis*, i. e. meo. Vid. et supra IX, 6. Additur: מִן־הַשָּׁמָיִם *e coelis*, Jovae sede. „Quia hominum in ejusmodi meteora nulla est potentia, neque ad nubes ulla arte pertingere eis licet; ideo Deus illic habitare, atque illinc tela mittere censetur.“ *Cleric.* Ceterum cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 52, p. 74. seqq.

25. וַיַּהֲפֹךְ אֶת־הֶעָרִים הָאֵל וְאֵת כָּל־הַכִּכָּר *Atque evertit has urbes omnemque illum tractum.* Tota scilicet illa planities bitumine plena fuit, uti supra XIV, 10. dictum est. Quod bitumen, cum facile flammam concipiat, fulmine accensum est. Accesserunt forsan, ut Michaelis suspicatur, naphtae fontes rimaeque, ignem non solum illatum concipientis, sed solo etiam halitu rapientis. Hanc enim naphtae naturam esse testantur *Strabo Geogr.* Lib. XVI. Cap. 3. §. 42. p. 764. *Plinius Hist. Nat.* Lib. II. c. 10. 6. et *Kaempferus* αὐτόπτης in *Amoenitat. Exoticis Fasc. II. relat.* 2. §. VI. p. 274. Quum itaque per totam illam regionem longe lateque victrix regnaret flamma, ex tota gente evadere nemo potuit, qui non antea urbe egressus fuerat; et cum bitumine omnes quoque radices implexas, glebarum aequor continentes, exardescere necesse fuit, totumque tractum laxatis glebarum compagibus solutum subsidere oportuit. Aqua autem subjectae paludis non remedium, sed potius adjumentum ignis fuit. Notum enim est, naphtam, in aqua fluitantem, ardere; et ipsi carbones bituminosi modico aquae humore exardescunt, ut Michaelis l. c. p. 123. observat. Aqua denique salsissima, qualis Maris mortui est, sane non parum ad spargendum ignem contulit. Postquam hac ratione tractus ille circa Jordanem eversus et combustus fuerat, paludem, jam sub terra stagnantem, apparere necesse fuit. Inde ab hoc tempore mare mortuum, sive lacus asphaltites in illo loco stagnat. Hebraei hunc lacum יָם הַמֶּלַח, *mare salsum* vocant. Vere mera paene salsugo est hic lacus, ita ut sal in ejus aquam conjectus non liquescat; teste *Galeno de simplicium medicamentorum facultatibus*, L. IV. c. 19. Inde fit, ut idem Galenus docet, ut vivi quicquam in hac aqua, longe omnium marium gravissima, submergi nequeat; quod confirmant *Maundrellus* (*Journey from Aleppo to Jerusalem*, p. 84.), *Pocockius* (*Beschreibung des Morgenlandes*, P. II. p. 54. vers. german.), et *Thompson* (*Reisebeschreib. von Palästina*, §. 76.). Si quis se in

hunc lacum immergit, undique velut crustula salis obductus inde emergere conspicitur; ut Galenus et Pocockius testantur. Sale autem maris mortui Judaei usi sunt ad sacra; et etiamnum Arabes fossas in littore excavant, in quibus residua aqua sole aestivo cocta, magnos relinquit thesauros salis, quo in cibis condiendis utuntur. Solet etiam hic lacus *mare mortuum* appellari, quia pisces non alit. Quum enim meram paene salsuginem habeat, quarta parte graviorem aqua dulci, omniaque animalia, quae alias merguntur, huic salsugini innatent; pisces etiam fundum maris petere non possunt, sed in latus reclinati, summo tantum mari innatantes interire debent; cujus rei exprimentum cepit ipse Michaelis cum carpione in aqua, quarta parte salis satiata. Praeterea non salsa modo, verum et aluminosa est aqua maris mortui, teste Pocockio (p. 54.); alumen autem ita adstringit, ut non verisimile sit, pisces in aluminosa aqua vivere posse. Quod autem ab Hieronymo (in *Commentar. ad Ezech. XLVII.*) alisque veteribus dicitur, hunc lacum nihil omnino vivi, et ne cochleolas quidem alere, atque aves supra eum volantes, halitu ejus pestilentissimo necari, id experientiae prorsus repugnat, ut testantur Maundrell et Thompson αὐτόπτοι, Nomen *lacus asphaltitis* obtinuit a bitumine quod egerit, quod bitumen Judaicum appellari solet, ut dicit *Scribonius Largus de compositione medica,* c. 77. Aër circa hunc lacum valde noxius est. *Plinius Hist. Natur.* L. V. c. 17. *Ab occidente litora Esseni fugiunt. Tacitus: Histor.* L. V. c. 6. *Lacus — gravitate odoris accolis pestifer.* Ex recentioribus Pocockius (T. II. p. 57. vers. germ.) testatur, Arabibus hanc paludem ita suspectam esse, ut sudariis ora occludant, ne nimis libere admissus aër pestilens noceat. Quae veteres et recentiores circa hunc locum observarunt diligenter contulit *C. Ritter* in *der Erdkunde, oder allgem. vergleichend. Geographie*, P. II. p. 331. seqq. Cf. *die Ansichten von Palästina* a nobis edit. P. II. p. 7. Ceterum Sodomae et reliquarum urbium eversionis me-

moria, et apud ethnicos servata est. *Diodorus Siculus* post lacus asphaltitis descriptionem dicit Lib. XIX.: Ὁ δὲ πλησίος τόπος ἔμπορος ὢν καὶ δυστώδης ποιεῖ τὰ σώματα τῶν περιοικούντων ἐπίνοσα καὶ παντελῶς ὀλιγοχρόνια. *Vicina regio cum igne subardeat, saevumque odorem exhalet, in causa est, cur accolarum corpora morbida sint, minimeque vivacia.* *Strabo* Lib. XVI. p. 526. edit. Casaub. post Asphaltitae descriptionem: Τοῦ δ' ἔμπυρον τὴν χώραν εἶναι τὰ ἄλλα τεκμήρια φέρουσι πολλά· καὶ γὰρ πέτρας τινὰς ἐπικεκαυμένας δεικνύουσι τραχείας περὶ Μοασάδα, καὶ σήραγγας πολλαχοῦ, καὶ γῆν τεφρώδη· σταγόνας τε πίσσης ἐκ λισσάδων λειβομένας, καὶ δυσώδεις πόῤῥωθεν ποταμοὺς ζέοντας, κατοικίας δὲ ἀνατετραμμένας σποράδην· ὥστε πιστεύειν τοῖς θρυλλουμένοις ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων, ὡς ἄρω ᾠκοῦντο πότε τρισκαίδεκα πόλεις ἐνταῦθα, ὧν τῆς μετροπόλεως, Σοδόμων, σώζοιτο κύκλος ἑξήκοντα που σταδίων· ὑπὸ δὲ σεισμῶν καὶ ἀναφυσημάτων πυρὸς καὶ θερμῶν ὑδάτων ἀσφαλτωδῶν τε καὶ θειωδῶν ἡ λίμνη προπέσοι καὶ πέτραι πυρίλεπτοι γένοντο· αἳ δὲ πόλεις αἳ μὲν καταποθεῖεν, ἃς δ' ἐκλείποιεν οἱ ἐδυνάμενοι φυγεῖν. *Esse in hoc solo ignem, multa indicia arguunt. Nam et petras ostendunt asperas et exustas circa Moasada: tum multis in locis exesas cavernas, terram cinerosam, picis guttas de petris stillantes, ferventia non sine foedo odore flumina, et habitationes passim eversas; quae cuncta fidem faciunt famae apud indigenas vulgatae, XIII. ibi urbes olim habitatas fuisse, quarum Sodoma metropolis; hujus ex circumjecta regione LX. circiter stadiorum ambitum superesse; terrae autem motibus, erumpente igne aquisque calidis et bituminosis, exstitisse, qui nunc est, lacum, saxa concepisse ignem, urbium absorptas alias, alias ab iis, qui fugere potuerunt, derelictas.* *Tacitus* *Histor.* L. V. c. 7. *Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos, fulminum jactu arsisse; et manere vestigia; terramque ipsam, specie torridam, vim frugiferam perdidisse.* *Solinus Polyhistor* c. 36. edit. Salm. *Longo ab Hierosolymis recessu tristis*

sinus panditur, quem de coelo tactum testatur humus nigra et in cinerem soluta. Duo ibi oppida fuerunt, Sodoma nominatum alterum, alterum Gomorrha. Universae, quae inde ab initio hujus Capitis continetur, narrationi mirum in modum similis est ea, quam *Ovidius Metamorph.* VIII, 616—724. de Philemone et Baucide habet. Jupiter et Mercurius (ut hic duo Angeli) inter homines, humana forma induti, iter faciunt; homines plane inhospitales offendunt (ut inter Sodomitas nulla hospitum reverentia fuit), unus tamen Philemon Diis peregrinantibus (ut Lotus Angelis), hospitium praebuit. Tandem Jupiter et Mercurius Deos se fatentur, poenasque vicinis minantur (idem hic faciunt duo Angeli). Dii Philemonem et Baucin eripiunt periculo (ut angeli Lotum et familiam). Servantur Philemon et Baucis, domum relinquendo, atque in montem praeeuntibus Diis fugiendo (quemadmodum Lotus et filiae). Plectuntur vicini Philemonis et Baucidis, mutato in stagnum eorum oppido (ut vallis Siddim lacus facta est).

— *Tellus habitabilis olim,*
Nunc celebres mergis, fulicisque palustribus undae.

Quam inter narrationem Hebraeam atque mythum exterum similitudinem pluribus persequutus est *Seidenstükker*, in *dem Schleswigschen Journal*, Fasc. VI, anni 1792. Adde quae idem Vir doctus de hoc loco disseruit in *dem Magazin für Religionsphilosophie etc.* P. III. Fasc. I. p. 67. seqq. Quae de Loto atque angelis, terrae Sodomiticae eversoribus, hic narrantur, ad rei gestae veritatem examinare tentavit vir quidam doctus, in opere modo laudato, P. I. Fasc. III. p. 449. seqq., et *J. C. W. Dahl* in Notis ad Amosi oracula a se vernacule reddita et illustrata (Gotting. 1795. 8.) p. 140. seqq.

26. וַתַּבֵּט אִשְׁתּוֹ מֵאַחֲרָיו *Et respexit uxor ejus*, Loti, *post eum*, id est, explicante Kimchio in Lexico, quem sequutus Salomon Ben-Melech, אשתו שהיתה מאחריו הביטה מאחריה *et uxor ejus, quae pone eum erat, respexit post se.* Cf. supra Vs. 17. אַל־תַּבִּיט אַחֲרֶיךָ. Quum

tamen hic praemisso מ Verbum הַבִּיט cum אַחֲרָיו construatur; *H. B. Starkius* in *Nott. selectt.* ad h. l. phraseos hoc loco usurpatae vim eandem existimavit cum illa: שׁוּב vel סוּר מֵאַחֲרָיו *reverti* vel *recedere a tergis alicujus*, Num. XXXII, 15. 2 Sam. II, 21., ut non solum respexisse illa, verum et in urbem rediisse dicatur, quod ipsum et ex verbis Christi Luc. XVII, 32. colligi possit; qui, postquam dixit: *nemo retrorsum revertatur*, Hierosolyma, scilicet, instante obsidione egressus, addit: *mementote uxoris Loti*, scil. regressae. Verum Servatoris consilium minime fuit, φράσιν Mosaicam explicare, quin potius rem ipsam ob oculos habuit, et exemplo quodam, quod tum maxime urgeret, docere voluit, illos, qui rerum mundanarum cupidine se abripi sinant, in maximam praecipites ruere perniciem. Nulla itaque est causa, cur non sensum illum simplicem et planum, quem verba offerunt, amplectamur, respexisse Loti uxorem, desiderio videlicet patriae, rei familiaris et cognatorum, immemorem illius mandati, quod angelus illis dederat Vs. 17. Verba וַתְּהִי נְצִיב מֶלַח *et facta est statua salis*, clare dicunt, Loti uxorem in statuam salinam conversam esse. Quod tamen quum quibusdam interpretibus minus credibile videretur, verbis hebraeis aliud quid quam quod prae se ferunt innui existimant. Inter eos *Hermann von der Hardt*, qui (in *Ephemeridd. Philologg.* Dissertat. IV. p. 67. seqq.) ratus, uxorem Loti non tantum retrospexisse, sed reditum in urbem parasse, eam igne coelitus delapso, inconsulto impetu ad ignem festinantem, in flammis periisse autumat. In cujus rei memoriam vel Lotus ipse post incendium, vel postea nepotes ejus ex filiabus, Ammonitae ac Moabitae, aviae suae ex incendio ereptae, et nihilominus flammis perditae, *monumentum publicum* erexerint, quod ob materiam peculiarem, ex qua confectum sit, נְצִיב מֶלַח *statua salis* a Mose dicatur. Eam sententiam commendarunt *Just. Henr. Jenisch* (in libro, cui haec epigraphe: *Erörterung zwoer wichtiger Schriftstellen von den merkwürdigen göttlichen Zorngе-*

richten über Sodom und Gomorrha, wie auch Lots Weib, 1760.) et J. D. Michaelis in Commentat. supra ad Vs. 21. laud. §. XXIII. p. 131., qui haec verba de *cumulo salis*, seu *monumento ex sale Sodomitico* Loti uxori a posteris in illa regione erecto, intelligunt. *Clericus* in *Dissertat. de statua salina*, Commentario suo in Genesin adjecta, §. VI., mulierem aut metu diriguisse aut vapore sulfuris et bituminis suffocatam censet. Quae ipsa et fuerat Aaronis cujusdam, Caraitae, opinio, prolata a Richardo Simonio, in *Biblioth. Crit.* (Sainjorii ficto nomine a se edita) T. IV. Epist. 43. p. 417. seqq. *J. H. Maius* in *Observatt. SS.* P. I. p. 160. נְצִב מֶלַח *monumentum excidii* vertendum vult, quibus verbis indicetur, Loti uxorem flammis ultricibus absumtam, ad omnis posteritatis memoriam veluti monumentum feralis judicii excidiique durare. Sed nomen מֶלַח *excidium* valere, sine ullo idoneo argumento a Maio sumitur. Dathius hunc locum ita vertit: *Uxor vero Loti quum respiceret, in solo salsuginoso haesit infixa.* נְצִיב ei est forma nominis adjectivi, *positum, collocatum*, et תְּהִי נְצִיב idem quod תִּתְיַצֵּב *substitit*, sive passive, *infixa est.* מֶלַח vero h. l. *solum salsum* significare ait, quale est circa lacum Asphaltiten, ut docet Moses Deut. XXIX, 22. *Sulphur, sal* (מֶלַח) *et combustio universa ejus terra.* Cujusmodi solum alias dicitur מְלֵחָה, ut Psalm. CVII, 34. Ad quod si suppletur praepositio ב, quae fortasse propter praecedens ב exciderit, sensum esse hunc: *infixa haesit in terra salsuginosa*, i. e. quum rediret uxor et moraretur opum fortasse auferendarum causa, cum ceteris Sodomae et Gomorrhae incolis vel igne consumta vel vapore suffocata est. Quum autem in eo, in quo collapsa est, loco in perpetuum manserit, mulierem in illo *salso solo infixa haesisse*, instar *statuae*, recte dici potuisse Dathius putat. Sed omnia ista factum, quod hic narratur, insolitum elevandi tentamina verbis vim inferunt, uti pluribus ostendit *Christ. Wolle* in Dissertat. *de singulari facto et fato uxoris Loti*, Lips. 1730. 4. Vetus est

commentum, jam a Josepho (*Antiqq.* L. I. Cap. 11. §. 4.) traditum, statuam illam salinam superstitem manere, et si ex ea particula una die auferatur, eam altera die restitutam conspici. Cf. Clerici Dissertat. laudat. §. V. p. 376. ed. Tubing.

28. וַיַּרְא וְהִנֵּה עָלָה קִיטֹר הָאָרֶץ כְּקִיטוֹר הַכִּבְשָׁן *Ecce vero fumum terrae vidit ascendentem, quasi fumum fornacis.* *Brocardus Descript. Terrae S.* P. I. Cap. 7. §. 35.: *Mare mortuum est semper fumans et tenebrosum, sicut os inferni, ut oculis meis vidi, ob tetrum vaporem inde fumantem.* Quod ipsum plures medii aevi minime sublestae fidei scriptores narrant, qui oras illas inviserunt; de qua re vid. Ritter l. l. p. 338., qui causam quaerit in terrae motibus, quibus illis temporibus Palaestina infestabatur.

29. Quia Versibus, qui praecedunt, Abrahami meminerat, commode subjungit, ejus causa Lotum esse cum suis a Deo communi excidio ereptum. וַיְהִי est in Plusquamperfecto vertendum: *factum autem fuerat, quum perderet Deus urbes tractus illius, ut recordaretur Abrahami.* Videtur respicere illud, quod supra XVIII, 23. legimus, de Abrahamo Deum deprecante, ne probum perdat una cum improbo. Ilgen (*Urkunden* p. 102.) majorem hujus Versus partem, usque ad verba מִתּוֹךְ הַהֲפֵכָה conjungit cum XVII, 27., tanquam ad trium monumentorum antiquiorum, e quibus Geneseos librum compositum censet, illud, cujus auctor nomine divino אֱלֹהִים uti solet, pertinentem. Otiosum enim esse, uti locum nunc legimus, quod in fine Versus repetitur בַּהֲפֹךְ אֶת־הֶעָרִים וגו׳, quod p. 110. jungit Versui 30., novum Caput monumenti ejus, in quo de Deo constanter nomen יְהוָֹה usurpatur, inchoanti (*Als die Städte, in welchen Loth bisher gewohnt hatte, zerstört wurden, flohe dieser nach Zoar, etc.*). Sed vere observat Vater (*Commentar.* p. 213.), Versum 29. neque cohaerere cum Versu 30., neque quae deinceps sequuntur, usque ad Vs. 38., esse, tanquam sin-

gularem aliquam particulam, a superiore narratione divellenda, ad quam potius aperte respiciat. Versum 29. non dubium est facere clausulam digressionis, quae narrationi interponitur inde a Versu 27. de Abrahamo, simulque transitum ad reliqua, quae ad Lotum pertinerent, commemoranda. Ad verba אֶת־הֶעָרִים אֲשֶׁר־יָשַׁב בָּהֵן לוֹט *oppida, in quibus habitavit Lotus*, Aben-Esra notat, בָּהֵן capiendum esse pro באחת מהן *in quarum una habitavit*, similemque loquendi modum affert Judic. XV, 7. וַיִּקָּבֵר בְּעָרֵי גִלְעָד *sepultus est in urbibus Gilead*, i. e. in una aliqua Gileaditis urbe.

30. וַיֵּשֶׁב בָּהָר *Et habitavit in monte*, i. e. in montibus Moabiticis, qui sunt ad ortum lacus mortui, vid. Num. XXIII, 7., quae loca postea Loti posteri incolis frequentavere. כִּי יָרֵא לָשֶׁבֶת בְּצוֹעַר *Quia veritus est habitare in Zoare.* „Veram," inquit Hieronymus in *Quaestt.* ad h. l., „putamus illam Hebraeorum conjecturam de Segor, quod frequenter terrae motu subruta, *Bale* [בֶּלַע supra XIV, 2., i. e. *absorptio*] primum, et postea *Salisa* [שְׁלִשִׁיָּה Jesaj. XV, 5., *quod tertio terrae motu prostrata sit*, ut ait Hieronymus ad laud. Jes. loc.] appellata sit, timueritque Lot dicens: si quum ceterae adhuc urbes starent ista saepe subversa est, quanto magis nunc in communi ruina non poterit liberari?" וַיֵּשֶׁב בַּמְּעָרָה *Et habitabat in spelunca.* Illarum regionum incolae pro domibus speluncas habuerunt; cf. supra XIV, 6., infra XXXVI, 20. seqq., Deut. II, 12. 22. Sunt in ista regione speluncae, quae tam siccae et spatiosae sunt, ut non solum familiae minores, verum et centum et mille hominum eas habitare possint. Vid. Josephum *de bello Jud.* L. I. Cap. 16. §. 4. Voci בְנֹתָיו, qua clauditur Versus, codex Samaritanus addit עמו *cum eo*, ut LXX. *μετ᾽ αὐτοῦ.* Nulla causa erat addendi, sed ut superfluum resecari potuit, quum ante occurrat.

31. וְאִישׁ אֵין בָּאָרֶץ לָבוֹא עָלֵינוּ כְּדֶרֶךְ כָּל־הָאָרֶץ *Et vir nullus est in hac terra, ad veniendum super s. ad*

nos secundum viam omnis terrae, i. e. qui nobiscum congrediatur, ut orbis natura fert et consuetudo. Omnem, quae sequitur, narrationem de Moabitarum et Ammonitarum ortu ex incestu cum patre commisso excogitatam fuisse odio, quo illos populos Hebraei sunt prosequuti, non improbabilis est de Wettii conjectura, *Beiträge zur Einleit. in das A. T.*, P. II. p. 94.

32. Pro לְכָה codex Samaritanus exhibet לְכִי femininum, haud dubie a manu male seduli correctoris, textum ad normam vulgaris Grammaticae exigentis. Masculinum Verbum et de femina adhiberi potest, quod vim Adverbii hortantis habet, quemadmodum supra XI, 3. 7. הָבָה Plurali jungitur.

33. וְלֹא־יָדַע *Nec agnovit*, scil. filiam suam esse, quacum concumberet. Videtur אוֹתָהּ *eam* subaudiendum, quemadmodum 1 Sam. XXVI, 12., ubi narratur, Davidem abstulisse hastam et amphoram Saulis, in mediis castris dormientis, inter sopitos suos, אֵין רֹאֶה וְאֵין יוֹדֵעַ *nemo vidit, et nemo cognovit*, subaudiendum אותו *eum*, aut זאת *hoc*. Literae ו vocis וּבְקוּמָהּ *et cum surgeret*, impositum est in nostris codicibus Hebraeis punctum extraordinarium, quod observatum jam Hieronymo, qui in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l. *adpungunt*, ait, *desuper, quasi incredibile, et quod natura rerum non capiat, coire quemquam nescientem.* Sed scriptoris mens nequaquam videtur fuisse, ignorasse Lotum, se coivisse, sed cum qua muliere coivisset. Saniorem rationem punctorum illorum extraordinariorum, quae singulis literis integrisve vocibus passim imposita reperiuntur in codicibus Hebraeis, reddiderunt *Hillerus* in libro *de arcano Kethib et Keri*, p. 155., *et Hüpeden von der wahren Ursache und Bedeut. der ausserordentl. Puncte*, §. 4. p. 11., veteres librarios iis literis puncta superne addidisse, quas in codicibus quibusdam deesse animadverterint. Et nostrum quidem locum quod attinet, quum Vs. 35. eadem vox recurrat scripta וּבְקֻמָהּ, Criticus quidam, ut variam ortho-

graphiam harum vocum in unam formam redigeret, τὸ ו puncto notaverit. Cf. *G. J. L. Vogel* Epimetron ad Cappelli *Crit. S.* a se edit. L. III. Cap. 18. p. 455.

35. וַתַּשְׁקֶיןָ גַּם בַּלַּיְלָה הַהוּא אֶת־אֲבִיהֶן יָיִן *Dederunt ergo etiam hac nocte patri suo vinum bibendum.* „Mirum est," vere observat Clericus, „hominem passum se a filiabus ita inebriari; nisi antea plusculum bibere interdum solitus fuerit."

36. מוֹאָב plerique volunt idem esse quod מֵאָב *e patre,* quod e patre eum suscepit. Sed Hillerus in *Onomast.* p. 414., quem sequitur Simonis *Onomast.* p. 470., מוֹאָב contractum putat e מוֹבָא אָב *coitus cum patre.* Nobis מוֹ videtur priscum nomen ejusdem cum ماء significationis esse, quod et *aquam* et *semen* valet (cf. מַיִם *de semine* Jes. XLVIII, 1.); ut מוֹאָב *semen patris,* i. e. a patre susceptam prolem denotet.

37. בֶּן־עַמִּי *Filius populi mei,* quasi ex suo genere et sanguine prognatus sibi, nempe ex patre, non ex peregrino. Is pater fuit Ammonitarum.

10. *Abrahamus Gerare peregrinans Saram uxorem suam esse dissimulat, quam ducere parat Abimelechus. Is vero somnio monitus illam Abrahamo reddit intactam, Abrahamusque pro Abimelecho Deum deprecatur.* Cap. *XX.*

Cap. XX, 1. וַיִּסַּע אַבְרָהָם מִשָּׁם אַרְצָה הַנֶּגֶב *Tum Abrahamus exinde proficiscebatur in terram meridiei,* i. e. ratione Cananaeae, Idumaeam versus; cf. ad XIII, 1. בֵּין־קָדֵשׁ וּבֵין שׁוּר *inter Cadesum et Schurem.* De *Cades* vid. supra ad XVI, 14., de *Schur* ad Vs. 17. ejusd. Cap. וַיָּגָר בִּגְרָר *Et Gerare peregrinatus est. Gerar* urbs fuit Cananaeorum, ditionis eorum ad meridiem terminus, vid. supra ad X, 19. Quae ibi ex Hieronymo attulimus, excipiunt apud eum haec, ad hunc locum spectantia: *Scriptura commemorat, fuisse eam inter Cades et Sur, hoc*

est, inter duas solitudines; quarum una Aegypto jungitur, ad quam populus trans fretum rubri maris pervenit, altera vero Cades usque, ad Saracenorum Eremum extenditur.

2. Quae hoc Capite Abrahamo ejusque uxori, Sarae accidisse narrantur in aula Abimelechi, regis, in nonnullis similia sunt iis, quae Abrahamo cum uxore famis causa in Aegypto peregrinanti acciderunt, vid. supra XII, 12. Quae vero hic narrantur, statim post Abrahami reditum ex Aegypto accidisse, nec eo temporis ordine, quo hic sequuntur, conjecit jam Hugo de S. Victore, qui seculo duodecimo ineunte Annotationes in Genesin scripsit, referente J. A. Osiandro in Commentario ad h. l. Illius vestigiis insistens et Rich. Simon in Praefat. ad Histor. Crit. V. T. *** 3. fol. vers. hanc narrationem turbato voluminum ordine huc translatam esse opinatur. Eadem est Clerici sententia, observantis, postquam Deus Sarae Isaacum promisit (Cap. XVIII.), intercessisse dumtaxat annum ab eo promisso ad ejus partum; quo temporis spatio non potuisse Saram in regiam Abimelechi duci, et sat diu ibi commorari (coll. Vs. 17.), quin gravidam eam agnoscerent. Nec credibile esse, nonagenariam mulierem (qualis Sara esse debuit, si eo, quo haec historia narratur, tempore ab Abimelechum venisset), tantas formae praeteritae reliquias servasse, ut viros amore incenderet. At contra secundum temporis reique gestae ordinem descriptam et suo loco insertam esse hanc historiam, ostendere studet *Deyling* in *Observatt. SS.* P. I. p. 51. „Nam Abrahamus," inquit, „ex eo tempore, quo se a Loto fratre separavit, et in convalle Mambre prope Hebron habitare coepit, supra XIII, 18., nec ante excidium Sodomiticum alio migravit, quemadmodum ex serie narrationis Mosaicae a Cap. XIII. usque ad XX., praesertim ex initio Capitis XVIII. cognosci potest. Ante cladem vero Sodomiticam, et priusquam ex convalle Mambre demigraret Abrahamus, Saram nonaginta annos natam jam fuisse, manifeste proditum est XVII, 17." Il-

lud tamen mirum esse, Deyling fatetur, quod Abimelechus, simulac Saram nonagenariam contemplatus est, in ejus exarserit amorem, non secus, ac si tenerrima puella esset. Quod autem ad hunc nodum expediendum affert, fuisse regem non tam pulchritudine Sarae, quam singulari ejus pietate et amore in Abrahamum, permotum, ut illam matrimonio sibi jungere decerneret, aliis vix probabile fuerit. Qui Geneseos librum e duobus pluribusve antiquioribus monumentis compositum volunt, idem quod supra XII, 12. e libro nomine יְהוָֹה insignito in Aegypto evenisse narratum erat, hic ex alio libro, cujus auctor nomen divinum אֱלֹהִים usurpare soleret, tanquam quod Gerare factum esset, variatis nonnullis *περιστάσεσι*, relatum existimant, et simile quid, quod Isaaco Gerare commoranti acciderit, repetitum infra XXVI, 7. Vid. *de Wette Beyträge*, P. II. p. 112. LXX. post verba אֲחֹתִי הִוא addunt: *Ἐφοβήθη γὰρ εἰπεῖν ὅτι γυνή μου ἐστι· μήποτε ἀποκτείνωσιν αὐτὸν οἱ ἄνδρες τῆς πόλεως δι' αὐτήν*, *timebat enim dicere, uxor mea est, ne interficerent eum urbis incolae propter eam.* Glossema fortasse, quod in textum irrepsit.

3. הִנְּךָ מֵת *Ecce te mortuum,* LXX. *σὺ ἀποθνήσκεις,* h. e. *θανάτῳ ἔνοχος*, nisi reddas uxorem viro. Abimelechum jam aegrotum fuisse, eamque ob causam Saram intactam mansisse, ex narrationis serie potest colligi, vid. Vs. 4. 6. 17. 18. Pro עַל־הָאִשָּׁה *propter uxorem*, in codice Samaritano est על אודות האשה, eodem sensu. Cf. infra XXI, 11.

4. אֲדֹנָי הֲגוֹי גַּם־צַדִּיק תַּהֲרֹג *O domine, num etiam gentem justam interficies?* Hic Abimelechus non se *gentem* vocat, sed universalius rem peculiarem exprimit, ita ut *gens justa* idem sit quod צַדִּיק *justus*, i. e. innocens in universum. LXX. *ἀγνοοῦν καὶ δίκαιον.*

5. בְּתָם־לְבָבִי וּבְנִקְיֹן כַּפַּי עָשִׂיתִי זֹאת *In integritate animi mei et in munditie manuum mearum hoc feci*, h. e. nihil mali habebam in animo, sine ullius injuria, quam noscerem me facere.

6. עַל־כֵּן לֹא־נְתַתִּיךָ לִנְגֹּעַ אֵלֶיהָ *Propterea non permisi, ut eam tangeres,* morbo ei immisso; vid. ad Vs. 3.

7. כִּי נָבִיא הוּא *Propheta enim est*, i. e. familiaris meus et nuntius. נָבִיא proprie *oratorem* (vid. *Prolegomm. ad Psalmos* p. IV. Not. 3.), hinc *nuncium, internuncium, interpretem* designat. Sic Aaron Exod. VII, 1. dicitur Mosis נָבִיא, quia mandata Mosis ad Pharaonem perferebat. Hic Abrahamus Abimelechi veluti est *nuntius* ad Deum, quem Philisthaeorum regi exorat, uti sequitur: וְיִתְפַּלֵּל בַּעַדְךָ *deprecabitur pro te.* „Nam ut prophetae a Deo ad homines mittuntur, sic quoque homines instruunt prophetas veluti mandatis, quae ad Deum perferant, quod ab iis Deum facilius exorari existiment." *Cleric.* Cf. Jerem. VII, 16. אַל־תִּתְפַּלֵּל בְּעַד הָעָם הַזֶּה *noli deprecari pro hoc populo;* quod repetitur XI, 14. XIV, 11. — וֶחְיֵה *Et vive*, i. e. et vives. Imperativus pro Futuro, ut infra XLII, 18. Ps. XXXVII, 27., ad quem loc. cf. not. וְאִם־אֵינְךָ מֵשִׁיב *Si vero non reddideris*, scil. אֵשֶׁת־הָאִישׁ *uxorem illius viri*, דַּע כִּי־מוֹת תָּמוּת אַתָּה וְכָל־אֲשֶׁר־לָךְ *scito, te omnesque tuos perituros esse.* Huc respicit auctor Psalmi CV., ubi beneficia enarrans, quae in patriarchas contulit, Vs. 15. et hoc commemorat, quod Deus edixerit regibus: *Ne tangatis unctos meos*, mihi consecratos, וְלִנְבִיאַי אַל־תָּרֵעוּ *et prophetis meis ne malum faciatis.*

8. וַיִּקְרָא לְכָל־עֲבָדָיו *Et vocavit omnes servos suos.* Qui hic nominantur servi, non sunt mancipia, sed aulici liberae sortis.

9. וּמֶה־חָטָאתִי לָךְ כִּי־הֵבֵאתָ עָלַי וְעַל־מַמְלַכְתִּי חֲטָאָה גְדֹלָה *Et quid in te deliqui, ut in me et in regnum meum magnum peccatum adduceres?* i. e. nos magni peccati reos faceres, adeoque gravissimas a Numine poenas nobis contraheres. מַעֲשִׂים אֲשֶׁר לֹא־יֵעָשׂוּ *Opera quae non fient*, i. e. quae fieri non debent, ut infra XXXIV, 7. Levit. IV, 2. Cf. *Glassii Philol. S.* p. 199. edit. Dath.

10. מָה רָאִיתָ כִּי עָשִׂיתָ אֶת־הַדָּבָר הַזֶּה *Quid hic vidisti, ut hoc faceres?* i. e. qui tibi ista in mentem venire poterant? An vidisti hic morem esse, ut viris uxores raperentur, aut ut peregrini occiderentur?

11. כִּי־אָמַרְתִּי *Dixi enim,* scil. בְּלִבָּבִי *in corde meo,* apud me, i. e. cogitavi. In codice Samaritano praemittitur כי יראתי *quia timui; ideo dixi.*

12. וְגַם אָמְנָה אֲחֹתִי בַת־אָבִי הוא וגו׳ *Vere soror mea est ex patre, sed non ex matre, igitur eam duxi in matrimonium.* Sara Therachi ex altera uxore filia fuit. Licitum igitur tum habebatur, sororem ὁμοπάτριον in matrimonium ducere; id quod postea Israelitis lege Mosaica interdictum est. Ceterum ejusmodi matrimonia apud Persas ante Cambysen, apud Aegyptios et Athenienses licita erant. *Cornelius Nepos* in vita Cimonis Cap. 1.: *Habebat autem in matrimonio sororem germanam suam, nomine Elpinicen, non magis amore, quam more ductus. Nam Atheniensibus licet eodem patre natas, uxores ducere.* Mnesiptolemam, filiam Themistoclis ex secundis nuptiis genitam, Archeptolis frater non ex eadem matre (ὁ ἀδελφὸς οὐκ ὢν ὁμομήτριος) duxit, uti refert Plutarchus in Themistocle p. 128. *Philo* de *specialibus legibus*, agens de sororibus ducendis: Ὁ μὲν οὖν Ἀθηναῖος Σόλων ὁμοπατρίους ἐφεὶς ἄγεσθαι, τὰς ὁμομητρίους ἐκώλυσεν· *Atheniensis Solon permisit ex eodem patre sorores ducere; ex eadem matre vetuit.* Eundem morem Phoenicibus tribuit Achilles Tatius, Lib. I. a quibus fortasse ad Athenienses venit, ut multa alia.

13. וַיְהִי כַּאֲשֶׁר הִתְעוּ אֹתִי אֱלֹהִים מִבֵּית אָבִי *Et factum est quum errare me fecerint dii e domo patris mei,* i. e. postquam, patria egressus, per varias, Deo auctore, vagari coeperam terras, vitam Nomadicam agens. אֱלֹהִים numero plurali saepius significat *unum Deum,* et plerumque cum Verbo singulari jungitur; sed aliquando, numeri potius quam significationis ratione habita, sequitur Verbum plurale, ut hoc loco, ubi de vero Deo agi li-

quet ex Genes. XII, 1. Similis constructio occurrit infra Cap. XXXV, 7., et 2 Sam. VII, 23. coll. cum 1 Paralip. XVII, 21. Quinimo adjectivum plurale קְדֹשִׁים, ubi de Deo Israelis sermo est, nomini אֱלֹהִים jungitur Jos. XXIV, 19. In codice Samaritano h. l. התעה in Singulari legitur, quemadmodum infra XXXV, 7. נגלה pro נִגְלוּ, quod in textu Hebraeo nomini אֱלֹהִים junctum exstat. Utrumque debetur Criticorum Samaritanorum studio, scriptorem a polytheismi suspicione liberandi. Cf. *Ravii Exercitatt. ad Hubigantii Prolegomm.* p. 77. et *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 710. not.

14. Pro וַיִּקַּח אֲבִימֶלֶךְ צֹאן וּבָקָר in codice Samaritano legitur: ויקח אבימלך אלף כסף וצאן ובקר quocum conveniunt LXX.: *Ἔλαβε δὲ Ἀβιμέλεχ χίλια δίδραχμα, πρόβατα καὶ μόσχους.* Quia enim mox Vs. 16. Abimelechus testatur, se Abrahamum donasse mille siclis; male sedulus librarius, qui absonum censuerit, mille siclos in enumeratione donorum Abimelechi omitti, אֶלֶף כֶּסֶף hic inseruit. Temere profecto. Nam, ut vere monet Salomo Dubnensis in Commentario hebraico, versioni Pentateuchi teutonicae a Mose Mendelii filio confectae, adjecto, quae Vs. 14. memorantur munera Abimelechus Abrahamo soli, ut eum sibi propitium redderet, dedit, sed mille siclos argenteos Vs. 16. commemoratos illi propter Saram tradidit, unde inter dona, quae Abrahamus accepit, non recensentur, uti contra inter ea quae Abrahamus accepit ad placandam Saram, non memorantur pecudes, servi et ancillae.

16. נָתַתִּי אֶלֶף כֶּסֶף *Dedi mille argenti*, i. e. סַלְעִין דִּכְסַף *siclos argenteos*, ut Onkelos vertit. LXX. *χίλια δίδραχμα*, „quod fuit sicli pretium, si drachmas Alexandrinas intelligamus, quae Atticis duplo graviores erant. Fuit sicli pondus semuncia Romana, ut ostendunt Rich. Cumberlandus et Edm. Bernardus *de mensuris et ponderibus Veterum*. Itaque mille argentei hic sunt circiter Hollandicae pecuniae, pro aestimatione purissimi argenti,

mille trecenti floreni." *Cler.* Verum cum didrachmo Alexandrino, sive statere Attico, siclum ante Mosis tempora comparari non debere, illoque multo minorem fuisse credibile esse, neque omnino antiquissimi illius sicli pretium definiri posse, pluribus ostendit *J. D. Michaelis* in *Commentat. I. de Siclo ante exilium Babylonic.* (in *Commentatt. Soc. Reg. Gotting. an. 1752.* T. II.) §. IV. p. 53. seqq. לְאָחִיךְ *Fratri tuo*, i. e. Abrahamo, quem fratrem tuum dixisti. Verborum quae sequuntur, הִנֵּה הוּא־לָךְ כְּסוּת עֵינַיִם לְכֹל אֲשֶׁר אִתָּךְ tot paene exstant explicationes, quot sunt interpretes. Nam etsi minime dubium sit, כְּסוּת עֵינַיִם esse *velamen oculorum*, tamen quid Abimelechus his verbis, donum illud, quod dedit Abrahamo, esse Sarae suisque omnibus velamen oculorum, indicare voluerit, obscurum est. Variae jam veterum de his verbis erant sententiae. LXX. Ἔσται σοι εἰς τιμὴν τοῦ προσώπου σου, *hoc tibi erit in honorem*, sive *pretium vultus tui*. Quibus verbis quid sibi voluerit interpres, difficile dictu est, nisi forsan idem, quod Onkelos expressit: הָא הוּא־לִיךְ כְּסוּת דִּיקָר עֲיָינִין חֲלָף דִּשְׁלַחִית וּדְבַרְתִּיךְ וַחֲזֵית יָתִיךְ וְיָת־כָּל־דְּעִמִּיךְ *En! hoc tibi velamen honoris est, pro eo, quod misi et adduxi te*, i. e. *quod te ad me accersivi, vidique te et omnes qui tecum sunt.* Jonathan: אִינּוּן לָךְ תַּחְמְרָא דְעַיְינִין חֲלָף דְּאִתְכַּסִּית מִן בַּעֲלִיךְ לֵילְיָא חָדָא וַחֲמֵית יָתִיךְ *Illi* (mille sicli argentei) sunt *tibi velum oculorum* (pro quo Targum Hierosolymitanum מַתְּנָה *donum* habet) *pro eo quod nocte una a marito tuo occultata fueris, et* ego *te adspexerim.* Syrus: ܐܦ ܗܘ ܝܗܝܒ ܠܟܝ ܚܠܦ ܕܚܦܝܬܝ ܥܝ̈ܢܐ ܕܟܠ ܕܥܡܝ *etiam hoc datum est tibi pro eo quod velasti oculos omnium qui mecum* sunt, meorum omnium. Videtur interpres *velo oculorum* illud significari putasse, quod Abrahamus, dum Saram sororem suam vocabat, Abimelechi suorumque oculos quasi velasset, ne viderent verum, Saram videlicet Abrahamo nuptam esse. Quod tamen cur Abimelechus mille siclorum dono remuneratus sit, vix intelligitur. Saadias:

يَكُونُ لَكِ مَصْرُوفًا فِي كِسْوَةٍ حَسَنَةٍ لِكُلِّ مَنْ مَعَكِ *impendatur tibi pro vestitu pulchro omnibus qui tecum sunt.* Cepit is כְּסוּת significatu Arabici كِسْوَة, et עֵינַיִם elliptice positum existimavit pro מַחְמַד עֵינַיִם *desiderium oculorum*, oculis desiderabile, pulchrum adspectu (1 Reg. XX, 6. Ezech. XXIV, 16. 21. 25.). Jarchi verba ita exponit: ecce, hunc tibi honorem habui: dedi opes ei, quem fratrem tuum esse dixisti; opesque et honor iste erunt tibi *tegumentum oculorum*, i. e. defensio pudicitiae tuae, ne quis te tanquam stupratam despiciat. Aben-Esra הוּא refert ad Abrahamum, ut dicat Abimelechus, Abrahamum Sarae pro velamine oculorum esse, eam ejus praesidio tutam, et quasi velamine tectam, ne quis ejus pulchritudine inflammatus in eam quicquam tentare auderet; ut non necesse haberet eum dissimulare, sed palam ac aperte pro marito suo posset agnoscere; eundemque Abrahamum fore quoque omnibus, quae cum Sara sint, i. e. ancillis nuptis, operimentumo culorum, i. e. eis praestiturum, ne quis lascivos et impudicos oculos in eas conjiciat. Sed multo aptius הוּא refertur ad אֶלֶף כֶּסֶף, quomodo interpretes reliqui omnes statuunt. In dictionis כְּסוּת עֵינַיִם interpretatione tamen et recentiores vehementer inter se dissentiunt. Plerique tamen *defensionem pudoris* illa indicari putant, quoniam pudicae in Oriente solent velari propter virorum verecundiam; ut Rebecca fecit, cum Isaaco occurrit, Genes. XXIV, 65. Et hi tamen verba varie capiunt. Fagius et Castalio sensum hunc esse volunt: numos dedi, non tibi, ne videar pretium dedisse pudoris, sed tuo viro, homini honesto, qui eos profecto non accepisset, si te a me correptam putaret, ne suae conjugis pudorem vendidisse putaretur. His numis volo testatum, te a me esse integram, atque hoc tibi defensioni erit, si quis te vituperet. Alii verba כְּסוּת עֵינַיִם tropice accipiunt, scilicet acceptae in-

juriae memoriam ex animo esse delendam, ut dicat Abimelechus: dedi *fratri tuo mille siclos argenteos, ut conniveas in iis, quae tibi evenerunt.* Nobis quidem hunc locum nemo felicius videtur tractasse *N. G. Schroedero*, qui in Comment. *de Vestitu mulier. Hebraear.* p. 89., observat, antiquissimis illis temporibus morem fuisse puellis, faciem non prius obvelandi, quam cum viro essent jungendae, ut ita marito servandam fidem significarent. Sane de Rebecca et Rahele virginibus Gen. XXIV, 15. 17. et XXIX, 9. non legitur, quod fuerint velatae, sed earum vultus conspectui patebat. Quod et de Sara observare licet ex Gen. XII, 14. nuda facie in publicum prodeunte, cum se Abrahami innuptam sororem simularet. Eadem apud Lacedaemonios olim vigebat consuetudo, referente Plutarcho in *Laconicis Apohthegmm.*, Oper. T. II. p. 232. Πυνθανομένου δέ τινος διὰ τί τὰς μὲν κόρας ἀκαλύπτους, τὰς δὲ γυναῖκας ἐγκεκαλυμμένας εἰς τοὐμφανὲς ἄγουσιν; ὅτι (ἔφη) τὰς μὲν κόρας ἄνδρας εὑρεῖν δεῖ· τὰς δὲ γυναῖκας, σώζειν τοὺς ἔχοντας. *Quaerenti, cur* (Spartani) *virgines detectas, mulieres velatas in publicum emitterent? quia, inquit, virginibus quaerendi sunt viri, mulieribus opera danda, ut servent maritos.* Hinc Abimelechus, reprehensurus Saram, quod matrimonium cum Abrahamo dissimulasset, et, velo contra uxorum morem deposito, virginem se gessisset: *Ecce,* inquit, *fratri tuo mille argenteos dedi, illud sit tibi velamen oculorum inter omnes, qui tecum sunt.* „Molli itaque brachio illam objurgat, ut quae regem in errorem deduxisset, simulque hortatur, ut tegumentum sibi comparet, ne et aliis viris idem accidat quod sibi.“ Haud minor interpretum dissensus est circa postrema hujus Versus verba: וְאֵת כֹּל וְנֹכָחַת. LXX. Καὶ πάντα ἀλήθευσον, *et omnibus in rebus veritatem dicito.* Aut retulit interpres נֹכָחַת ad נְכֹחָה *rectum* (cf. Amos III, 10.), quasi proprie sit: *sis recta, s. verax;* aut sensum liberius expressit pro eo, quod proprie notat: *et redarguita es, s. sis*, a Verbo יָכַח. Similiter Persa: ونصيحتش كرده شدى *ut admonita*

sis. Nec aliud videtur Saadias voluisse: وَهُوَ الْكُلّ حَيَاءٌ لَكِ *et hoc omne sit tibi pudori.* Hieronymus: *et quocunque perrexeris; mementoque te deprehensum.* Sed נֹכָחַת est tertia feminina, forma ad Chaldaismum inclinante, pro נֹכַחָה. Secunda foret נֹכַחַתְּ. Onkelos: וְעַל־כָּל־מַה דְאָמְרַתְ אִתּוֹכַחַת, *et de omnibus quae dixit redarguida, s. reprehensa est.* Quocum convenit Arabs Erpenii: وعلي كل شي توبخت *et de omni re reprehensa est.* Quod disertius explicat Kimchius in Lexico, monens, verba haec esse non Abimelechi, sed scriptoris volentis dicere, quod, quandoquidem omnia haec illi evenerint, nunc ita correpta et monita fuerit, ne ultra se diceret sororem Abrahami, ob periculum in quod semel jam atque iterum adducta fuerat eo nomine. Quae quidem interpretatio et verbis et rei, de qua agitur, omnium optime videtur convenire. ו ante נֹכָחַת redundat, ut Levit. XII, 16. וּמִמָּחֳרָת וְהַנּוֹתָר מִמֶּנּוּ יֵאָכֵל *et postridie residuum ex eo comedatur.* Vid. et Jerem. XL, 8. Erant, qui vocem נֹכָחַת ex Arabico نَكَحَ *matrimonio sibi junxit feminam* explicandam putarent, ut *Seidenstücker* in Commentat. in h. l., quae legitur in *dem Magazin für Religionsphilosophie, Exegese* etc. P. IV. p. 218. seqq., qui vertit: *et eris*, permanebis *juncta marito*; et *J. H. Verschuir*, qui in *Opuscc.* p. 323. seqq. hunc locum minus feliciter tractavit. Praetermittimus plures alias parum probabiles interpretationes, quas, qui noscere cupiat, evolvat *A Pfeifferi Dubia vexata*, Cent. I. Loc. 49. in *Operr.* p. 67. seq., *C. B. Starkii Nott. selectt.* p. 44., et *J. D. Michaelis Biblioth. Orient.* P. IX. p. 188.

18. כִּי־עָצֹר עָצַר יְהוָה בְּעַד כָּל־רֶחֶם לְבֵית אֲבִימֶלֶךְ עַל־דְּבַר שָׂרָה *Nam occluserat Jova omnem uterum domus Abimelechi propter Saram.* Huc facit, apposite obser-

vante Clerico, quod habet, Hesiodus *Oper. et Dier.* Vs. 240.

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπηύρα,
Saepe tota urbs malum ob virum plectitur.

Quarto post Versu sequitur:

Οὐδὲ γυναῖκες τίκτουσιν, μινώθουσι δὲ λαοί,
Neque mulieres pariunt, minuuntur autem populi.

11. *Isaacus nascitur, circumciditur, ablactatur. Hagara, Sara postulante, una cum Ismaele pellitur. Illi per desertum erranti promittit angelus, Ismaelem fore patrem numerosae gentis. Cap. XXI, 1—21.*

CAP. XXI, 1. וַיהוָֹה פָּקַד אֶת־שָׂרָה *Jova Saram invisit*, rationem ejus habuit, meminit ejus, sive promissi, quod ei fecerat. Ita Onkelos: דְּכִיר יַת־שָׂרָת *meminit Sarae*. Nam Deus, cum mulieribus sterilibus concipiendi et pariendi vim concedit, *earum meminisse* dicitur; vid. infra XXX, 22. 1 Sam. I, 19. Verbum פָּקַד proprie denotat: *aliquid adcurate inspicere*, quemadmodum ii solent, quibus cura alicujus rei credita est; hinc, *curam gerere*, et ejus curae specimina edere, atque in utramque partem sumitur, modo enim, praesertim ubi Accusativo nudo jungitur, curam faventis, modo plectentis significat, maxime si per עַל construitur. Hoc loco in bonam partem sumitur: gratiosum se exhibuit erga Saram, quum fidem ei datam impleret. LXX. Καὶ Κύριος ἐπεσκέψατο τὴν Σάῤῥαν.

5. Quia supra Vs. 2. Abrahamum senem dixerat, eique seni Saram filium peperisse, nunc demum voluit ejus aetatem addere, ut res appareret admirabilior. Vel jungitur hic Versus cum proximo hoc modo: quum autem centenarius esset Abrahamus nato ei Isaaco; dixit Sara, et quae sequuntur.

6. צְחֹק עָשָׂה לִי אֱלֹהִים *Risum mihi fecit Deus*, i. e. ridendi, sive laetandi causam (Onkelos: חֶדְוָא *laetitiam*) mihi Deus praebuit. Similiter Ps. CXXVI, 2. אָז יִמָּלֵא שְׂחוֹק פִּינוּ *Tunc implebitur risu*, i. e. gaudio *os*

nostrum. Innuit Sara his verbis, jam se intelligere, eum, qui ipsam ob risum reprehendisset, non hominem, sed Deum fuisse. יִצְחַק־לִי esse potest sive *ridebit mihi*, i. e. adridebit mihi, sive *mecum laetabitur*, mihi gratulabitur, ut LXX. verterunt: συγχαρεῖταί μοι. Syrus et Onkelos per חֲדָא *laetari*. „Alludit Sara ad nomen pueri, quem Graeci scriptores, qui Judaicam historiam attigerant, dixerunt ἑλληνιστὶ γέλωτα ὀνομασθῆναι, *Graece risum appellatum.* Verba sunt Melonis apud Eusebium *Praepar. Evang.* L. IX. Cap. 19." *Cleric.*

7. וַתֹּאמֶר *Et dixit* insuper, ut intelligeretur, unde risus et sibi et aliis oboriatur. מִי מִלֵּל לְאַבְרָהָם *Quis unquam Abrahamo dixisset?* q. d. nemo procul dubio ausus fuisset hoc Abrahamo dicere, nedum spondere. Praeteritum δυνητικῶς pro Futuro. Sed Onkelos: מְאַן מְהֵימַן דַּאֲמַר לְאַבְרָהָם וְקַיֵּים *Quam fidelis* est ille, qui *dixit*, promisit, *Abrahamo*, Saram filios lactaturam, *et promissis stetit?* Quod sequutus Jarchi, מִי hic esse dicit לשון שבח וחשיבות *vocem laudis et aestimationis*, quasi dicat: ראו מי הוא וכמה הוא גדול שומר הבטחה ומבטיח ועושה *Videte, quis et quantus sit ille, qui servat promissionem, qui promittit, et* promissum *facit.* Sed quod sequitur הֵינִיקָה ita non satis quadrat, nec tota sententia recta procedit. Quod autem מִלֵּל potius quam דִּבֵּר aut אָמַר hic positum est, Jarchi ait ideo factum esse, quod illius vocis literae numerum centenarium exprimunt (מ enim 40 et duplex ל 60 valet), ad innuendum, hanc tam praeclaram promissionem Abrahamo prodigiose praestitam anno ejus centesimo. Sanius est, quod affert Salomo Dubnensis (supra ad Vs. 14. laudatus), videri hunc Versum continere breve carmen, quod Sara cecinerit in rem illam prodigiosam quae ipsi accidit, quemadmodum Hanna Deum carmine celebravit, postquam filium peperisset 1 Sam. II, 1—7. Esse enim tria aequalia membra, quae singula tribus constant vocibus:

מִי מִלֵּל לְאַבְרָהָם
הֵינִיקָה בָנִים שָׂרָה
כִּי־יָלַדְתִּי בֵן לִזְקֻנָיו׃

Porro carmen hic legi suadere et Verbi מִלֵּל Chaldaeis magis usitati usum, quod nonnisi in poëticis V. T. libris usurpari soleat, et illud, quod Praeteritum הֵינִיקָה pro Futuro, poëtarum more, ponitur. הֵינִיקָה בָנִים שָׂרָה *Saram liberos esse lactaturam.* Pluralis numerus בָּנִים hic non urgendus est, quum hic non de numero filiorum sermo sit, sed illud universe miratu dignum esset, liberos sive plures sive pauciores seni obtigisse. LXX. *παιδίον.*

8. וַיִּגְדַּל הַיֶּלֶד וַיִּגָּמַל *Et crevit puer et ablactatus est.* Lactationis tempus, ut adhuc hodie apud plures Orientis populos, sic et olim per biennium trienniumve duravit. Hinc 2 Maccab. VII, 28. mater septem fratrum ab Antiocho occisorum filio dicit: *Miserere mei, quae te per novem menses in utero gessi; et per triennium lactavi.* Mosen tempore ablactationis suae *τριετῆ γεγεννῆσθαι, triennem fuisse, Josephus* dicit *Antiquitt.* L. II. c. 9. וַיַּעַשׂ אַבְרָהָם מִשְׁתֶּה גָדוֹל בְּיוֹם הִגָּמֵל אֶת־יִצְחָק *Et Abrahamus eo die, quo ablactatus est Isaacus, magnum convivium paravit.* Videtur hoc convivium ab Abrahamo instructum esse pro recepto apud gentem Cananaeam, quacum versabatur, more. Fortasse Cananaei eum diem, quo filius primogenitus per se comedere coepit, festiva solemnitate et laetitia celebrarunt. Simile quid observasse sibi videtur *Dougtaeus Analectt. SS.* p. 23. in Spartanorum festo, quod *τιθηνίδια* vocarunt a *τιθήνη nutrix.* Diem, quo infans ablactatur, apud Persas hodienum festiva solemnitate celebrari, narrat Morier, vid. *das alte und neue Morgenl.* P. VI. p. 243. sequ.

9. מְצַחֵק *Ludentem.* LXX. *παίζοντα μετὰ Ἰσαὰκ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς,* quos sequitur *Vulgatus: ludentem cum Isaaco filio suo.* Sed hoc molle nimis. Neque enim adeo indignatione commota fuisset Sara, si Ismael cum Isaaco tantum lusisset. Nec de nihilo fuisse indignationem Sarae, arguit subsequens admonitio Dei, ut Sarae voci auscultet Abrahamus. Nonnulli putant, rixas obortas esse inter Ismaelem et Isaacum de hereditate, atque Ismaelem jus primogeniturae jactantem contempsisse Isaa-

cum. Alii, Ismaelem in convivio ablactationis subsanasse parentes, et convivas illis de filio gratulantes. Multa alia fabulantur Rabbini. Optime interpretatur vocem מְצַחֵק per ἐδίωκε Paulus Galat. IV, 29., quae vox omnis generis injurias exprimit, quibus fortasse Ismael Isaacum affecit.

10. Postulabat Sara, ut Abrahamus Hagarem una cum filio e domo pelleret, quia verebatur, ne forte Abrahamo mortuo, et Ismaele in haereditatem se intrudente, vel ipse Isaacus extruderetur, vel nonnisi aequali jure cum altero patri succederet.

11. וַיֵּרַע הַדָּבָר מְאֹד בְּעֵינֵי אַבְרָהָם עַל אוֹדֹת בְּנוֹ *Et male fuit verbum valde in oculis Abrahami*, i. e. hoc vero Abrahamo vehementer displicuit *propter filium suum*. Ismael enim, ex illorum temporum more, Abrahami filius legitimus, nec deterioris fuit sortis quam Isaacus; propterea durius ei videbatur filium cum matre ejicere.

12. בְּיִצְחָק יִקָּרֵא לְךָ זָרַע *In Isaaco tibi vocabitur semen*, i. e. Isaacus unice erit sive habebitur filius tuus, in quem solum conferenda sint beneficia tibi liberisque ante promissa. Ismaelitae quidem aliique ex Ketura suscepti liberi etiam Abrahami soboles habiti sunt; sed Isaacus, et ex Isaaco oriundi ceteris longe sunt praelati et Abrahamidae κατ᾽ ἐξοχὴν dicti.

13. וְגַם אֶת־בֶּן הָאָמָה לְגוֹי אֲשִׂימֶנּוּ כִּי זַרְעֲךָ הוּא *Sed et filius ancillae, quia tua est proles, in gentem evadat, efficiam*. Hoc ipso pollicebatur Deus, et matris et filii curam se gessurum; ideoque non esse, cur propterea anxius esset Abrahamus.

14. שָׂם עַל־שִׁכְמָהּ *Posuit* utrem aquae *super humero ejus*, more Aegyptio, quo, ut refert *Herodotus*, Lib. II. Cap. 35. τὰ ἄχθεα οἱ μὲν ἄνδρες ἐπὶ τῶν κεφαλέων φορέουσι, αἱ δὲ γυναῖκες ἐπὶ τῶν ὤμων, *viri onera capite, feminae humeris portare solent*. וְאֶת־הַיֶּלֶד *Et puerum*, scil. tradidit ei, uti recte Hieronymus. Neque enim ma-

tris humeris puer impositus censendus est, qui tum minimum septendecim annos natus erat. וַתֵּתַע בְּמִדְבַּר בְּאֵר שָׁבַע *Et erravit per solitudinem Bersaba.* Hoc nomine haec solitudo κατὰ πρόληψιν appellatur; cf. infra Vs. 31.

15. וַתַּשְׁלֵךְ אֶת־הַיֶּלֶד *Et projecit puerum*, i. e. quum hactenus eum manu duxisset, jam siti fatiscentem sub arbore quadam prostratum reliquit.

16. הַרְחֵק כִּמְטַחֲוֵי קֶשֶׁת *Elongando se quasi jacientes arcum*, i. e. quantum qui arcu sagittam ejaculantur, elongare a se possunt sagittam. Vel: quantum sagittarii a scopo, ad quem collimant, se dum jaculantur elongare solent.

18. וְהַחֲזִיקִי אֶת־יָדֵךְ בּוֹ *Confirma manum tuam in illo*, i. e. ne eum deseras; curam ejus age, donec adoleverit.

19. וַיִּפְקַח אֱלֹהִים אֶת־עֵינֶיהָ וַתֵּרֶא בְּאֵר מָיִם *Tum aperuit ei Deus oculos et vidit puteum aquae.* Non animadverterat puteum, vel dolore quasi caeca, vel quod os illius more Arabum arena tectum erat. De ejusmodi puteis etiamnum in Oriente obviis sic dicit *Diodorus Siculus Bibl.* Lib. XIX. Τῆς γῆς οὔσης τῆς μὲν ἀργιλλώδους τῆς δὲ πέτραν ἐχούσης μαλακὴν, ὀρύγματα μεγάλα ποιοῦσιν ἐν αὐτῇ· ὧν τὰ μὲν στόμια μικρὰ παντελῶς κατασκευάζουσι, κατὰ βάθους δ' ἀεὶ μᾶλλον εὐρυχωρῆ ποιοῦντες, τὸ τελευταῖον τηλικοῦτον ἀποτελοῦσι τὸ μέγεθος, ὥστε γένεσθαι πλευρὰν ἑκάστην πλέθρου, ταῦτα δὲ ἀγγεῖα πληροῦντες ὕδατος ὀμβρίου, τὰ στόματα ἐμφράττουσι· καὶ ποιοῦντες ἰσόπεδον τῇ λοιπῇ χώρᾳ, σημεῖα καταλείπουσι, ἑαυτοῖς μὲν γινωσκόμενα, τοῖς δ' ἄλλοις ἀνεπινόητα. *Quia terra argillosa est, aut mollem habet petram, magnas in illa cavernas faciunt, quarum orificia minima sunt, prout profundius fodiunt, cavernas ampliores facientes, tandem ad eam magnitudinem deveniunt, ut unumquodque latus plethrum pateat. Receptaculis autem illis aqua pluvia repletis, orificia obstruunt, iisque reliquo solo adaequatis, signa, quae ab ipsis quidem noscantur, ab aliis vero non animadvertantur, ibi relinquunt.*

20. Verba וַיְהִי רֹבֶה קַשָּׁת non uno modo explicant, quum et de רֹבֶה et de קַשָּׁת variae sint variorum sententiae. Et רֹבֶה quidem quod attinet, nonnulli a *crescendi* significatu, quem Verbum רָבָה obtinet, proprie *crescentem*, i. e. adolescentem, denotare existimant, uti Chaldaeis רָבֵי est *puer crescens*, usque ad annum decimum tertium, et respondet in Targumim Hebraeis יֶלֶד et נַעַר. Hinc Onkelos Hebraea hic ita reddidit: וַהֲוָה רָבֵי קַשָּׁתָא *et factus est puer arcus.* Hieronymus: *et factus est juvenis sagittarius.* Saadias: وَكَانَ غُلَامًا رَامِيًا *et factus est puer sagittarius.* Persa: بود جواني كماندار, quod idem. Sed רֹבֶה Hebraeis pro נַעַר usitatum fuisse, prorsus incertum. Alii, ut Gussetius, a notione *multum esse*, quae Verbo רָבָה inest, רֹבֶה קַשָּׁת denotare volunt *multum* s. *frequentem*, magnum *sagittarium*, ut 1 Reg. V, 10. de sapientia Salomonis dicitur וַתֵּרֶב, ad eam magnam faciendam. Multo minus sunt probandi, qui רֹבֶה idem esse opinantur quod Chaldaicum רַב *doctor, magister*, ut Jonathan, cujus haec est interpretatio: וַהֲוָה יָלִיף רָבֵי קַשְׁתָּא *et docuit jaculari arcum*, et Syrus: ܘܡܬܝܠܦ ܗܘܐ ܩܫܬܐ *et addiscebat arcum* tractandi artem. Rectum vidisse haud dubitamus Jarchi et Kimchi, qui רֹבֶה significatu haud differre a רָבַב *jaculatus est*, uti et alia Verba tertiae radicalis He et secundae radicalis geminatae, quae duas primas radicales communes habent, significationibus conveniunt, e. c. שָׂרָה et שָׂרַר *principatum tenuit.* קַשָּׁת alii habent, pro Nomine substantivo formae שַׁבָּת, ejusdem cum קֶשֶׁת significationis, unde Plurale קַשְׁתוֹת Jerem. V, 28. Ps. XXXVII, 16. esse volunt (in codicibus tamen plerisque ש sine Dagesch scriptum reperitur), et ellipsin Praepositiones ב statuunt, ut verba hebraea pro רֹבֵב בַּקֶּשֶׁת posita essent, i. e. יוֹרֶה חִצִּים בַּקֶּשֶׁת *jaculans sagittas arcu.* Ita Arabs Erpenii: وكان راميا بالقوس *et factus est jaculans arcu.*

Alii vero rectius קַשָּׁת Adjectivum autumant, quale צַיָּד, *venationem exercens*, et Chaldaica חַמָּר *agaso*, גַּמָּל *camelarius*, nec non Arabica جَزَّار *lunio*, نَجَّار *faber ferrarius*, et alia ejusmodi, eos designantia, qui artem aut opus exercent. Quare קַשָּׁת erit non tam *qui arcus conficit*, ut quidam voluerunt, quam potius quem prisci Latini, Festo referente, *arcuiten* seu *arquiten* vocarunt, i. e. arcu praeliantem, sagittarium. Neque necesse est, ut רֹבֶה קַשָּׁת ἀσύνδετον statuamus, quale Habac. III, 11., sed recte vertitur: *jaculator arcuarius*, nam *jaculator* quum generalius aequo esset, quod ad ejaculationem lapidum etiam, non tantum sagittarum, posset pertinere arctatum est per additum קַשָּׁת, quasi dicat: fuit peritus jaculandi arcu sagittarius. LXX. bene: τοξότης. Cf. *A. Th. Hartmann Einleit. in das linguist. Studium der Bücher des A. T.* p. 240.

21. De solitudine *Pharan* vid. Cap. XIV, 6. et ibi notata. וַתִּקַּח־לוֹ אִמּוֹ אִשָּׁה מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם *Accepitque*, i. e. despondit *ei mater ejus uxorem e terra Aegypti*, patria videlicet sua, vid. supra XVI, 1. Elegit Imaeli mater uxorem, pro more apud Orientales frequenti, ex quo parentes liberorum matrimonia decernere, iisque uxores ducere solent. Vid. infra XXIV, 4. 55. Exod. XXI, 10., et cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 66. p. 100. sequ.

12. *Abimelechus cum Abrahamo foedus pangit, eique potestatem facit, in agro Philisthaeorum cum pecudibus errare. Cap. XXI, 22—34.*

Cap. XXI, 22. Pro אֲבִימֶלֶךְ וּפִיכֹל שַׂר־צְבָאוֹ LXX. habent: Ἀβιμέλεχ, καὶ Ὀχοζὰθ, ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ, καὶ Φιχὸλ, ὁ ἀρχιστράτηγος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Tertii viri nomen huc adsciverunt e Cap. XXVI, 26., ubi simile foedus Abimelechi cum Isaaco percussum exponitur, ut solent isti interpretes ex locis similibus in alios aliquot voces infercire. De פִּיכֹל cf. not. infra ad XXVII, 21.

אֱלֹהִים עִמְּךָ בְּכֹל אֲשֶׁר־אַתָּה עֹשֶׂה *Deus tecum est in omnibus, quae agis*, secundo numine omnia agis. Id quod, notante Jarchio, ex ejus rerum successu colligebat, quod quatuor reges feliciter esset persequutus, victoriaque potitus, quod e regione illa evasisset, quae prorsus deleta fuerat, quod prodigiose ipsius uxoris pudicitia vindicata fuisset, et quod jam senex ex anu prolem suscepisset.

23. וְעַתָּה הִשָּׁבְעָה לִּי בֵאלֹהִים *Nunc igitur jura mihi per Deum.* Jusjurandum in foederibus adhiberi solebat. „Timebat," inquit Clericus, „Abimelechus, quum Abrahami opes indies increscere videret, ne regionem aliquam Cananaeae invaderet, auctisque opibus tandem cum vicinis de imperio certaret. Itaque sibi et posteris foedus cum Abrahamo, antequam eo deventum esset, ferire decrevit." הֵנָּה *Hic* habet emphasin, q. d. hoc ipso in loco, non hinc recedamus donec jurejurando hoc sit confirmatum. אִם־תִּשְׁקֹר לִי *Si mihi mentiaris*, i. e. te mihi non mentiturum, non perfide acturum et violaturum foedus inter nos ineundum; nam *mentiri* Hebraeis et dicti est et facti. *Si mentiare*, formula jurisjurandi, ubi altera pars conditionis, qua quis sibi gravia imprecatur, nisi pollicitis steterit, omittitur; vid. supra XIV, 23. Verbum שָׁקַר in Cal hoc tantummodo loco legitur, alias semper in Piel. Usurpatur de foedere frangendo et Ps. XLIV, 18. Jura, inquit, mihi, te non admissurum quicquam adversus formulam foederis inter nos ineundi, vel initi, et jurisjurandi, quod tibi defero. וּלְנִינִי וּלְנֶכְדִּי *Aut soboli meae, aut nepotibus meis.* Onkelos: וּבִבְרִי וּלְבַר־בְּרִי *et in filium meum, et in nepotem meum. LXX.* (μὴ ἀδικήσειν με) μηδὲ τὸ σπέρμα μου, μηδὲ τὸ ὄνομά μου. Non legerunt aliter, sed sensum liberius expresserunt. כַּחֶסֶד אֲשֶׁר־עָשִׂיתִי עִמְּךָ *pro eadem benevolentia, qua tecum egi.* Benignitas Abimelechi in eo potissimum sita erat, quod pascuorum agri Gerarensis partem aliquam, in qua errarent Abrahami greges, quamdiu vellet, ei concessisset; vid. supra XX, 15. וְעִם־הָאָרֶץ *Et cum terra*, i. e. וְעִם־

אַנְשֵׁי הָאָרֶץ *cum incolis terrae*, ut Num. XIV, 13. מִצְרַיִם pro *Aegyptiis* dicitur.

25. וְהוֹכִחַ אַבְרָהָם אֶת־אֲבִימֶלֶךְ עַל־אוֹדוֹת בְּאֵר הַמַּיִם *Arguit autem Abrahamus Abimelechum*, cum eo expostulavit, *de negotiis putei aquarum*, propter puteum (cf. supra Vs. 11.), אֲשֶׁר גָּזְלוּ עַבְדֵי אֲבִימֶלֶךְ *quem rapuerant*, vi occuparant, eripuerant per vim *servi Abimelechi*. Ante queri non erat ausus, quod forsan putaret, aut id jussu, aut certe permittente aut connivente rege fieri; nunc expostulandi occasionem nactus, qua ultro a rege postulari videt foedus, commode injuriae acceptae meminit, ut in posterum foedus stabile sit, et omnis dissidii occasionem et causam praecidat. Foderat puteum adaquandis gregibus suis Abrahamus, verum servi Abimelechi, inscio rege, ipsius quasi jus defensuri vi eripuerant et interverterant. Facile rixae circa puteos inter pastores in illis regionibus oriri possunt, propter aquae inopiam, qua fit, ut putei magni aestimentur. Vid. infra XXVI, 18. 20. 21.

29. מָה הֵנָּה *Quid sunt?* sibi volunt? הֵנָּה hic non est Adverbium loci, ut supra Vs. 23., sed Pronomen femininum (pro הֵן), loco Verbi substantivi. לְבַדָּנָה pro לְבַדָּן cum He paragogico.

30. בַּעֲבוּר תִּהְיֶה־לִּי *Propterea ut sit mihi*, scilicet זֹאת *hoc* donum, alioquin dicendum erat תִּהְיֶינָה, *ut sint* hae septem agnae, *mihi* לְעֵדָה *in testem*, testimonio, femininum Adjectivi עֵד, ut infra XXXI, 52. עֵדָה הַמַּצֵּבָה *testis est haec statua*, et Masculinum עֵד Exod. XX, 13. pro *testimonio*, עֵדוּת, ponitur. כִּי חָפַרְתִּי אֶת־הַבְּאֵר הַזֹּאת *Quod foderim hunc puteum*, i. e. ut veluti hisce agnis puteum a me effossum a te solemnius redimam, quibus acceptis, mei eum esse juris, quippe quem effodi, fatebere.

31. עַל־כֵּן קָרָא לַמָּקוֹם הַהוּא *Ideo vocavit* scil. vocans, i. e. vocatus est (ut supra XI, 9.) *locus ille* בְּאֵר שָׁבַע (pro שֶׁבַע extra pausam esset שֶׁבַע), quod proprie denotat *puteum τῶν septem*, scil. agnarum, de quibus Versi-

bus tribus, qui proxime praecedunt. Sed auctorem שָׁבַע significatu nominis שְׁבוּעָה *jusjurandum* cepisse inde patet, quod subjungit, appellationis illius rationem redditurus: כִּי שָׁם נִשְׁבְּעוּ שְׁנֵיהֶם *quia ibi uterque juravit.* Vult quidem Salomo Ben-Melech in Commentario מִכְלַל־יֹפִי dicto, esse ante כִּי copulam ו subaudiendam, ut dicatur, puteum illum duplici de causa illud nominis accepisse, et a septem agnis, quas propter eum Abrahamus Abimelecho dedit, et propter jusjurandum illic interpositum. Sed vere observat Salomo Dubnensis, non opus esse, ellipsin copulae ו statuere; quum et infra XXVI, 33. ratio appellationis urbis Bersabae a שִׁבְעָה repetatur, quod et ibi idem quod שְׁבוּעָה *jusjurandum* valeat; nulla enim ibi septem agnarum mentio fit. Verisimile autem esse, septem illas agnas, de quibus hoc loco, sepositas esse in signum et memoriam foederis jurejurando confirmati, quod nomen שְׁבוּעָה a שָׁבַע derivatur. Recte igitur LXX. hic Φρέαρ ὁρκισμοῦ verterunt. Hieronymus in *Quaestt.* ad h. l.: „Ubi hic legitur *puteus juramenti*, in Hebraeo habetur *Beer-Sabee.* Duplex autem est causa, cur ita appellatus sit; sive quia septem agnas Abimelech de manu Abraae acceperit; septem enim dicuntur *Sabee*, sive quod ibi juraverint, quia et *juramentum Sabee* similiter appellatur. Notandum autem et ex prioribus, et e praesenti loco, quod Isaac non sit natus ad quercum Mambre, sed in Geraris, ubi et Bersabee usque hodie oppidum est. Quae provincia ante non grande tempus, ex divisione Praesidum Palaestinae, Salutaris est dicta."

32. וַיִּכְרְתוּ בְרִית בִּבְאֵר שָׁבַע וַיָּקָם אֲבִימֶלֶךְ וגו׳ *Quum autem foedus* ambo *in Bersaba percussissent*, foedere illic percusso et absoluto, *surrexit Abimelechus* rel. וַיָּשֻׁבוּ אֶל־אֶרֶץ פְּלִשְׁתִּים *Et redierunt ad terram Philisthaeorum.* Unde colligere est, Bersabam, ubi erat Abrahamus, non fuisse ditionis Philisthaeae, sed in finibus ejus sitam esse. Abimelechus vero et Pichol reversi sunt Geraram, Philisthaeae caput.

33. וַיִּטַּע אֶשֶׁל בִּבְאֵר שָׁבַע *Et plantavit* Abrahamus *tamariscos in Bersaba.* אֶשֶׁל est *tamarisci* species, in Aegypto frequens, descripta a Prospero Alpino Cap. IX. plantarum Aegypti (أَثْل Arabum). Veterum alii *arborem* vertunt, ut Onkelos, qui אִילָנָא vertit, Aquila *δενδρῶνα*, Symmachus *φυτείαν*, alii *lucum*, ut Samaritanus et duo sequiores Chaldaei, qui *paradisum*, et Syrus, Arabs uterque, et Vulgatus, qui *nemus* reddiderunt. *Michaelis* in *Supplemm.* p. 135. 136. conjecit, confudisse illos אֶשֶׁל cum אֲשֵׁרָה *nemus*, vel derivasse a Chaldaico אַשְׁלָא *funis*, ut sint nemora recta linea ad funem plantata. Neque tamen hac conjectura est opus; sed posuerunt interpretes illi genus pro specie. LXX. *ἐφύτευσεν ἄρουραν*, *plantavit agrum*, scil. arboribus. Vix dubium quin umbrae et frigoris causa Abrahamus nemus plantaverit ut tentorium ibi haberet; nam sub arboribus etiamnum Arabes tentoria figere solent. Quia in verbis quae sequuntur cultus divini mentio fit (וַיִּקְרָא שָׁם בְּשֵׁם יְהוָֹה), nonnulli existimant, lucum hic designari talem, in quo Abrahamus sacrificia offerret, et Deum coloret; quod ante Mosaicum interdictum non illicitum, et antiquissimis temporibus valde usitatum erat, uti *Plinius Hist. Nat.* Lib. XII. c. 1. testatur. Loquens enim de arboribus, *Haec*, inquit, *fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc Deo praecellentem arborem dicant. Lucianus* de *Sacrificiis: Πρῶτον μὲν ὕλας ἀπενέμοντο, καὶ ὄρη ἀνέθεσαν.* Cf. *Dougtaei Analecta SS.* p. 24. Quod nomine יְהוָֹה hic additur אֵל עוֹלָם *deus aeternus*, ideo factum Clericus observat, ut opponatur Diis, qui aliquando nati, ut aliquando morituri essent. Phoenices, uti refert Sanchuniathon apud Eusebium, *Praeparat. Evangel.* L. I. Cap. 10., duos duntaxat aeternos deos agnoscebant, reliquos omnes genitos esse contendebant.

34. וַיָּגָר אַבְרָהָם בְּאֶרֶץ פְּלִשְׁתִּים *Et peregrinatus est*, s. commoratus est *Abrahamus in terra Philisthaeorum.* Quum Bersaba, ubi domicilium habuit Abrahamus (vid.

infra XXII, 19.), in ipsis finibus terrae Philisthaeorum, s. Palaestinae, sita esset (vid. ad Vs. 32.), in ea illum habitasse dici poterat, praesertim, quum vitam pastoritiam agens tentoria sua procul dubio saepe in vicinae Palastinae pascuis figeret.

12. *Abrahamus divino jussu filium mactare paratus ab angelo revocatur, et novas accipit numerosissimae prosapiae promissiones. Cap. XXII, 1—19.*

Cap. XXII, 1. Quae jam sequuntur, patet hunc in finem narrari, ut Hebraeorum progenitor tanquam exemplum incredibilis fortitudinis animi atque pietatis erga Deum posteris proponeretur. Quod Deus Abrahamum jusserit, ut filium immolaret, in somnio illi visum esse, credibile est *Eichhornio* in *der Allgemeinen Bibliothek der biblischen Litteratur*, P. I. Fasc. I. p. 45. seqq. *P. J. Bruns* in *den Memorabilien*, P. VI. p. 1. seqq. Abrahamum exemplo Phoeniciorum, qui diis pueros immolare solerent, eo adductum fuisse autumat, ut et ipse filium unicum Jehovae in sacrificium offerre voluerit. Sed quum jam in eo fuisset, ut puerum occideret, subito ipsum coepisse de ea, qua Jehova coli vellet, religione, rectius sentire, atque ita manus a puero abstinuisse. Mythum, quo insigne pietatis et obedientiae erga Deum, quod Abrahamus dederit, documentum exhibeatur, simulque nominis Moriae, montis in quo templum exstructum erat, ratio probabilis reddatur, in hac narratione agnoscit *de Wette* in *der Kritik der Israelit. Geschichte*, (sive *Beyträge zur Einleit. in das A. T.* P. II.) p. 98. seqq. A qua sententia haud longe abest *J. G. Grever*, qui in *Commentatt. miscellanar. syntagm*, (Oldenburg. 1794. in oct.) hanc narrationem pro veteris carminis particula habet, quo majorum gentis Hebraeae pietas in Deum celebrata esset. Vid. Eichhornii *Allgem. Biblioth. der bibl. Literat.* P. VI. p. 363. Mirum, duumviris istis non in mentem venisse similis mythi Phoenicii a Sanchu-

niathone traditi (vid. not. ad Vs. 2.), quem consilio suo Moses accommodarit, „Ne vicini idololatrae suam in Numina pietatem veri Dei cultorum religioni praeferrent, quod diis suis liberos mactare non dubitarent, dum alii victimas offerrent brutas, Abrahami hoc factum literis mandatum est; quo liquet, non defuisse Dei Israëlis cultores, qui, si Deo ita visum fuerit, pretiosissimas omnium victimas immolare ei parati fuerint." *Cleric.* ad Vs. 12. Dignae quoque sunt, quae legantur, quae super hac historia observavit *Guil. Frid. Hufnagel*, in libro, qui inscribitur: *Für Christenthum, Aufklärung und Menschenwohl*, P. I. Fasc. VII. p. 592—593. Hebraeorum in hanc narrationem commenta congessit *Jo. Frischmuth* in Dissertationibus quinque *de ligatione Isaaci, et decima, quam Hebraei vocant, Abrahami tentatione, ad Genes. XXII.* Leguntur in *Thesauro theolog. philolog.* (vet.), *s. Sylloge Dissertatt. in loca selecta V. et N. T.* Vol. I. p. 197. seqq.

2. קַח־נָא אֶת־בִּנְךָ אֶת־יְחִידְךָ אֲשֶׁר־אָהַבְתָּ אֶת־יִצְחָק *Sume filium tuum unicum, quem diligis, Isaacum.* Plura verba cumulantur, quae singula fere ejusmodi sunt, ut animum Abrahami vehementer perturbare, et, si minus Dei reverens fuisset, a parendo absterrere eum possent. יְחִידְךָ *Unicum tuum;* nam Ismael ab haereditate exclusus exulabat, atque, ut Abarbenel loquitur, perinde jam erat, ac si Ismael non existeret, supererat igitur Isaacus parentibus unicus. LXX. reddunt τὸν ἀγαπητὸν, non quod יְדִידְךָ legerunt, uti nonnulli conjecerunt; sed quod duo isti significatus miscentur, שאהבה ליחיד החחזק מאד *quia amor erga unicum maximopere intenditur*, uti dicit Abarbenel. Cf. Prov. IV, 3. *Eram patri meo filius tener,* וְיָחִיד *et unicus*, i. e. impense dilectus, quales unigeni esse solent. Unde et eo loco Graecus Alexandrinus ἀγαπώμενος vertit. וְלֶךְ־לְךָ אֶל־אֶרֶץ הַמֹּרִיָּה *Et vade in terram Moria*, quam eam regionem esse, in qua mons Moria situs erat, in quo postea templum est exstructum, sive tractum Hierosolymitanum, Hebraei et veteres, Hierony-

mi aetate (vid. ejus Quaestt. Hebrr. ad h. l.), et recentiores uno ore profitentur. De ratione nominis tamen et propria ejus significatione dissentiunt. LXX. τὴν γῆν τὴν ὑψηλὴν vertunt, et eodem sensu Aquila καταφανῆ reddidit, quod non tam *lucidam*, ut Hieronymus vertit, quam *undique valdeque conspicuam* valet. Existimarunt illi interpretes, מֹרִיָּה non differre a מָרְאָה, quod est Participium femininum speciei Hophal verbi רָאָה. Locus autem longe lateque conspicuus idem excelsus sit necesse est. Sed ad יָרֵא *timuit, reveritus est*, quod praesertim de numinis reverentia dicitur, retulerunt Onkelos et Arabs uterque, qui אַרְעָא פּוּלְחָנָא, أَرْضُ ٱلْعِبَادَةِ *terra cultus*, s. *adorationis* reddiderunt. Verum ad רָאָה nomen מֹרִיָּה retulisse eum, qui haec literis consignavit, et nomine illo *locum, quo se Jova conspiciendum praebuerit*, significari existimasse, vix est dubium. Quare Symmachus recte εἰς τὴν γῆν τῆς ὀπτασίας *in terram visionis* vertit. Ut clarius etiam fiat illud etymon, in codice Samaritano scriptum est מוראה, quod interpres vertit חזית *visio*. Cf. Gesenii Dissertat. *de Pentat. Samarit.* p. 30. A רָאָה nomen מֹרִיָּה et auctor Chronicorum derivat, 2 Chron. III, 1., sed rationem appellationis affert hanc, quod נִרְאָה לְדָוִיד אָבִיהוּ *ostensus fuit Davidi patri suo*. E Participio Hophal Verbi רָאָה et nomine יָהּ compositum esse מֹרִיָּה, docet *Fullerus Miscell. SS.* L. II. Cap. 14. „Per syncopen," inquit, „factum est, ablatis videlicet intermediis literis ה et ו, primàque et ultimà י et ה in unam vocem conflatis. Porro compositionis istius perspicua haec est ratio minimeque difficilis. In Participio מָרְאֶה mutatur primum Camez-Chatuph per ectasin in affine punctum Cholem. Tum per contractionem quandam eliditur א, et traductum ipsius punctum Segol praecedenti ר subjectum intelligitur. Deinde, more quiescentium ל"ה, migrante ה in י, Segol item in Chirek vertitur. Postremo יָהּ, nomen divinum, fini annectitur: idcirco vi Dagesch fortis duplicatur Jod, ut utriusque vicem praestare queat. Quare vocabulum

מֹרִיָּה perinde valet ac מָרְאֶה יָהּ, vocibus separatim ac distincte scriptis, h. e. *φανερωθεὶς Θεὸς* vel *Κύριος.*" Hebraeorum nonnulli Morijah deducunt a מֹר *myrrha*, quasi myrrhifera priscis seculis fuerit regio Hierosolymitana. In alia omnia abit Syrus, qui ܠܐܪܥܐ ܕܐܡܘܪܝܐ *in terram Amoraeorum* vertit. וְהַעֲלֵהוּ שָׁם לְעֹלָה *Et offerto eum illic in holocaustum.* De victimis humanis apud omnes paene antiquitatis gentes caesis, praesertim apud Syros et Phoenicios, egit *Eusebius Praeparat. Evang.* Lib. IV. Cap. 16., ubi postquam observasset, Phoeniciis in magnis calamitatibus publicis morem fuisse, ut qui urbem aut gentem sub imperio haberent, carissimum liberorum jugulandum darent, quasi redemtionis pretium ultoribus daemonibus oblatum, ex Sanchuniathon a Philone Byblio translato ei, quae hic narratur, historiam simillimam tradit: *Κρόνος τοίνυν, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι, βασιλεύων τῆς χώρας — ἐξ ἐπιχωρίας νύμφης Ἀνωβρὲτ* (i. e. חַן עֹבֶרֶת *ex gratia concipiens*, conjectore Bocharto *Canaan.* L. II. Cap. 2.) *λεγομένης υἱὸν ἔχων μονογενῆ, ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλουν* (i. e. יָחוּד s. יָחִיד), *τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι, κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων καταληφότων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν, βωμόν τε κατασκευασάμενος κατέθυσε. Cronus ergo, quem Phoenices Israelem vocant, regioni cum imperitaret, atque ex indigena nympha, Anobret dicta, filium unigenitum haberet, quem propterea Jehud vocabant, quomodo unigenitus etiamnum a Phoenicibus appellatur, cum regioni maxima ex bello imminerent pericula, regio habitu filium ornatum in ara, quam erexerat, mactavit.*

3. וַיַּשְׁכֵּם אַבְרָהָם בַּבֹּקֶר LXX. *Ἀναστὰς δὲ Ἀβραὰμ τὸ πρωΐ.* Hieronymus: *Igitur Abraham de nocte consurgens.* Saadias quoque: فادلج *sub finem noctis iter ingressus est.* Jarchi: נזדרז למצוה *accinxit se ad praeceptum exsequendum*, i. e. indicatur, promtum paratumque ad obsequendum Deo se praebuisse Abrahamum. וַיַּחֲבֹשׁ אֶת־חֲמֹרוֹ

Et ligavit asinum suum, LXX. ἐπέσαξε τὴν ὄνον αὐτοῦ. Est autem ἐπισάττειν *imponere stragula* seu *clitellas*, et quidquid jumentis imponi solet. Unde Hieronymus: *stravit asinum suum,* sive ut eum ipse conscenderet, sive ut ei ligna imponeret. נְעָרָיו *Pueri ejus*, i. e. servi ejus; נַעַר enim apud Hebraeos eodem modo usurpari constat, quo *puer* et παῖς apud Romanos et Graecos. וַיְבַקַּע עֲצֵי עֹלָה *Findebat ligna sacrificalia.* In nonnullis enim Palaestinae regionibus ligni penuria est; siccoque ligno etiam commodius uti poterat.

4. בַּיּוֹם הַשְּׁלִישִׁי וַיִּשָּׂא אַבְרָהָם אֶת־עֵינָיו *Die tertio tum sustulit Abrahamus oculos suos.* ו ante יִשָּׂא redundat, ut supra XX, 16. ante נֹכָחַת. Quod in tribus a Kennicotto et de Rossio memoratis codicibus voci בַּיּוֹם praemissum legitur וַיְהִי vix dubium male seduli librarii esse, qui constructionem faciliorem reddere voluit.

5. נִשְׁתַּחֲוֶה *Adorabimus*, i. e. sacra faciamus. Jonathan: נִסְגּוֹד לְמָרֵי עָלְמָא *adorabimus dominum aeternum.*

9. וַיַּעֲקֹד אֶת־יִצְחָק *Et constrinxit Isaacum.* Victimae enim vinciri solebant, ne ictum effugerent, praesertim humanae. Orestes et Pylades apud Ovidium *Eleg.* ex Ponto L. III, 2.

— *immitem Triviae ducuntur ad aram,*
Evincti geminas ad sua terga manus.

Sic et Sinon, qui se invitum a Graecis immolandum fuisse fingit, *Aeneid.* II. 134. *vincula rupisse* se ait; cf. Vs. 156.

12. וְלֹא חָשַׂכְתָּ אֶת־בִּנְךָ אֶת־יְחִידְךָ מִמֶּנִּי *Nec cohibuisti filium tuum unicum tuum a me*, mihi petenti non negasti. LXX. καὶ οὐκ ἐφείσω τοῦ υἱοῦ σου ἀγαπητοῦ δι' ἐμέ.

13. *Et vidit Abrahamus* אַיִל אַחַר נֶאֱחַז בַּסְּבַךְ בְּקַרְנָיו *arietem post inter vepres haerentem cornibus.* Pro אַחַר veterum plures legerunt אֶחָד *unus.* Ita Codex Samaritanus. LXX. (κριὸς εἷς) et Syrus. Arabes quatuor, a Bocharto inspecti (vid. *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 49. T. I. p. 617. edit. Lips.) hanc vocem plane omittunt, quia

putarunt esse superfluam, et verba, *ecce arietem*, tantum valere, quantum, *ecce arietem unum*; hanc particulam non omissuri, si legissent אַחַר, *a tergo*. Praeterea אַחַד cum *Daleth*, exhibent Codd. *viginti novem*, a Kennicotto collati, *decemque tres*, collati a de Rossio, qui haec addit: „Ita legunt etiam Biblia antiqua impressa in fol. sine anno et loco, et, quod magis mirandum est, Pentateuchus Ulyssiponensis anni 1491., qui accuratissimus est, rarissimeque a Masorethico textu discedit.“ Cf. de Rossii Scholia critica ad h. l. Atque אַחַד quidem praeferendum vulgo recepto אַחַר duxit Bochartus l. l., motus et loco parallelo Dan. VIII, 3. *Sustuli oculos meos et vidi*, וְהִנֵּה אַיִל אֶחָד *et ecce arietem unum* rel., et eo quod *a tergo* Hebraice esset אָחוֹר, non אַחַר, et אַחַר ita solitarium potius est *temporis* Adverbium, quam loci. Accedere, quod Abraham arietem a tergo *sublatis oculis* vidisse non diceretur, sed in posteriora reflexis. Neque frustra dici, addit, Abrahamum *unum* arietem vidisse; „aries quippe quum gregarium sit animal, signanter dicitur, hunc arietem *unum* et *solum* fuisse, nec ulli gregi adjunctum.“ Utramque scripturam, אחר et אחד, expressit Onkelos, qui hunc locum sic reddit: וּזְקַף אַבְרָהָם יָת עֵינוֹהִי בָּתַר אִלֵּין וַחֲזָא וְהָא דִּכְרָא חֲדָא *Sustulitque Abrahamus oculos suos post haec, et ecce: aries unus.* Nam בָּתַר אִלֵּין refertur ad אַחַר, quod ita intellexit, ut Jarchi exponit: posteaquam angelus ei dixisset, *ne mittas manum tuam in puerum*, et דִּכְרָא חֲדָא refert אחד, quod tamen אֶחָד efferendum foret, nam אַחַד est forma status constructi, qui hic locum non habet. אַחַר (cum Resch) de tempore, ut Onkelos, intellexit et Saadias, qui بَعْدَ ذَلِكَ *post hoc* reddidit. Aben-Esra verba אַחַר נֶאֱחַז בַּסְּבַךְ conjungit hoc sensu: *postquam retentus esset in implexo*, vidit, sive agnovit, arietem esse. *Seb. Ravius* in *Exercitatt. ad Hubigantii Prolegomm.* p. 213. אַיִל hic alternare cum שֶׂה existimat, tanquam speciale cum generali, et אַיִל אַחַר dici pecudem, quae in locum alterius, quam immolare

debebat Abrahamus, erat substituta. „Dixerat Vs. 8. Abrahamus filio suo: Deus providebit sibi הַשֶּׂה *pecudem* (minutam, ex quo genere est אַיִל), designans quidem his verbis filium suum, quem in animo habebat ad instar talis pecudis immolare. Versu vero 13. extremo legitur: *et sumsit eum hircum, et obtulit eum loco filii sui*, quem paulo ante nomine generali שֶׂה designaverat. Potuit igitur hircus ille hoc Versu rectissime *alius* vocari.“ Verum *alius* Hebraice est אַחֵר non אַחַר. Praeterea ex mente eorum, qui textum Accentibus distinxerunt, אַיִל non esse cum אַחַר jungendum, docet Accentus major distinctivus Sakeph-katon nomini אַיִל impositus, neque אַחַר cum verbis proximis, ut vult Aben-Esra, arctius connectendum esse, ostendit Accentus distinctivus Sakeph-gadol, illi Particulae appictus. Quod non effugit Abarbenelem, qui locum recte interpretandum esse docet hoc modo: *et ecce arietem*, scil. pascentem illic, *postea*, subaudi: vidit eundem arietem *detentum in vepreto*. „Duo igitur, quae mira essent, hic commemorantur, primum quod aries praesto esset in eo loco, quo tunc nullae aliae pecudes pascerent, deinde, quod quum Abrahamus eum libere pascentem conspiceret, eundem statim videret in vepreto detentum, quo monitus est, arietem non fortuito, sed Deo sic dirigente, illuc venisse.“ נֶאֱחַז בַּסְּבַךְ *Detentus s. implicitus erat in perplexitate*, subintellige, vepreti, dumi. Id enim subaudiendum esse patet tum ex ipsa textus serie, tum ex locis similibus, Ps. LXXIV, 5. Es. IX, 18. X, 34. Ita Jonathan Paraphrastes בְּחַרְישׁוּתָא דְאִילָנָא *inter densitatem arboris*, Onkelos בְּאִילָנָא *in arbore*, Syrus ܒܣܘܟܐ *in ramis*, Aquila ἐν συχνῷ *in condenso*, scil. dumi, Symmachus ἐν δικτύῳ *in reti*, quasi esset בִּשְׂבָכָה. LXX. retinuerunt vocem סְבַךְ, verteruntque κριὸς κατεχόμενος ἐν φυτῷ Σαβέκ, quasi סְבַךְ esset nomen proprium virgulti vel arboris. Ita et Theodotion. Hesychius interpretatur hanc vocem βάτος, *rubus*, Phavorinus χρυσολάχανον, de qua voce vid. Bochartum l. l. p. 618.

Ceterum his, quae hic leguntur, non absimilis est Graecorum narratio de *Iphigenia*, a patre Agamemnone Dianae oblata: nam cum Calchantis ministerio jamjam esset mactanda, *Vox quaedam*, inquiunt, *luco emissa, aspernari Numen sacrificii genus, et ob id abstinendum a corpore virginis etc. Itaque curarent id, quod in vicem virginis oblatum animadverterent, immolari etc. Interim deliberantibus cunctis, quidnam, et ubi esset, quod immolari juberetur, cerva, forma corporis admiranda, ante ipsam aram intrepida consistit. Eam praedictam hostiam rati, oblatamque divinitus, comprehendunt, moxque immolant.* Ita *Dictys Cretensis* L. I. sub fin. Conf. *Tzetzem* in *Lycophron.* p. 40. ed. Canter. *Hygini* Fab. XCVIII. Vid. et *J. A. Maii Observatt. SS.* P. II. p. 151. seqq. In *Plutarchi Parallelis Historr. Graecarr. et Romann.* Cap. XXXV. similes fabulae duae sunt; una Graeca ex *Aristodemo*, quae sic habet: *Peste* Lacedaemone *grassante, cum ex oraculi monitu Helena fuisset aris admota, ut pro salute popularium immolaretur,* ἀετὸς καταπτὰς ἥρπασε τὸ ξίφος καὶ εἰς τὰ βουκόλια κομίσας ἐπὶ δάμαλιν κατέθηκεν, *aquila devolans gladium arripuit, et in armentum deferens, buculae imposuit,* quae proinde Helenae substituta est. Altera Romana, ex *Aristidis* Italicis, de *Valeria Luperca*, quae, in remedium grassantis pestis pariter immolanda, simili casu servata est, cum arreptum gladium aquila injecisset δαμάλει τινὶ, παρὰ τὸν ναὸν βοσκομένῃ, *in juvencam quandam, prope templum pascentem.*

14. וַיִּקְרָא אַבְרָהָם שֵׁם־הַמָּקוֹם הַהוּא יְהוָֹה יִרְאֶה, *Vocavitque Abrahamus nomen loci illius: Jova-jireh*, i. e. Deus providebit. Adludit Abrahamus ad id, quod Vs. 8. dixerat: *Deus ipsi sibi agnum prospiciet.* „Haud raro Hebraei pro nomine una voce exprimendo integram enunciationem ponunt, vid. infra XXXIII, 20. Exod. XVII, 15. Jud. VI, 24. Ut autem in nominibus virorum propriis saepe est aliqua syllaba vocis יְהוָֹה, ut in *Josua, Jehojakim, Jeremia*, ita etiam nominibus locorum integra

inseritur, ut hic." *Cleric.* Verba אֲשֶׁר יֵאָמֵר הַיּוֹם non sunt ita reddenda: *qui* scil. locus *dicitur*, vocatur, *hodie* (id enim Verbo קָרָא exprimendum fuisset), verum sic: illud est, *quod dici solet etiamnum*, i. e. inde est quod dici solet, vel אֲשֶׁר est pro לְמַעַן אֲשֶׁר *propterea.* Onkelos בְּכֵן *ideo* vertit. Cf. supra X, 9. עַל־כֵּן יֵאָמַר *propterea dici solet*, adagio fertur. Tale et hic sequitur: בְּהַר יְהוָֹה יֵרָאֶה *in monte Dei previdebitur*, curabitur, prospicietur. Moses Mendelii fil. in versione teutonica sic reddidit: *auf dem Berge des Ewigen wird es sich zeigen*, i. e. in monte Jovae conspicuum erit, apparebit, videlicet, quemnam sibi locum, quo habitet, sibi elegerit, ut interpres Hebraeus exponit. *Hieronymus* in *Quaesit. Hebraicis:* „Hoc apud Hebraeos exivit in proverbium, ut si quando in angustia constituti sunt, et Domini auxilio optant sublevari, dicant, *in monte Dominus videbit*, hoc est, sicut Abrahami misertus est, miserebitur et nostri." Quando, nimirum, deerat, quod prospici, seu comparari prius debuerat, solebant hoc proverbio uti, ejus rei curam in Deum rejicientes. Ceterum pro יֵרָאֶה Hieronymum patet יִרְאֶה pronunciasse. LXX. tamen textui Masorethico convenienter: ἐν τῷ ὄρει Κύριος ὤφϑη. Sed ex mente eorum, qui Accentus apposuerunt, verba בְּהַר יְהוָֹה in statu regiminis *in monte Jovae* sunt vertenda. Onkelos praeter morem non simplicem hujus Versus versionem, sed hanc ejus paraphrasin exhibet: *Coluit* (Deum) *et oravit Abrahamus ibi in loco isto, dixitque: coram Jova hic erunt colentes generationes. Ideo dicetur in die illo: in monte hoc Abrahamus coram Jova cultum exhibuit.* Approbat hanc expositionem Jarchi, כפשוטו כתרגומו inquiens, i. e. simplex loci sensus is est, quem expressit Paraphrastes, fore scilicet, ut Deus prospiciat sibi, seu eligat hunc locum, in quo majestatis suae praesentiam residere faciat, utque in eo oblationes sibi offerantur.

16. In fine Versus post יְחִידֶךָ in LXX., codice Sa-

maritano et versione Syriaca est מִמֶּנִּי expressum, a Versu 12.

17. כִּי hic, ut alias haud raro, est *quamobrem, ideo;* vid. Noldium signif. 8. Vel referendum est ad בִּי נִשְׁבַּעְתִּי *per me juravi* Vs. 16. et vertendum est *quid.* De בָּרֵךְ vid. not. ad I, 22.

18. Vid. not. ad Cap. XII, 3. Promissio illo in loco Abrahamo facta hic repetitur.

15. *Recensentur posteri Nachoris, fratres Abrahami. Vs. 20—24.*

Cap. XXII, 20. Affertur soboles Nachoris, fratris Abrahami (cf. supra XI, 27.), ut sit παρασκευὴ ad ea, quae mox Cap. XXIV. de uxore Isaaco quaesita narrantur, et qua id ratione sit factum. Vere igitur Hebraei observant, propter Rebeccam, ex genere Nachoris oriundam, totam hic ejus genealogiam recenseri, item propter Rachelem et Leam, uxores Jacobo dandas, de illius itidem genere, filias quippe Labanis, nepotis Nachoris. יָלְדָה מִלְכָּה גַם הִוא *Peperit Milca etiam ipsa,* ut Sara, ut neutra sororum fuerit sterilis. Praeterea, uti notat Jarchi, Nachoris proles aequant prolem Abrahami, duodecim scilicet tribus ex Jacobo progenitas; nam totidem fuerunt et filii Nachoris, ut dehinc habes enumeratos. Atque ut octo ex filiis Jacobi fuerunt filii herarum, Leae et Rahelis, Ruben, Juda, Simeon, Levi, Issachar, et Sebulon, sex Leae filii, atque Josephus et Benjamin, duo Rahelis, quatuor vero ancillarum, Dan et Naphtali, Bilhae ancillae Rachelis, Gad et Aser, Zilphae, ancillae Leae; sic filii Nachoris ex hera, Milca, erant octo (Vs. 23.), et quatuor ex ejus concubina (Vs. 24.).

21. Nachoris primogenitus erat עוּץ. Ita etiam vocabatur Arami primogenitus, supra X, 23. Fuit et huic cognominis inter Edomi posteros, infra XXXVI, 28., unde Idumaea dicitur *terra Uz* Thren. IV, 21. Ex Uzo, Nachoris filio, qui hic memoratur, Hieronymus vult

descendisse Jobum, nullo alio argumento ductus, quam quod ille Job. I, 1. in terra Uz habitasse dicitur. בּוּז memoratur et Jerem. XXV, 23. inter Idumaeae et Arabiae finitimos populos. וְאֶת־קְמוּאֵל אֲבִי אֲרָם *Et Camuelem, patrem Arami.* Qui supra X, 22. memoratur Aramus, fuit Semi filius. LXX. et Vulgatus habent hic: πατέρα Σύρων, *patrem Syrorum.* Recentiorum plerique volunt quidem, Syros, Hebraeis אֲרָם dictos, a Semi filio nomen duxisse. Sed quum multiplex sit Aram, s. Syria (commemoratur enim *Aram-Neharaim*, i. e. Mesopotamia, *Aram-Zoba*, i. e. Nesibis, *Syra Damasci*), atque hic ut notatu dignum quid memoratur, quod Camuel Arami pater fuerit, indicari videtur, utrumque, et Aramum, Sethi filium, et hunc, Camuelis filium, suae Syriae nomen dedisse. Et Hieronymus quidem eum, qui hic memoratur, Syriae Damasci nomen dedisse ait, auctore, uti credibile est, magistro suo Hebraeo. Grotius vult ex Aramo et Buzo nomina traxisse duo castella Mesopotamiae, *quorum unum Reman, alterum Busan* appellabatur, uti tradit Ammianus L. XVIII. Cap. 10. Ex אֲרָם resectâ primâ literâ, factum est רָם, cujus detractionis exempla exstant Job. XXXII, 2. et 1 Paral. II, 9., atque addito Nun, רָמָן.

22. A כֶּשֶׂד quidam volunt Chaldaeos, qui Hebraeis כַּשְׂדִּים, dictos, vid. supra XI, 28.

23. Pro יָלַד codex Samaritanus habet הוֹלִיד *parere fecit, genuit.* Sine necessitate; nam יָלַד tam de patre, quam de matre dici constat.

24. וּפִילַגְשׁוֹ וּשְׁמָהּ רְאוּמָה *Et concubinam ejus quod attinet, nomen ejus erat Reuma.* E פִּלֶגֶשׁ (Chaldaice פִּילַקְתָּא) non dubium esse παλλακὶς et *pellex* factum. Tales mulieres, quae ad uxorem primariam et justam accedebant, inter Hebraeos ante et post Legem memoratas reperimus. Hagara et Ketura (infra XXV, 1. 6.) Abrahami, Bilha et Zilpha Jacobi concubinae fuere, vid. infra XXX, 9. XXXV, 22. Ejusmodi παλλακίδας habuere Manasse, 1 Paral. VII, 14., Caleb, 1 Paral. II, 48., Gi-

deon, Jud. VIII, 31., David, 2 Sam. V, 13. Salamoni fuisse פִּילַגְשִׁים *pellices trecentas*, traditur 1 Reg. XI, 3. „Si quaeratur, quale fuerit earum et justarum uxorum discrimen, quatenus ex Sacris Litteris colligi potest; apparet quidem, pellices eodem in honore non habitas. Hagaram numqum aequiparavit Sarae Abrahamus, atque ex aedibus, hac volente ejecit. Keturam amandavit etiam cum liberis, vid. infra XXV, 6. Verum quodnam inter utrasque discrimen esset in aliis, non liquet. Rabbini volunt, פִּלֶגֶשׁ fuisse *uxorem servam sine scripto dotali et sponsalibus, cujus liberi legatis tantum, non haereditate fruantur.* Sanhedrin Cap. XXI. §. 1. [imo fol. 21. col. a.]. Sed ut haec ex posterioris aevi consuetudine vera sint; certe antiquis temporibus omnia non obtinebant, nam pellicum filii paris erant juris, nisi pater nollet." *Cleric.* Sane in partitione terrae Israeliticae posteri filiorum, quos e concubinis suscepit Jacobus, aequali sorte cum posteris filiorum, e justis uxoribus susceptorum, gaudebant. Bona Jacobi vero num fuerint inter filios ejus ex uxoribus heris tantummodo divisa, an vero et inter filios concubinarum, haud liquet. מַעֲכָה num sit viri nomen, an vero mulieris? ambigitur. Posterius suadere possit illud, quod plures mulieres nomine Maacha in V. T. commemoratas reperimus, veluti matrem Absalomi, 2 Sam. III, 3., ejusdem filiam, 1 Reg. XV, 10. concubinam Calebi, 1 Chron. II, 48. Erant tamen et viri, qui illud nomen gesserunt, ut pater Achis, regis Gathae, 1 Reg. II, 39., et pater Sephatjae, 1 Paral. XXVIII, 16. Ita et אֲבִיָּה nomen erat regis Judae, Rehabeami filii, 2 Paral. XII, 16. XIII, 1., et matris Hiskiae, regis, 2 Paral. XXIX, 1.

16. *Mors Sarae, ad quam sepeliendam Abrahamus speluncam et agrum ad Hebronem emit. Cap. XXIII.*

Cap. XXIII, 2. Hic Versus cum eo, qui praecedit, connectendus est hoc modo: quum explevisset Sara an-

num aetatis centesimum vicesimum septimum, mortua est in Kirjath-arba, quae quaenam esset urbs, ut sciant lectores, addit: הִוא חֶבְרוֹן, *ea est Hebron*, i. e. quae postea dicta est et hodienum dicitur Hebron, Cf. Jos. XIV, 15., ubi antiqui urbis nominis ratio redditur haec, quod ab Arba, insigni quodam inter Enakaeos viro, nuncupata esset. Vid. et supra XIII, 18., atque infra Vs. 19. In codice Samaritano post קִרְיַת אַרְבַּע legitur אל עמק *ad vallem*, quod ipsum et Graecus Alexandrinus in codice suo legit; sic enim reddidit: ἐν πόλει Ἀρβὸκ, ἥ ἐστιν ἐν τῇ κοιλώματι. Id in authenticis (i. e. hebraeis) codicibus, non haberi observat Hieronymus in Quaestt. ad h. l., additque, nomen quoque civitatis, *Arboc*, a scribentibus legentibusque corruptum esse. „Neque enim putandum, Septuaginta Interpretes nomen civitatis Hebraeae barbare atque corrupte, et aliter quam in suo dicitur transtulisse. *Arboc* enim nihil omnino significat. Sed dicitur *Arbee*, hoc est quatuor, quia ibi Abraam, et Isaac et Jacob conditus est, ei ipse princeps humani generis, Adam, ut in Jesu libro apertius demonstrabitur.“ Sed in libro Josuae plane aliam nominis istius rationem afferri vidimus; quam Hieronymus commemorat, a magistro suo hebraeo accepit, refertque illam ex antiquioribus Commentariis Jarchi ad h. l. Quod hic additur בְּאֶרֶץ כְּנָעַן, eo videtur pertinere, ut intelligat lector, Saram non esse mortuam in Philisthaeorum agro, in quo diutissime commoratum esse Abrahamum supra XXI, 34. dictum est. Tum igitur sedem suam in Hebronem rursus transtulisse innuitur. Ad verba, quae sequuntur, וַיָּבֹא אַבְרָהָם לִסְפֹּר לְשָׂרָה *venitque Abrahamus ad lugendam Saram*, operose quaerunt Hebraei, unde venerit? Sine causa, quum nil aliud dicatur nisi hoc: aggressus est, sive accinxit se, ut eam plangeret. Litera כ minuscula in postrema Versus voce וְלִבְכֹּתָהּ *ad deflendam eam*, innuit, ex Hilleri sententia, in libro *de Arcano Kethib et Keri*, p. 178., in aliis libris fuisse וְלִבְכוּתָהּ scriptum, i. e. *ad fletum ejus*, qui scilicet funeri ejus impenderetur.

3. וַיָּקָם אַבְרָהָם מֵעַל פְּנֵי מֵתוֹ *Et surrexit Abrahamus a facie mortui sui*, s. a mortuo suo. Masculinum ponitur, quum tamen de mortua muliere sermo sit, quia nominis גוף *corpus*, cadaver, ratio habetur.

4. גֵּר וְתוֹשָׁב אָנֹכִי עִמָּכֶם *Peregrinus et inquilinus sum vobiscum*, apud vos, unde non habeo quidquam terrae vel a me adquisitum, vel haereditate acceptum a majoribus, ubi Saram, et alios deinceps, qui ex meis morientur, possim sepelire. תּוֹשָׁב *incola*, inquilinus, qui sedem in externa terra figit; oppositus est ei אֶזְרָח *indigena*. תְּנוּ־לִי אֲחֻזַּת־קֶבֶר עִמָּכֶם *Date mihi possessionem sepulcri apud vos.* Apud Graecos quoque et Romanos probrosum fuit, in alieno agro sepeliri, unde unaquaeque familia suum sepulchrum habuit, nec patiebantur alios cum suis sepeliri. *Demosthenes* in Eubulidem n. 38. *ἔθαψε τούτους εἰς τὰ πατρῷα μνήματα. ὧν ὅσοι περ εἰσὶ τοῦ γένους κοινωνοῦσι, hos sepeliit in patrio sepulcro, cujus quicunque ejusdem familiae sunt, participes fiunt.* וְאֶקְבְּרָה מֵתִי מִלְּפָנָי *Ut sepeliam mortuum meum a conspectu meo*, ut cadaver e conspectu meo tollam.

5. Pro לוֹ Samaritanus Codex exhibet לֹא *non*. Consentiunt LXX., qui *Μή κύριε* habent. Idem scripturae dissensus infra Vs. 14. Videntur librarii utrumque locum cum Vs. 11. convenientem facere voluisse, cujus initio et in codice Hebraeo legitur לֹא praecedente, in fine Versus 10., לֵאמֹר.

6. שְׁמָעֵנוּ אֲדֹנִי *Audi nos, domine mi!* Quod plures, qui loquentes inducuntur, dicunt *domine mi!* id, Aben-Esra observante, factum civilitatis causa, quod incivile sit, socios et participes domini alios facere. Sed causa videtur haec esse, quod unus nomine omnium loquebatur, ut Franco-Galli suo *Monsieur* et *Monseigneur* uti solent. Sic Hebraei honoris causa, non edito nomine proprio, ut Romani etiam notos compellabant, prout servi herum solebant. Vid. infra XLII, 10. et saepius in seqq. נְשִׂיא אֱלֹהִים אַתָּה בְּתוֹכֵנוּ *Princeps Dei tu es in medio*

nostrum, i. e. te habemus pro praestanti et excellenti principe. Hebraei enim, ut jam supra Cap. X, 8. notatum est, si alicujus rei excellentiam exprimere volunt, eam esse Dei, sive divinam, dicere solent. Kimchi ad 1 Sam. XXVI, 12. הדבר שרוצה לחגדילו סומך אותו לאל, *rem quam vult* (Scriptura) *magnificare jungit Deo.* Quod et Homerus et antiquissimi Graecorum Poëtae solebant, ut observat Eustathius in *Iliad.* edit. Rom. p. 9. θεοποιοῦσι πάντα τὰ ὑπερφυῆ καὶ τεράστια, *omnia eximia et portentosa divina esse ajunt.* Dicunt igitur Chittaei Abrahamo: absit, ut te pro peregrino et obscuro inter nos homine habeamus, imo vero habemus te magni principis loco; et quum principis sit, sumere sibi pro auctoritate, quod ipsi lubet, et tu tuo jure tibi potes in nostra ditione sepulchrum deligere. Non quod quicquam ille in ipsos haberet imperii aut dominationis, sed quod hunc ei honorem deferrent. בְּמִבְחַר קְבָרֵינוּ קְבֹר אֶת־מֵתֶךָ *In delectu sepulchrorum nostrorum*, i. e. in lectissimo, *optimo sepeli mortuum tuum.* אִישׁ מִמֶּנּוּ אֶת־קִבְרוֹ לֹא־יִכְלֶה מִמְּךָ *Vir*, quisquam, *e nobis non prohibebit sepulchrum suum a te* (יִכְלֶה pro יִכְלָא). Alioqui enim unicuique familiae jus erat, omnes alienos arcendi a sepulcro suo, sicuti apud Graecos. *Demosthenes* in Eubulidem, statim post verba supra excitata: Τίς ἂν ἔστιν ὅστις εἰς τὰ πατρῷα μνήματα τοὺς μηδὲν ἐν γένει τεθέντας ἐάσαι; *quis patrio sepulcro qui ad genus suum non pertinent, inferri siverit?* Sed ut Graeci hospites sepulcris suis excipiebant; ita et hic Chittaei Abrahamo permittunt, Saram in uno sepulchrorum suorum condere.

7. וַיִּשְׁתַּחוּ LXX. προσεκύνησε. Flexio corporis ad terram est etiam nunc apud Orientales reverentiae signum, quo non modo adeuntes aliquem, sed etiam gratias agentes et alloquuturi utuntur. Vid. *das alte und neue Morgenl.* P. VI. p. 265.

8. אִם־יֵשׁ אֶת־נַפְשְׁכֶם לִקְבֹּר אֶת־מֵתִי *Si est cum anima vestra sepelire mortuum meum*, si vultis me sepelire

meum mortuum. נֶפֶשׁ aliquando *voluntatem, arbitrium* notat, ut Ps. XXVII, 12. XLI, 3. CV, 22. Sic et Latini: *si vobis est animus* sinere me sepelire mortuam uxorem meam. Onkelos: אִם אִית רַעֲוָא בְּנַפְשְׁכוֹן *si est voluntas in animo vestro.* וּפִגְעוּ־לִי בְּעֶפְרוֹן Hieronymus recte vertit: *intercedite pro me apud Ephronem.* Onkelos: בְּעוֹ לִי מִן עֶפְרוֹן *orate mihi ab Ephrone.*

9. אֶת־מְעָרַת הַמַּכְפֵּלָה LXX. vertunt τὸ σπήλαιον τὸ διπλοῦν, quos ceteri veteres interpretes raro consensu sequuntur. Hebraei quoque a כָּפַל *duplicem esse* autumant *speluncam duplicem* significari, qua alii unam supra alteram, alii talem, quae plures sinus habuerit, multorum cadaverum capacem, intelligunt. *Salmasius* in *Exercitt. Plinn.* p. 2008. speluncam duplicatam dici putat eam, quae duplicem haberet aperturam, et ex duabus partibus ingressum. Quae tamen conjecturae sunt supervacaneae, quum, ut e Versu 17. et e loco infra XLIX, 30. appareat, Machpela sit nomen proprium, et מְעָרַת הַמַּכְפֵּלָה sit *spelunca* in agro cui nomen *Machpela.* Vid. et *Jo. Nicolai de sepulchris Hebraeor.* p. 167. Ceterum speluncae in Palaestina frequentes sepulcris inserviunt. *Lowthius de S. Poësi Hebraeor.* Praelect. VII. p. 84. edit. Oxon., p. 76. ed. Lips. ejusmodi sepulcrum ita describit: *Hebraeorum sepulcra, saltem honestiora, quaeque familiis principum patria erant ac gentilitia, speluncae erant amplae, sub terram, ex nativa rupe, arte manuque excavatae, quaedam tam spatiosae, ut columnis suffulcirentur; ad latera circumquaque excidebantur cellae recipiendis sarcophagis. — Nullam omnino lucem admittebat specus, quippe angusto aditu, quique advoluto saxo obstruebatur. Multa hujusmodi conditoria etiamnum in Judaea visuntur.* Cf. *Dougtaei Analecta SS.* p. 26. et *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 62. p. 96. אֲשֶׁר בִּקְצֵה שָׂדֵהוּ *Quae est in extremo agri sui,* quod extenuandi causa dictum videtur, q. d. non in medio agro est, sed in extremo, itaque ei non admodum incommodabit, aut ejus agro, si eam mihi reliquerit. בְּכֶסֶף

מָלֵא יִתְּנֶנָּה לִּי *Argento pleno dabit illam mihi*, i. e. concedat mihi speluncam justo pretio. LXX. ἀργυρίου τοῦ ἀξίου. Ita David aream Aravnae sibi בְּכֶסֶף מָלֵא *plena pecunia* dari vult, 1 Paral. XXI, 22. 24.

10. וְעֶפְרוֹן יוֹשֵׁב בְּתוֹךְ בְּנֵי־חֵת *Ephron autem sedebat inter Chetitas*, quum haec Abrahamus diceret; praesens erat. Minus concinne Hieronymus יוֹשֵׁב hic *habitabat* reddidit. Alii volunt, sedisse Ephronem pro tribunali ut judicem aut magistratum, quomodo יָשַׁב Ps. XXIX, 10. et saepius usurpatur (vid. not. ad eum loc.). A qua ratione haud multum abest *J. A. Kanne*, qui in *den bibl. Untersuchungen und Auslegg.* P. I. p. 209. seqq., ut Stephanum protomartyrem, in oratione Act. VII, 16. dicentem, emisse Abrahamum sepulchri locum a Chamoritis in Sichem, ab erroris insimulatione liberet, conjicit, fuisse tunc temporis a Chamoritis subactos Chittaeos, quibus praeses aut gubernator praepositus fuisset Ephron, atque id Stephano innotuisse traditione ore propagata, ut igitur recte dicere potuisset, emisse Abrahamum sepulchri locum a Chamoritis, ad quorum ditionem tunc Chittaeorum terra pertinuisset. Ad quam conjecturam commendandam quae affert legenda sunt apud ipsum. Sed videtur simpliciter hoc indicari, Ephronem in consessu Chittaeorum tunc praesentem fuisse, ut non difficile fuerit eum compellari. וַיַּעַן בְּאָזְנֵי בְנֵי־חֵת *Respondit in auribus* s. *in aures Chithaeorum*, illis audientibus. לְכֹל בָּאֵי שַׁעַר־עִירוֹ *Coram* (לְ enim hic pro לִפְנֵי positum) *omnibus portam urbis ipsius ingredientibus*, i. e. civibus urbis; ii enim dicuntur *urbem ingredientes et exeuntes*, pro quo brevitatis causa nunc *ingredientes*, ut hic nunc *exeuntes* duntaxat, ut infra XXXIV, 24., dicitur; vid. et Jerem. XVII, 19. 20. Ostendit Moses haec palam acta, ut res rata esset et stabilis. Sic enim contractus iniri solebant, antequam scripturae inventae essent, ut coram toto populo confirmati.

11. לֹא־אֲדֹנִי *Non, domine mi!* i. e., Jarchio exponente, לא תקנה אותה בדמים *non acquires eam pretio*, sed

dono illam tibi dabo. Hieronymus una cum sequenti שְׁמָעֵנִי hoc bene ita expressit: *nequaquam ita fiet, domine mi; sed magis ausculta, quod loquor.* LXX. pro לֹא־אֲדֹנִי ponunt: *παρ᾽ ἐμοὶ γενοῦ, κύριε,* ac si לִי pro לֹא legissent.

13. אַךְ אִם־אַתָּה לוּ שְׁמָעֵנִי *Verum,* imo vero, *utinam tu me audires!* Duae optandi Particulae אִם לוּ junctae augent rogantis humanitatem, observante *Gesenio* in Commentat. *de Pentat. Samarit.* p. 37. „cf. لَوْ أَنْ in Locmani Fab. 22. Bene itaque Hieronymus: *quaeso ut audias me.* Hoc non capientes complures veterum pro לוּ legerunt לִי, et verba אִם אַתָּה לִי verterunt: *si tu mihi,* i. e. mecum, s. mihi amicus esse, mihi gratificari velis. Hunc in modum LXX. *ἐπειδὰν πρὸς ἐμοῦ εἶ ἄκουσόν μου.* Ita et Samaritanus et Onkelos: בְּרַם אִם אַתְּ עָבִיד לִי טִיבוּ קַבֵּל מִנִּי *verum si tu facis mihi bonitatem, audi me.*" כֶּסֶף הַשָּׂדֶה Hieronymus non satis accurate vertit: *pecuniam pro agro,* quum *pecunia agri* potius hoc denotet: quam valet ager, justum ejus et condignum pretium.

15. Pro שְׁמָעֵנִי אֲדֹנִי LXX. habent: *οὐχὶ κύριε,* ut Vs. 11. Traxerunt לוֹ in fine Versus 14. ad hunc, sed לֹא legerunt. Verba אֶרֶץ אַרְבַּע מֵאֹת שֶׁקֶל־כֶּסֶף בֵּינִי וּבֵינְךָ מַה־הִוא nonnulli ita capiunt: terra haec s. fundus hic valet quadringentis siclis argenteis inter me et te, inter nos, qui amicitia juncti sumus, q. d. tibi amico hoc pretio relinquam, alteri non ita vili darem. Verum tunc הָאָרֶץ scriptum esset; jam אֶרֶץ cum iis quae proxime sequuntur est in regimine, et verba sic potius intelligenda: terra quadringentorum siclorum, tam parvae summae, quid est inter nos? qui ambo divites sumus, et insuper animis juncti. Ita et Jarchi: „Inter duos amicos, quales nos, ecquid ista (spelunca) est? reputanda est pro nihilo; itaque mitte emtionem." Noli amplius de pretio loqui, quia illam tibi dono. De siclo cf. not. supra ad XX, 16.

16. וַיִּשְׁמַע אַבְרָהָם אֶל־עֶפְרוֹן *Et audivit Abrahamus ad Ephronem*, acquievit ei de pretio agri, quod statuerat. וַיִּשְׁקֹל אַבְרָהָם לְעֶפְרֹן אֶת־הַכֶּסֶף *Et appendit Abrahamus Ephroni argentum.* Nam pecunia antiquissimis temporibus appendebatur, non numerabatur. Neque videntur pecunia signata tum usi, sed habuisse duntaxat laminas aureas argenteasve, quas appenderent. Unde *aes grave* apud Latinos, et legimus infra XLIII, 21. כַּסְפֵּנוּ בְּמִשְׁקָלוֹ *argentum nostrum*, s. pecuniam nostram *in pondere suo.* E שָׁקַל *appendit* dictum est שֶׁקֶל, quod quum quodvis pondus notare queat, usu tamen certo cuidam ponderi, quod nos *siclum* vocamus, tributum est. Similia apud Romanos observavit *Plinius Hist. Nat.* L. XXXIII. Cap. 3.: *Populus Romanus ne argento quidem signato, ante Pyrrhum regem devictum, usus est. Librales (unde etiam nunc libella dicitur et dupondius) appendebantur asses. Quare aeris gravis poena dicta, et adhuc expensa in rationibus dicuntur, item impendia et dependere.* Apud Hebraeos pecuniam et Jeremiae aetate appensam fuisse, discimus ex ejus libro XXXII, 9. 10. Quod in fine Versus nostri additur, שֶׁקֶל כֶּסֶף עֹבֵר לַסֹּחֵר *siclum argenti transeuntem ad s. apud mercatorem*, vix dubium indicare pecuniam probatam, quae apud omnes mercatores elocari posset. Aben-Esra: שלא כי אם כסף נבחר *qui* (mercator) *nonnisi argentum probatum accipit.* LXX. δοκίμου ἐμπόροις. Qui mercaturam exercebant metalla probare norant, ideoque accepta apud eos pecunia proba erat. Onkelos: דִּכְסַף מִתְקַבַּל בְּסְחוֹרְתָא בְּכָל מְדִינְתָּא (siclos) *argenti quod recipitur pro mercibus in omni provincia.* Galli etiam appellant *argent courant.* Hieronymus, qui vertit: *siclos argenti probatae monetae publicae*, rem veterem ex usu aevi sui interpretatus est. Saadias: مِمَّا هُوَ جَايِزٌ بَيْنَ ٱلتُّجَّارِ *ex eo quod transit inter mercatores. J. D. Michaelis* tam in *Commentat. de siclo Hebraeor.* (vid. supra ad XX, 16.) §.

II. p. 45., quam in *Jure Mos.* §. 82., et in *Supplemm.* p. 1820., collato Arabico عَبَّرَ, quod non solum *transire fecit*, verum et *examinavit numos vel merces, cujus ponderis et qualitatis essent*, in Conjug. II. *sigillatim libravit numos* significat, כֶּסֶף עֹבֵר לַסֹּחֵר interpretatur *argentum examinatum a mercatore*, quod si probum inveniretur, signo suo notaret, ut apud nos aurum factum aurifabri signant. Unde et quae meus sit edicti regii 2 Reg. XII, 5. sancientis, omne argentum, quod inferatur domum Dei, כֶּסֶף עֹבֵר *argentum transgressum* esse debere, intelligi ait. „Nempe ne fraudi locus esset et illorum qui tributum templi penderent, et horum, qui acciperent, non rudi argenti massa, sed numo signato utendum erat.“ Quis vero non videt, כֶּסֶף עֹבֵר multo simplicius exponi *argentum* s. *pecuniam, quae in usu est*, quae in mutuo commercio dari et recipi solet? Ceterum non mirum videri potest, argentum jam Abrahami aetate pro pecunia usurpatum fuisse, quum Phoenicii, inter quos ille degebat, jam primis temporibus, uti Graeci scriptores testantur, argento pro pecunia uterentur.

17. 18. Uterque hic Versus arctissime cohaeret; nam prima Versus 17. verba וַיָּקָם שְׂדֵה עֶפְרוֹן jungenda sunt primis Versus 18. verbis, לְאַבְרָהָם לְמִקְנָה hoc sensu: *stetitque*, perstitit *ager Ephronis* et quae ad illum pertinent, *Abrahamo in possessionem*, i. e. ratus fuit et pleno jure cessit ager Ephronis Abrahamo. Cf. infra Vs. 20., ubi eadem, sed contracte, leguntur. „Haec periodus,“ observat Clericus, „longior est, quam solent esse Hebraicae, plerumque breves; sed ejusmodi videtur formula fuisse vendendi, quae paucioribus verbis ex usu coërceri non poterat; ut etiamnum in contractibus, majoris cautionis gratia, eadem saepius et distinctius repetuntur.“ J. D. Michaelis quoque in *Commentat. de siclo* p. 47. Not. 21. diverso genere scribendi a Mosaico totum hoc Caput XXIII. decurrere observat. „Ager enim, et quid cum illo venditum sit, curate adeo et suspiciose definitur,

inque porta publica emtionem peractam esse, ea cautione non scribitur solum, sed et repetitur, ut emtionis libellum, non historici verba agnoscas. Solet autem Moses monumenta, ex quibus historiam texebat, integra nonnumquam inserere, unde tanta in primo ejus libro styli diversitas." *De Wette* tamen (*Kritik der Israelit. Gesch.* p. 106. seq.) pronus est ad credendum, omnem hanc narrationem confictam esse ab auctore antiqui monumenti illius, in quo Dei nomen אֱלֹהִים usurpari solet, eum in finem, ut tali quoque documento jus Hebraeorum in terram Cananaeam comprobetur. בְּכֹל בָּאֵי שַׁעַר־עִירוֹ *Inter omnes ingredientes portam urbis illius*, Ephronis. Sensus est, non solum coram Chittaeis, verum et coram omnibus, qui illic in foro ac judicio aderant, tam indigenis quam externis, q. d. palam, ut res sine omni dubio esset.

20. Quod supra Vs. 17. 18. dixerat breviter repetit, ut magis confirmatum ei fuisse agrum doceat, non solum post initum jam contractum, verum et quod possessionem revera adiisset, sepulta illic Sara.

17. *Servum Charras uxorem Isaaco petiturum mittit Abrahamus; is feliciter itinere confecto, Rebeccam impetrat, atque ad Isaacum adduxit. Cap. XXIV.*

Cap. XXIV, 2. וַיֹּאמֶר אַבְרָהָם אֶל־עַבְדּוֹ זְקַן בֵּיתוֹ *Dixit Abrahamus servo suo seniori.* זָקֵן hic alii de dignitate, alii de aetate interpretantur. Alii, quod verisimilius est, זָקֵן de aetate quidem intelligunt, sed colligunt ex iis, quae sequuntur, eundem, qui servorum natu maximus esset, semper rei familiari fuisse praefectum. הַמֹּשֵׁל בְּכָל־אֲשֶׁר־לוֹ *Qui dominabatur in omne quod ei*, Abrahamus erat, rebus ejus omnibus praeerat. Hunc putant Eliese-rum fuisse, qui supra XV, 2. dispensator domus Abrahami vocatur. שִׂים־נָא יָדְךָ תַּחַת יְרֵכִי *Pone, quaeso, manum tuam sub meo femore.* Jurandi hunc ritum fuisse, apparet ex iis, quae sequuntur. Nusquam tamen alias, neque

in Hebraeis, neque in exteris scriptoribus hunc ritum a jurantibus adhibitum legimus, si ex familia Abrahami oriundum Josephum excipiamus, qui juraturus Jacobo, ne corpus suum in Aegypto mandaret terrae, sed in sepulchrum paternum curaret deportari, manum suum, a patre jussus, ejus femori supposuit, vid. infra XLVII, 29. Cujus ritus rationes varii varias afferunt. Hebraei plerique putant hunc ritum manum supponendi femori, ob significationem et reverentiam circumcisionis, quod erat sigillum foederis cum Abrahamo initi, in jurejurando adhiberi solitum fuisse. *Tradunt Hebraei*, ait *Hieronymus*, *quod in sanctificatione ejus, hoc est, in circumcisione juraverit.* Ita Pseudo-Jonathan: שַׁוִּי כְדוּן יְדָךְ בִּגְזִירַת מְהוּלְתִי *pone manum tuam in sectione circumcisionis meae.* Alii ipsum genitale membrum *femoris* nomine per synecdochen et *κατ᾽ εὐφημισμόν* indicari existimant, quum Hebraei prolem alicujus *ex ejus femore egredi* dicere soleant, vid. infra XLVI, 26. Exod. I, 5.; jurasse vero veteres illos manu genitali parti apposita, quod inde posteritas esset futura, atque ideo veluti res sacra haberetur. Hujus jurandi ritus vestigium etiamnum apud Aegyptios superesse, *J. M. Hartmann* (in Eichhornii *Allgem. Biblioth der bibl. Literat.* P. X. p. 458. seqq.) inde colligit, quod Jullien, supremi ducis exercitus Gallici, per annum 1799. Aegyptum tenentis, adjutor, in epistola quadam, quae inserta legitur Commentariis, qui inscripti sunt: *Memoires sur l'Egypte publiées pendant les campagnes du Géneral Bonaparte* P. II. p. 195., narrat, comprehensum quendam a militibus Aegyptium, quem pro exploratore habuissent, se talem non esse jurejurando asseverasse, manu partibus suis genitalibus apposita. Verum si etiam demus, יָרֵךְ hoc loco de membro genitali positum esse, tamen illum Aegyptii gestum ad nostrum locum illustrandum ideo nil facere patet, quod servus Abrahami non suo ipsius, sed heri femori manum supponere jubetur. *Grotius* vult, morem hunc, manu femori supposita jurandi, Abrahami temporibus receptum

fuisse, quasi dicerent: *si fallam, ense tuo peream,* quia ad femur locus ensis, Jud. III, 16. 21. Ps. XLV, 4. *J. D. Michaelis* putat (in version. germ. in notis ad h. l.), sicuti apud nonnullos Asiae populos more receptum fuerit, ut foedus juris jurandi religione firmaturi sibi invicem digitos coegerint, atque hos deinde laederint, sanguinemque profluentem vel lamberint, vel septem lapides eo illeverint (*Tacito Annal. XII, 47.* et *Herodoto* Lib. III. c. 8. testibus); ita etiam in ritu h. l. memorato, manum femori subjectam ita esse compressam, ut sanguis facile elici potuerit, quo deinde septem lapides illiti essent; ritum hunc autem tantum per compendium expressisse Mosen ideo, quia is omnibus notus fuisset. Potuisset Michaelis hanc suam sententiam commendare eo quod Josephus *Antiqq.* L. I. Cap. 16. §. 1. mutuam fuisse hanc manuum suppositionem dicit, has enim *πίστεις*, quas *μεγάλας* appellat, sic describit: *γίνονται τοῦτον τὸν τρόπον ὑπὸ τοὺς μηροὺς ἀλλήλοις τὰς χεῖρας ἐπαγαγόντες ἐπικαλοῦνται τὸν θεὸν μάρτυρα τῶν ἐσομένων, fiunt autem hoc modo: subditis alter alteri manibus sub femora, Deum futurorum testem invocant.* Nobis quidem prae ceteris probatur Aben-Esrae sententia, ea, quae hic describitur, jurandi ratione servum testatum fuisse obedientiam hero suo, simulque significari heri in servum potestatem; et hunc morem etiamnum suis temporibus in India obtinuisse tradit. Et quamvis alias jurantes manum in coelum attollerent (vid. supra XIV, 22.), hic tamen jurandi ritus videtur observatus inter aequales; at ubi subjectus alicui adjurabatur, ut filius (infra XLVII, 29.), aut servus, manus femori subjiciebatur in signum obsequii et subjectionis.

3. אֲשֶׁר לֹא־תִקַּח אִשָּׁה לִבְנִי מִבְּנוֹת הַכְּנַעֲנִי אֲשֶׁר אָנֹכִי יוֹשֵׁב בְּקִרְבּוֹ *Quod non accipies*, despondebis, *uxorem filio meo ex filiabus Cananaei, in medio cujus habito*, i. e. Cananaeorum, inter quos versor. Sub Cananaeis et reliquos septem populos, imo et alios, quorum supra X, 15. et XV, 19. 20. 21. facta est mentio, Canaane ortos, comprehendit. Hoc idem postea praeceptum Israelitis,

Abrahami posteris, datum est, ne affinitatem cum septem terrae Cananaeae gentibus contraherent, quae enumerantur Deut. VII, 1. 2.

4. Pro simplici כִּי habent כִּי אִם, *sed*, Codd. tredecim Kennicotti et unus ad marg., de Rossii duo et unus ad marg., consentiente textu Samaritano. Sed כִּי hic positum esse pro כִּי אִם recte observant Judaeorum interpretes, ut infra XLV, 5., Exod. XVI, 8. 1 Reg. XXI, 15. Quod Masorethae hunc locum referunt inter סְבִירִין *conjecturas*, seu *opinione ambigua* loca, non, uti de Rossi ait, ideo fecerunt, quod כִּי אִם legendum putarent, sed quod hunc locum iis accenserent, quae primo intuitu lector opinetur posse vel debere aliter legi, quum vel sensus videatur sic postulare, vel quod alias sic legantur, nec tamen aliter legenda sunt. Vid. *Buxtorfii Tiberias* L. I. Cap. 13. p. 145. edit. in quart. אֶל־אַרְצִי וְאֶל־מוֹלַדְתִּי תֵּלֵךְ *Ad terram meam et ad cognationem meam*, i. e. terram cognationis meae, seu ortus mei, *proficiscaris*. Illâ vero non Ur Chaldaeorum, ubi Abrahamus erat natus (vid. supra XI, 28. 31.), hic intelligitur, sed tota illa regio ultra Euphratem, respectu Cananaeae, in quam migrarat, quae erat cis Euphratem, praesertim Mesopotamia, in quae sitae erant Carrae; cf. infra Vs. 10. Ceterum cf. *das alte u. n. Morgenl.* P. I. No. 66. p. 100.

5. Si noluerit, inquit servus, mulier, quam filio tuo commodam invenero, huc me sequi, הֶהָשֵׁב אָשִׁיב אֶת־בִּנְךָ אֶל־הָאָרֶץ אֲשֶׁר־יָצָאתָ מִשָּׁם *numquid reducendo reducam*, reducere debeo, *filium tuum ad terram, e qua egressus es?* Est ἀκυρολογία, neque enim Isaacus unquam in Mesopotamia vixerat; sed quia familiae interdum instar unius progenitoris habentur, cui quae singulis evenerunt tribuuntur, Isaacus reductus eo dicitur, unde Abrahamus venerat. Ita supra XV, 16. quarta generatio in Canaanem reditura dicitur, quum tamen Israelitae Aegypto egressi numquam illic fuissent, sed id ad eorum majores est referendum.

6. הִשָּׁמֶר *Cave tibi* cum accentu in penultima, ut

observat Aben-Esra, ut discernatur ab הִשָּׁמֵר *conside super faeces tuas*, Jes. VII, 4., ubi cf. not.

7. וַאֲשֶׁר נִשְׁבַּע־לִי לֵאמֹר וגו׳ *Et qui juravit mihi dicendo*, rel. Respicit, recte observante Jarchio, ad foedus ictum inter dissectas victimas, de quo supra XV, 17. 18., quia foedus non est sine jurejurando. הוּא יִשְׁלַח מַלְאָכוֹ לְפָנֶיךָ *Is mittet angelum suum ante te*, ut tibi itineris sit dux, et feliciter omnia conficias. Est metaphora ducta ab iis, qui viarum reficiendarum causa, aut omnium parandorum praemittuntur. Vid. Mal. III, 1. Jesaj. XL, 3. „Haec fuit recepta apud Orientales opinio, omnia Deum efficere angelorum ministerio. Neque iis utitur in rebus corporeis dumtaxat, sed etiam cum animi certo quodam modo afficiendi sunt, ut hoc in loco, ubi de animis consanguineorum Abrahami ei conciliandis, ut uxorem ejus filio collocarent, agitur.“ *Cleric.* יִשְׁלַח Aben-Esra mavult optative exponi: *mittat*, quia mox dicet: *quodsi sequi noluerit.* Sine necessitate; sunt enim verba fiduciae certae ex actis superioribus collectae.

8. וְנִקִּיתָ מִשְּׁבֻעָתִי זֹאת *Tunc innocens* s. *immunis eris ab hoc meo jurejurando*, sacramento, quo te obstrinxi, solutus eris, neque ullam contrahes noxam, si uxorem illinc filio meo non adduxeris.

9. *Et posuit servus manum suam sub femore Abrahami*, אֲדֹנָיו *dominorum suorum*, i. e. domini sui. Sic enim saepius nomina appellativa, quae dominium notant, numero plurali pro singulari ponuntur, e. c. infra XL, 1.: Peccarunt pincerna regis Aegypti, et pistor לַאֲדֹנֵיהֶם *contra dominos suos*, pro לַאֲדֹנָם contra dominum suum. Vid. et infra 30. Exod. XXI, 4. 29.

10. וַיֵּלֶךְ וְכָל־טוּב אֲדֹנָיו בְּיָדוֹ *Et abiit*, in viam se dedit, *ac omne bonum domini sui in manu ejus.* Quod Jarchi ita intelligit, servum consignatas secum portasse in tabulis, veluti testamento, omnes heri facultates, quas relicturus ille fuerit filio, ut illis ostensis facilius uxorem Isaaco impetraret; coll. Vs. 36. Argutiae. Verba simpli-

citer hoc volunt, istum Abrahami servum omnia heri sui bona in potestate sua habuisse, ideoque facile potuisse tot camelos ac quaecunque vellet, sibi ad iter accipere. ו ante כָּל־טוּב causalis est, et vertendum: *namque omnia bona* rel. Nisi forsan, ut alii volunt, sensus hic sit, servum secum tulisse ex optimis et pretiosissimis Abrahami opibus, quas Rebeccae et fratribus ejus dono daret. In hunc sensum LXX. Καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἀγαθῶν τοῦ κυρίου αὐτοῦ μεθ' ἑαυτοῦ, et Hieronymus: *ex omnibus bonis ejus portans secum.* Similiter 2 Reg. VIII, 9. Benhadad, rex Syriae, aegrotans dicitur Elisaeo munera misisse assumtis quadraginta camelis onustis בְּכָל־טוּב דַּמֶּשֶׂק *omni bono Damasci*, i. e. omnis generis rebus pretiosioribus Damasci. אֶל־אֲרַם נַהֲרַיִם *In Aram fluviorum*, i. e. in Mesopotamiam, i. e. interamnem; est enim haec regio inter Tigridem et Euphratem sita. *Dionysius* Periegeta, v. 992.

Ὅσση δ' Εὐφρήτου καὶ Τίγριος ἔνθοδι γαῖα,
Τήνδε περικτίονες μέσσην ποταμῶν ἐνέπουσιν.

Hodie haec regio nomine Arabico الجزيرة *Aldschesira*, i. e. insula appellatur. עִיר־נָחוֹר *Urbs Nachoris* est Haran, sive Carrae, de qua supra ad Cap. XI, 31., ita dicta non quod illic esset natus, sed quod diu in illa habitasset.

11. וַיַּבְרֵךְ הַגְּמַלִּים *Et genua flectere jussit camelos.* „Una voce, ut Hebraei Scholiastes Vaticanus: ἐγονάτισεν. Cameli, ut commode onerari et conscendi queant, jubente praefecto genua flectunt, deinde resurgunt; tum sicubi aliquantum sit quiescendum, iterum onusti genua flectunt, et sic etiam exonerantur.“ *Cleric.* לְעֵת עֶרֶב לְעֵת צֵאת הַשֹּׁאֲבֹת *Tempore vespertino, tempore exeundi haustrices, s. aquatrices mulieres.* Solebant tempore vespertino puellae aquam petentes, simul ad puteum convenire. Sic et apud Homerum sub vesperam Phaeacum urbem ingressuro Ulyssi occurrit Minerva, speciem puellae, ad aquam hauriendam cum hydria euntis, induta. *Odyss. VII, 20.*

Παρθενικῇ εἰκυῖα νεήνιδι κάλπιν ἔχουσα.
Idem mos etiamnunc in Oriente obtinet; ut testantur *Niebuhr, Reisebeschreibung*, T. II. p. 410. *Arvieux, Voyages*, p. 14. *Guys, litterarische Reise durch Griechenland*, p. 171. Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 6. p. 102. Igitur Abrahami servus peropportunum sibi locum elegit.

12. הַקְרֵה־נָא לְפָנַי *Fac occurrere coram me*, scilicet quod volo, puellam filio herili destinatam. LXX. εὐόδωσον *secunda institutum* meum.

14. וְהָיָה *Et sit*, fiat, id videlicet, quod sequitur. Fertur in totam orationem sequentem, ne putes cum הַנַּעַר, seu, uti in margine legi praecipitur, הַנַּעֲרָה, jungi. Quae sequuntur hoc Versu omnia preces sive vota sunt habenda. אֹתָהּ הֹוכַחְתָּ לְעַבְדְּךָ לְיִצְחָק *Eam argueris servo tuo Isaaco*, q. d. ut quaecunque puella sic ad me dixerit, ea sit quam arguisti, i. e. probasti. Jarchi הֹוכַחְתָּ hic valere ait בררת *elucidasti*, liquide ostendisti, ac vernacule, inquit, *eprouver*. וּבָהּ אֵדַע *Et per eam sciam*, fac eâ sciam. Incommodius quidam בָּהּ *per illud* reddunt; sed Affixum femininum magis convenit ad puellam referre, ut אֹתָהּ quod praecessit. Optat igitur servus Abrahami, ut sibi illud sit signum, oraculi loco, quo faustumne iter faceret, nec ne, cognosceret. Similiter Jonathan, Saulis filius, 1 Sam. XIV, 9. seqq., et Gideon, Jud. VI, 7. seqq., Deum sciscitati sunt, ut signo quodam, quod ipsi indicarunt, significarent, num, quod aggressuri essent, feliciter succedat, nec ne? „Ethnici quoque aliquid aggressuri Numinibus libabant, et signum ab iis exspectabant, quo coeptum iis probari vel improbari intelligerent. Sic Iliad. Ω, 312. seqq. Jovem orat Priamus, ut si probet iter ad Achillem, quod meditabatur, mittat aquilam a dextra, quam videat. Vix loquutus erat, cum poëta fingit a Jove missam esse aquilam dextram, quo suum iter faustum fore intellexit. Vid. et Odyss. Υ, 98. seqq., et preces Anchisae *Aeneid.* II, 690. seqq.“ *Cleric.*

15. וַיְהִי־הוּא טֶרֶם כִּלָּה לְדַבֵּר *Factum ergo est antequam absolvisset loqui* אל לבו *ad cor suum*, apud se, uti addit Samaritanus, et LXX. ἐν τῇ διανοίᾳ αὐτοῦ. Videtur additamentum e Versu 45. huc illatum. וְהִנֵּה רִבְקָה יֹצֵאת וגו׳ *Et ecce! Rebecca exibat, quae nata fuerat Bethueli, filio Milcae, uxoris Nachoris, fratris Abrahami* Affert Rebeccae genealogiam, ut intelligatur haec fuisse ex Abrahami familia apta Isaaco, ut pater postularat. De hac jam supra XXII, 20. seqq. in nuncio Abrahamo dictum est. Sed hic repetitione ob praesentem narrationem ad refricandam lectori memoriam opus erat. Abrahami diserte fit mentio, ut sciretur, eam esse de ipsius progenie, ideoque et Nachoris, patris, omnino erat facienda mentio. Praeterea quum Nachor, ut XXII, 20. seqq. memoratur, tam ex justa uxore, Milca, quam e concubina prolem suscepisset, hic quoque dicitur, Rebeccam a libera s. domina ortam esse.

17. הַגְמִיאִינִי נָא מְעַט־מַיִם מִכַּדֵּךְ *Sorbere me sine* (de Verbo גָּמָא vid. not. ad Job. XXXIX, 27.) *pauxillum aquae ex hydria tua.* „Significat, se nequaquam Rebeccam forte festinantem moraturum; qua de causa addit *aliquantum aquae*, quod humanius est, quam si *da mihi bibendam ex hydria tua aquam* simpliciter dixisset.“ *Cleric.*

19. גַּם לִגְמַלֶּיךָ אֶשְׁאָב *Etiam camelis tuis hauriam*, quod profecto quum decem cameli fuerint (vid. supra Vs. 10.), haud exiguum laborem fuisse oportet, quum notum sit bibacia esse haec jumenta, quae ut plures dies sitim tolerant, ita ubi aquae est copia in plures dies bibunt; ut non incredibile sit quod Hebraei asserunt, cuique camelo opus fuisse ad sitim explendam dari decem hydrias, עַד אִם pro עַד כִּי *usque quo.*

20. Pro וַתְּעַר *effudit* in codice Samaritano est ותורד *demisit* hydriam suam ex Vs. 18. Sed Hebraicum praestare patet. שֹׁקֶת Jarchi dicit esse lapidem excavatum, e quo cameli biberent.

21. וְהָאִישׁ מִשְׁתָּאֵה לָהּ *Et vir ille,* servus *obstupuit ob eam.* מִשְׁתָּאֵה a שָׁאָה, quod uti שָׁמֵם, et *desolari* et *obstupescere* significat; est enim utraque significatio vicina, quod desolatio repentina maxime stuporem afferat. Jarchi verba haec bene sic exponit: משתומם ומתבהל שראה דברו קרוב להצליח *in admirationem et stuporem conjiciebatur, quod videbat, negotium suum prope esse, ut prosperum eventum sortiretur.* Mirabatur, tam cito adfuisse puellam, quae responderet, quod optabat. Onkelos vertit: שָׁהֵי בָהּ *stupebat de ea,* sive: *immorabatur attonitus ad eam.* LXX. *κατεμάνθανεν αὐτήν,* quod Hieronymus sequutus: *contemplabatur eam,* admirabandus. לָהּ pro עָלֶיהָ, ut supra XX, 13. אִמְרִי לָהּ *dic de ea,* Jarchio observante.

22. נֶזֶם זָהָב בֶּקַע מִשְׁקָלוֹ *Nasi annulum aureum dimidii sicli pondo.* Solebant enim Orientales mulieres, et adhuc hodie solent, teste *Niebuhrio* (*Beschreibung v. Arabien,* p. 66.), *Arvieusio* (T. III. p. 252.), et *Petro de la Vallio* (T. I. Ep. 17.), nares perforare, e quibus annuli aut gemmae pendunt. *Thevenot* (P. II. L. II. c. 11.) ait, *in Perside, quemadmodum per reliquum Orientem, sibi nasum mulieres annulis trajicere, quem acubus perforarent.* Quam in rem eximius apud Ezechielem extat locus, ubi Cap. XVI, 11. 12. sic describitur cultus muliebris: *Ornavi te ornamento muliebri, dedi tibi armillas manibus tuis, torquem collo tuo. Dedi etiam annulum naso tuo* (נֶזֶם עַל־אַפֵּךְ) *et circulos auribus tuis.* Quem in locum *Hieronymus: — usque hodie inter cetera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex fronte pendere, et imminere naribus.* Erudite de hac voce disputavit *Seb. Ravius* in Dissertat. quae inscripta est: *Observationes ad varia V. T. loca,* C. II. p. 32. seqq. Minus recte LXX. *ἐνώτια,* et Hieronymum *inaures* reddidisse, ostendit *N. G. Schroeder de vestitu mulier. Hebraear.* Cap. XIII. §. 2. p. 188., nec tamen probandus ipse, qui *lineas margaritarum naso impendentes voce* נֶזֶם indicari putat. „בֶּקַע esse *dimidium sicli* docet Moses Exod. XXXVIII, 26. Hinc LXX. ha-

bent, ἀνὰ δραχμὴν, nimirum Alexandrinam, quae dimidia erat pars sicli, hoc est, unciae Romanae partem quartam. Si de aliis drachmis sermo esset, oporteret esse διδραχμὴν, ut est in codice Vaticano, et Hieronymus in Quaestt. habet." *Cler.* Sed cf. not. supra ad XX, 16.

23. וַיֹּאמֶר בַּת־מִי אַתְּ *Dixitque: cujus es filia?* Infra Vs. 47., ubi Abrahami servus, quid egerit, narrat, priusquam annulo et armillis Rebeccam donet, cujus sit prosapiae quaerit; qui ordo videtur accuratior, quum non sit credibile, tantis eum muneribus donasse.

24. בַּת־בְּתוּאֵל אָנֹכִי בֶּן־מִלְכָּה *Filia Bethuelis ego sum, filii Milcae.* Non suae ipsius matris, sed aviae meminit, ut se ex domina ortam, non concubinâ, ostendat. Cf. not. supra ad Vs. 15.

25. גַּם־מָקוֹם לָלוּן *Etiam locus ad pernoctandum.* Abrahami servus Vs. 23. לָלִין, in Hiphil, dixerat; Rebecca לָלוּן, in Cal, dicit. Utrumque Jarchius ita differre ait, ut לָלִין sit unica nocte, at לָלוּן pluribus pernoctare, adeoque ille civiliter unius noctis diversorium petierit, at puella plurium noctium obtulerit. Quod argutius est, neque enim Cal et Hiphil verbi לוּן significatu diversa sunt; nec desunt alia verba, quorum variae formae eadem significatione usurpantur.

26. וַיִּקֹּד הָאִישׁ וַיִּשְׁתַּחוּ לַיהוָֹה *Et incurvavit se hic vir et adoravit Jehovam*, i. e. supplex Deum adoravit, gratum animum de tanto Dei in se et herum beneficio testandi causa. קָדַד ab הִשְׁתַּחֲוָה Kimchi ita differre ait, ut illud de verticis (קָדְקֹד) inflexu dicatur, hoc vero de totius corporis inclinatione. Contra Aben-Esra קָדַד plus esse dicit quam הִשְׁתַּחֲוָה. Hoc enim duntaxat levem corporis inflexum, illud, terram vertice (קָדְקֹד) ferire notare. Talmudici vero in Gemara Talmudis Babylonici (*Berachoth* fol. 34. b.) docent, קָדַד significare, *in faciem se prosternere*, הִשְׁתַּחֲוָה autem, ita se in faciem prosterne, ut simul manus et pedes expandantur.

27. בָּרוּךְ יְהוָֹה *Benedictus*, i. e. laudatus sit *Jova*;

gratias tibi ago, o heri mei Deus. אֲשֶׁר לֹא־עָזַב חַסְדּוֹ וַאֲמִתּוֹ מֵעִם אֲדֹנִי *Qui non reliquit*, detraxit, *clementiam suam et veritatem suam*, fidem promissorum, *a Domino meo*. „אֱמֶת, quamquam proprie *veritatem* sonat, hic tamen, ubi nomini חֶסֶד jungitur, *benignitatem*, *beneficentiam* significat, uti liquet e Vs. 49., ubi iterum conjuncta occurrunt. Sic et 2 Sam. XV, 20. jubetur Itthai a Davide reducere fratres suos חֶסֶד וֶאֱמֶת, i. e. incolumes et regia beneficentia exceptos et dimissos. Videtur אֱמֶת in eum deflexum significatum, quia qui veraces sunt et promissis stant, fere etiam sunt benigni, unde et *fides* apud Latinos passim idem sonat. Vide inter alios *Livium* Lib. V. Cap. 27." *Cleric.* אָנֹכִי בַּדֶּרֶךְ נָחַנִי יְהוָֹה *Ego*, me quod attinet, *in hac via Jova me duxit.* Ita solent Hebraei Pronomen separatum affixo praeponere; e. c. infra XLIX, 8. יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ אַחֶיךָ *Juda te celebrabunt fratres tui.* Vid. et Deut. XVIII, 14. Zach. IX, 11. In בַּדֶּרֶךְ Jarchi observat esse emphasin ob ה Articuli, quod latet in Patach sub ב, q. d. duxit me in via recta (בְּאוֹרַח תַּקְנָא, ut Onkelos reddidit), qua opus habui. בֵּית אֲחֵי אֲדֹנִי *In domum fratrum*, consanguineorum, *domini mei.*

28. וַתָּרָץ הַנַּעֲרָה וַתַּגֵּד לְבֵית אִמָּהּ כַּדְּבָרִים הָאֵלֶּה *Cucurrit vero puella annunciavit domui matris suae secundum haec verba*, i. e. omnia quae acta erant ad fontem. Quod Rebecca rem domui *maternae* potius, quam *paternae* annunciasse dicitur, causam quidam comminiscuntur hanc, quod pater, Bethuel, tum jam mortuus fuerit. Ejus tamen infra Vs. 50. fit mentio. Recte vero Jarchi observat, moris tunc fuisse ut mulieres separata sua tabernacula habuerint, cf. supra XVIII, 9. 10. et infra XXXI, 33. Praeterea filiae sunt matribus, quam patribus familiariores, unde haud mirum, Rebeccam matri prius, quam viris rem nunciasse.

31. בְּרוּךְ יְהוָֹה *Benedicte Jovae*, quem Jova suo favore prosequitur. וְאָנֹכִי פִּנִּיתִי הַבַּיִת *Et ego purgavi*,

praeparavi *domum* hominibus, וּמָקוֹם לַגְּמַלִּים *et locum camelis.*

32. וַיָּבֹא הָאִישׁ הַבַּיְתָה *Ingressus est igitur vir ille,* Abrahami servus, qui in tota hac narratione sic vocatur *domum,* a Labane adductus. Minime opus, uti Dathius conjecit, ut legamus Hiphil וַיָּבֵא, sicuti Hieronymus habet: *introduxit eum* in hospitium. Quamvis enim quae sequuntur aperte ad Labanem sint referenda; tamen constat, scriptores Hebraeos non solere semper satis ἀκριβεῖς esse in nectendis propositionibus. Saepe omittunt Nominativum e contextu facile supplendum. Sic h. l. ad alterum membrum repetendum est nomen Labanis: ingressus est vir domum, *Laban* vero camelis detraxit clitellas, rel. וַיְפַתַּח הַגְּמַלִּים *Solvitque camelos* detractis habenis, capistris, clitellis, et aliis, quibus instrati et ligati erant. LXX. ἀπέσαξε. Hieronymus: *destravit.*

33. וַיּוּשַׂם (ita enim efferendae sunt quae in textu exstant literae) *Et posuit,* scil. *ponens,* i. e. appositum ei est ad comedendum. Ad marginem וַיּוּשָׂם, significatione eadem, legi praecipitur. Sed τὸ כְּתִיב a radice minus usitata יָשַׂם deducitur, significatu haud diversa a שׂוּם. Occurrit et infra L, 26. — At servus Abrahami dixit: לֹא אֹכַל עַד־אִם דִּבַּרְתִּי דְּבָרָי *non comedam, donec quod dicendum mihi est, eloquutus fuerim.* Solebant veteres post coenam demum hospites rogare, cur advenissent; qui mos etiam apud Homerum observatur. Sic Odyss. III. postquam Nestor ignotum Telemachum convivio excepisset, et hic comedisset, tum demum Pylius senex v. 69. dicit:

Νῦν δὴ κάλλιόν ἐστι μεταλλῆσαι καὶ ἔρεσθαι
Ξείνους οἵτινές εἰσιν, ἐπεὶ τάρπησαν ἐδωδῆς.

Plura exempla collegit *Clericus* ad h. l. *Arvieux* in P. III. p. 13. relationum suarum de Arabibus idem narrat. Sed Abrahami servus, qui felicem successum negotii sui ex eo, quod factum fuit, ominabatur, noluit diu expectare, sed cupiit quam primum mandata sua exponere.

35. Servi et ancillae inter bestias veluti recensentur, quia pecudum instar emebantur et vendebantur; vid. et supra XII, 16.

36. Pro אַחֲרֵי זִקְנָתָהּ *postquam consenuisset ea* in codice Samaritano scribitur אחרי זקנתו *postquam consenuisset ille.* Ita et LXX. *μετὰ τὸ γηράσαι αὐτόν.*

38. אִם־לֹא Veteres omnes reddunt *sed*, quomodo Particula haec conjuncta et Jerem. XXII, 6. vertenda est. In codice Samaritano pro illa usitatius כי אם positum.

48. אֲשֶׁר הִנְחַנִי בְּדֶרֶךְ אֱמֶת *Qui me duxit in via veritatis*, i. e. eâ, qua consequutus sum, quod mihi propositum erat.

49. וְאֶפְנֶה עַל־יָמִין אוֹ עַל־שְׂמֹאל *Ut ad dextram vel ad sinistram me convertam*, i. e. ut aliam aliamve viam ineam, ad alios heri mei consanguineos me convertam. Loquendi formula petita ab iis, qui in bivio stantes viam, quam sequantur, quaerunt, et qui, prout viarum periti respondent, ad dextram aut ad sinistram sese convertunt.

50. וַיַּעַן לָבָן וּבְתוּאֵל *Responditque Laban et Bethuel.* Quod Rebeccae frater, Laban, illius patri, Bethueli, hic praeponitur, Hebraei alii alias, maximam partem futiles, rationes comminiscuntur. Sed videtur illis temporibus moris fuisse, ut in matrimoniis virginum fratres potius consulerentur, quam parentes, et ut omnino fratres sororum suarum tuendarum jus haberent, cujus rei exempla sunt infra Cap. XXXIV, 13. et in primis Jud. XXI, 22. *Arvieux* l. c. p. 263. narrat, Arabes, uxorum suarum laesum honorem non tam aegre ferre quam sororum. Idem dicit *Niebuhr* (*Beschreibung von Arabien*, p. 31.) et *Michaelis*, *Mosaisches Recht*, T. V. p. 253. לֹא נוּכַל דַּבֵּר אֵלֶיךָ רַע אוֹ־טוֹב *Non possumus loqui ad te malum aut bonum*, i. e. contradicere tibi omnino non possumus. Nam *bonum* et *malum* omnia complectuntur; itaque eodem haec recidunt, ac si dicerent, se nihil habere, quod reponerent petitioni servi Abrahami, se plane quod petiit probare. Cf. infra XXXI, 24.

53. מִגְדָּנוֹת Jarchi exponit *fructus pretiosos* et *raros*, quos ex terra Canaan attulerit Abrahami servus (collato פְּרִי־מְגָדִים Cant. IV, 13. 16. et Syriaco ܡܓܕܐ *fructus aridus*). At מִגְדָּנוֹת *fructus* esse, non patitur locus 2 Chron. XXI, 3., ubi in catalogo bonorum, quae Josaphat filiis legavit una cum auro et argento recensentur. Non est dubium, מְגָדִים et מִגְדָּנוֹת esse res pretiosas, et eximias, cujuscunque tandem speciei fuerint, quas κειμήλια Graeci dicunt. Cf. *J. E. Faber* ad Harmerum in *Beobachtungen über den Orient*, P. II. p. 425. et *Michaelis Supplemm.* p. 1477. seqq. Ceterum munera haec Rebeccae et fratribus donata, erant arrhae sive pignoris loco, quo confirmabatur illam Isaaco desponsam esse. Vid. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 75. p. 111.

55. Frater vero et mater dicebant, maneat puella apud nos יָמִים אוֹ עָשׂוֹר *dies* aliquot *aut* saltem *decem*, scil. dies, ἡμέρας ὡσεὶ δέκα, *dies plus minus decem*, uti recte LXX. Alias minus probandas hujus loquendi formulae interpretationes recensuerunt et refutarunt *Noldius* in *Vindicc. ad Concordantt. Particular.* No. 21., *Seb. Ravius* in *Exercitatt. ad Hubigantii Prolegomm.* p. 48., et *Gesenius* in Commentat. *de Pentat. Samarit!* p. 31.

57. וְנִשְׁאֲלָה אֶת־פִּיהָ *Et rogemus os ejus*, sciscitemur ex ea, quo sit animo. Recte Onkelos: נִשְׁמַע מָה דְּהִיא אָמְרָה *audiamus quid dictura sit.* Eadem phrasis Jos. IX, 14. וְאֶת־פִּי יְהוָה לֹא שָׁאָלוּ *os Jovae*, i. e. Jovam *non rogarunt*. Non ut sciscitarentur e puella, num in nuptias consentiat, arcessi videtur; nam in has eam consensisse colligitur tam e Vs. 51., quam inde quod munera recepit (Vs. 53.); sed ut animus ejus sciatur, num tam cito e patria domo discedere vellet, quam optabat servus, ne quid hic nisi ex ejus voluntate fieret.

59. וַיְשַׁלְּחוּ אֶת־רִבְקָה אֲחֹתָם *Dimiserunt itaque Rebeccam, sororem suam.* Atqui unicus frater, Laban,

memoratus est. Sed *sororis* ut *fratris* nomen Hebraice latius sumitur, quasi dicat: cognatam, propinquam suam. וְאֶת־מֵנִקְתָּהּ *Et nutricem ejus*, cujus nomen Debora fuit; vid. infra XXXV, 8., ubi narratur eam a Jacobo sepultam esse. Nutrices quanto in honore habitae fuerint et adultis apud veteres, constat ex Homero. Vid. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 76. p. 113.

60. וַיְבָרְכוּ אֶת־רִבְקָה *Benedixerunt Rebeccae*, i. e. valedixerunt ei, ac fausta et felicia imprecati sunt. אֲחֹתֵנוּ אַתְּ non est vertendum: *soror nostra es*, sed in vocandi Casu: *o tu soror nostra!* וְיִירַשׁ זַרְעֵךְ אֵת שַׁעַר שֹׂנְאָיו *Et possideat progenies tua portam eorum, qui ipsum oderint.* Eadem bene precandi formula, qua supra XXII, 17. usus est angelus ad Abrahamum, ubi vid. not. Ceterum cf. *das alte und neue Morgenland.* P. I. No. 77. p. 113.

62. וְיִצְחָק בָּא מִבּוֹא *Isaacus autem veniebat a veniendo*, i. e. redibat, ut Galli dicunt *venoit d'arriver*, recte monente Clerico, quem sensum esse hujus phraseos ostendunt, quae sequuntur, *in meridiano tractu consederat;* erat enim haud procul ab hoc tractu puteus לַחַי רֹאִי, de quo vid. supra XVI, 14. LXX. Ἰσαὰκ δὲ ἐπορεύετο διὰ τῆς ἐρήμου κατὰ τὸ Φρέαρ τῆς ὁράσεως. Legit, quod in codice Samaritano exstat, בא במדבר. Hieronymus sensum, prout intellexit, non verba, expressit: *eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quae ducit ad puteum.* Supervacanea est *J. D. Michaelis* conjectura (*Biblioth. Oriental.* P. IX. p. 192. et *Supplemm.* p. 159.), pronuntiandum esse מְבוֹא, quod significare vult *locum ubi cameli per noctem cubant* (collato Arabico مَبَاءَة *habitatio, locus, ubi pernoctantur iter facientes*, sive مَبْوَأ) ita ut sensus sit: *Isaacus (cum gregibus) venerat ad hospitium fontis viventis.* *Seb. Ravius* in *Exercitatt.* p. 104. מִבּוֹא interpretatur *a foris, ab extus*, et

opponi ait τῷ מִבַּיִת *ab intus*, Jesaj. XXIII, 1., ut idem sit, quod מִחוּץ, Exod. XXV, 11. Quod tamen nullo alio exemplo probari potest. Alia tentavit *Kanne bibl. Untersuchungen*, P. II. p. 266.

63. וַיֵּצֵא יִצְחָק לָשׂוּחַ בַּשָּׂדֶה *Egressus erat Isaacus ad meditandum in agro.* A Verbo שׂוּחַ derivatum nomen שִׂיחַ *cogitationem*, quam animo versamus, significat, vid. 1 Sam. I, 16. Ps. CIV, 34., et de seria meditatione Verbum usurpatum reperimus Ps. LV, 3. (ad quem loc. cf. not.), LXXIV, 4. 7. 13. „Indicat autem hic Moses, Isaacum tentorio exiisse, non eo animo, ut Rebeccae obviam iret, aut quidpiam aliud ageret, sed tantum ut ambulando cogitationibus suis animum pasceret. Quae mens est eruditi Scholiastae Cod. Vaticani: ἐξῆλθε κατὰ μόνας τοῖς ἰδίοις λογισμοῖς ἐνομιλῆσαι, κ. τ. λ. *exiit solus, ut propriis cogitationibus secum colloqueretur*, rel. LXX. habent ἀδολεσχῆσαι, quod *garrire* quidem et *blaterare* est, apud Atticos, sed apud LXX. *meditari* seu *animo versare* sonat, ut Ps. CXIX, 15." *Cleric.* Augustinus Lib. I. *Quaestt. in Genesin:* „Ἀδολεσχία et ἀδολέσχειν ad animi exercitationem pertinet, et saepe vitio deputatur; more autem Scripturarum plerumque in bono ponitur; et videtur mihi significare animi affectum studiosissime aliquid cogitantis cum delectatione cogitationis." Onkelos לָשׂוּחַ reddidit לְצַלָּאָה *ad orandum*, nec aliter Saadias et Arabs Erpenii. Idem sequutus Jarchi, qui שׂוּחַ hic לשון תפלה *significationem precandi* obtinere ait, ut Ps. CII, 1., ubi tamen שִׂיחַ potius *sollicitudinem* denotat. Aquila vertit: ὁμιλῆσαι ἐν χώρᾳ, eodem sensu Symmachus: λαλῆσαι ἐν τῷ ἀγρῷ, cum aliquo nimirum, quem invisebat. Aben-Esra interpretatur: לטייל בשדה בין השיחים *ad ambulandum in agro inter virgulta*, animi causa, ut refrigerium captaret ab aestu diei, sub vesperam, uti sequitur (לִפְנוֹת עָרֶב). Ita Syrus: ܠܡܬܗܠܟܘ *ad deambulandum.* Arabibus quoque سَاحَ (pro سَيَحَ) est *peregrinatus*

fuit, obivit per terram, pecul. religionis causa. Sed Hebraeorum loquendi usu sola *meditandi* notio videtur recepta fuisse.

64. וַתֵּרֶא אֶת־יִצְחָק וַתִּפֹּל מֵעַל הַגָּמָל *Et vidit* Rebecca *Isaacum et delapsa est de camelo*, i. e. conspecto et cognito, ex relatione servi, Isaaco (vid. Vs. 65., et videtur hic esse ὕστερον πρότερον), mox reverentiae causa, ut sponso occurreret, e camelo desiliit, κατεπήδησεν, uti LXX. habent. Descensus equitantis ab equo etiamnum in Oriente signum venerationis est, quo et foeminae viros afficere solent, ut narrat Niebuhr *Beschreibung von Arabien*, p. 50. Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 78. p. 114.

65. וַתִּקַּח הַצָּעִיף וַתִּתְכָּס *Sumto velo sese operuit.* צָעִיף *peplum*, LXX. θέριστρον, quod *Hesychius* esse ait λεπτὸν ὕφασμα, θερινὸν ἱμάτιον. *Hieronymus* in Comment. ad Jes. III.: Θέριστρα *nos possumus appellare palliola, quibus obvoluta erat Rebecca, ut hodie quoque Arabiae et Mesopotamiae operiuntur foeminae, ab eo, quod* ἐν θέρει, i. e. *aestate, et caumate, corpora protegant foeminarum.* *Tertullianus* in libro de *velandis Virginibus C. XVI.*: *Judicabunt vos Arabiae foeminae ethnicae, quae non caput, sed faciem quoque ita tegunt, ut uno oculo liberato, contentae sint dimidia frui luce, quam totam faciem prostituere.* Rebecca autem ideo peplo se obvelabat, quia ex moribus illius aevi uxorem ante nuptias celebratas nisi vultu velato a sponso conspici licitum non erat. Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 79. p. 115.

67. וַיְבִאֶהָ יִצְחָק הָאֹהֱלָה שָׂרָה אִמּוֹ *Isaacus vero Rebeccam in tentorium Sarae, matris suae, introduxit*, quod Sara, dum viveret, inhabitabat. Habebant enim foeminae tentoria sua seorsim, quasi γυναικωνῖτιν, uti hodienum Arabes Nomades; vid. *das alte u. neue Morgenl.* l. c. p. 116., et cf. not. supra ad Vs. 28. Quum tamen verba הָאֹהֱלָה שָׂרָה non sint in statu regiminis posita, et

nomen prius Accentum distinctivum Paschta appositum habeat; Onkelos hunc locum sic reddidit: וְאַעֲלַהּ יִצְחָק לְמַשְׁכְּנָא וַחֲזָא וְהָא תַּקְּנִין עוֹבָדָהָא כְּעוֹבָדֵי שָׂרָה אִמֵּיהּ *duxitque eam Isaacus in tentorium, et vidit, et ecce, recta erant facta ejus sicut facta Sarae, matris suae.* Quod sequutus Jarchi: ויבאה האהלה ונעשית דוגמת שרה אמו כלומר והרי היא שרה אמו *introduxit eam in tentorium et facta est similitudo Sarae, matris suae; quasi dicat: et ecce! erat* Rebecca *Sarae, matris suae,* loco. Verum recte monet Aben-Esra, post הָאֹהֱלָה esse אֹהֶל repetendum, ut vertendum sit: *introduxit eam in tentorium, tentorium,* inquam, *Sarae.* Ita 2 Chron. XV, 8. הַנְּבוּאָה עֹדֵד הַנָּבִיא *prophetiam, prophetiam,* inquam, *Odedi, prophetae.* Cf. et not. ad Ps. XLV, 7. LX, 5. CX, 3. Diserte expressum hunc loquendi modum vid. XXXVIII, 21.

18. *Abrahamus Keturam ducit uxorem, e qua plures filios suscepit. Mors Abrahami. Cap. XXV, 1—11.*

Cap. XXV, 1. וַיֹּסֶף אַבְרָהָם וַיִּקַּח אִשָּׁה וּשְׁמָהּ קְטוּרָה *Et addidit Abrahamus et accepit,* i. e. rursum duxit *uxorem nomine Ketura.* Haec 1 Paral. I, 32. פִּילֶגֶשׁ *concubina* Abrahami vocatur, et infra Vs. 6. הַפִּילַגְשִׁים *concubinarum* ejus fit mentio, quae non essent plures, nisi haec in earum numerum adgregaretur, quum praeter Hagaram et hanc, nulla memoretur.

2. De Abrahami ex Ketura filiis, qui hoc Versu et proximis nominantur, *Josephus* in *Antiquitt.* Lib. I. Cap. 15. §. 1. haec observat: Τούτοις ἅπασι τοῖς παισὶ καὶ τοῖς υἱωνοῖς Ἄβραμος ἀποικιῶν στόλους μηχανᾶται, καὶ τήν τε Τρωγλοδύτην καταλαμβάνουσι, καὶ τὴν τῆς Εὐδαίμονος Ἀραβίας, ὅσον ἐπὶ τὴν Ἐρυθρὰν θάλασσαν καθήκει. *Filiis his omnibus ac nepotibus Abramus deducendi colonias auctor fuit; terramque occupaverunt Troglodyticam, et regionem Arabiae felicis, quatenus ad rubrum mare protenditur.* זִמְרָן Clericus haud diversum putat a Stephani Byzantii Ζαδρα-

μὴ, βασίλειον τῶν Κυναιδοκολπιτῶν· εἰσὶ δὲ ἔθνος τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας. Apud Ptolemaeum hanc eandem regionem *Ζααράμ* vocari dicit; quae ex nomine *Zimran*, male pronunciato, aut perperam audito, facile manare potuerint. מְדָיָן *Midianis* posteri celeberrimi omnium Keturae filiorum fuere. *Hieronymus* in *Locis Hebraic.*: *Madian, urbs ab uno filiorum Abrahami ex Cetura sic vocata. Est autem trans Arabiam ad meridiem in deserto Saracenorum, contra orientem maris rubri, unde vocantur Madianaei, et Madianaea regio.* Ptolemaeus duas urbes, *Madiana* et *Modiana* in illo tractu collocat. De reliquis in hoc Versu memoratis nominibus nihil quod aliquam veri speciem habeat, afferre habemus, nisi quod שׁוּחַ, e Clerici conjectura, nomen dedisse videri possit oppido *Soaca*, quod in Darrorum regione in Tabulis Ptolemaei pingitur, non procul a Madianitide.

3. Qui hic memorantur שְׁבָא et דְּדָן haud diversos esse ab iis, qui supra X, 7. recensentur, cognominibus Cuschi posteris, sed duas hoc utroque loco genealogias earundem gentium proponi, conjecit Vater in Commentario P. I. p. 233., cui adstipulati sunt de Wette (*Kritik der Israelit. Gesch.* p. 117.) et Gesenius in Lexico s. v. שְׁבָא. Nomina אַשּׁוּרִים וּלְטוּשִׁם וּלְאֻמִּים quae Jarchi recte ait esse nomina propria capitum gentium, Onkelos habuit pro appellativis. Sic enim illa reddidit: הֲווֹ לְמַשִּׁירְיָן וְלִשְׁכוּנִין וּלְנַגְוָן *fuerunt in castra, in tabernacula, et in insulas.* אַשּׁוּרִם interpretem hunc Moses Ben Nachman putat retulisse vel ad שְׁיָרָה *turma, caterva,* vel ad אַשּׁוּר *gressus, semita* (Job. XXIII, 11.), לְטוּשִׁם vero pro נְטוּשִׁים cepisse (Nun et Lamed permutatis, ut in נִשְׁכָּה et לִשְׁכָּה), i. e. qui sese diffundunt, ut Nomades sive scenitae solent, לְאֻמִּים denique pro populis insularibus. Sed Jonathan: הֲווֹן תַּגָּרִין וְאַמְפּוֹרִין וְרֵישֵׁי אוּמִּין *fuerunt mercatores, negotiatores (ἔμποροι) et capita populorum.* Pro אַמְפּוֹרִין in Targum Hierosolymitano est אוּמָּנִין *artifices,* quod praeferendum videtur; potest enim לְטוּשִׁם ad radicem לָטַשׁ referri, de qua vid. supra IV, 22. Easdem

trium illorum nominum Hebraicorum explicationes a magistro suo Hebraeo accepit Hieronymus. „*Asurim*," inquit in *Questt. in Genes.*, „in *negotiatores* transferri putant. *Latusim*, aeris ferrique metalla *cudentes*, *Laomim* vero φύλαρχοι, id est, *principes* multarum *tribuum* et populorum. Alii ab hoc *Asurim* vocatos Syros esse contendunt, et a plerisque filiis Abraae ex Cetura occupatas Indiae regiones." Josepho tamen loco supra ad Vs. 2. laud. nomina illa sunt propria, quae Ἀσσουρὶς, Λατούσιμος, Λουόμης reddit. Et ex Alexandro Polyhistore refert, Cleodemum vatem, qui et Malchus, in sua rerum Judaicarum historia tradere, ἀπὸ Σουρεὶμ [אַשּׁוּרִם] τὴν Ἀσσυρίαν κεκλῆσθαι. לְאֻמִּים nonnullis sunt Ptolemaei Ἀλλουμαιῶται, in media Arabia.

4. De עֵיפָה vid. not. ad Jesaj. LX, 6. Pro עֵפֶר codex Samaritanus habet אפר. LXX. Ἀφείρ. Josephus videtur Ὀφὲρ extulisse, ut Hieronymus; ponit enim Ὥφρην. De hoc Josephus l. l.: Στρατεύσας ἐπὶ τὴν Λιβύην κατέσχεν αὐτὴν· καὶ οἱ υἱωνοὶ αὐτοῦ κατοικήσαντες ἐν αὐτῇ τὴν γῆν ἀπὸ τοῦ ἐκείνου ὀνόματος Ἄφρικαν προσηγόρευσαν. *Expeditione in Libyam suscepta eam tenuit, posterique ejus, regionis incolae, ab ejus nomine Africam appellavere.* Quod addit e Cleodemo hausisse (vid. not. ad Vs. 3.).

5. וַיִּתֵּן אֶת־כָּל־אֲשֶׁר־לוֹ לְיִצְחָק *Abrahamus Isaaco omnia sua dedit*, „i. e. haeredem eum constituit omnium suorum, ita tamen, ut reliquis filiis ex concubinis susceptis, munera daret, ut statim dicitur. Videtur igitur illis temporibus bonorum partitio ex patris familias arbitrio pependisse. Jacobus enim filios ex duabus concubinis susceptos, Leae et Rachele filiis aequavit, quod eodem jure etiam Abrahamus facere potuisset." *Cleric.*

6. וְלִבְנֵי הַפִּילַגְשִׁים *Filiis vero concubinarum*, i. e. Hagarae et Keturae; cf. not. ad Vs. 1. Neque enim ut Ketura concubinis accenseatur, obstat, ut Nachmanides putat, quod Ketura supra, initio Capitis, אִשָּׁה *uxor* Abrahami vocatur. Nam et concubinae *uxores* appellantur,

uti Sara, supra XVII, 3. Vid. et Jud. XIX, 1. 27. נָתַן אַבְרָהָם מַתָּנוֹת *Dedit Abrahamus munera*, legata, numos et alia, non haereditatem, aut haereditatis partem. Nomen אַבְרָהָם, quod modo praecessit, sine necessitate repetitur; cujusmodi pleonasmi frequentes sunt in his libris. Ita Hebraei observant, nomen נֹחַ ter occurrere in uno Versu supra VI, 9., et בְּנֵי יִשְׂרָאֵל quinquies eodem in Versu, Num. VIII, 19. Additur, Abrahamum filios concubinarum se adhuc vivente ablegasse קֵדְמָה אֶל־אֶרֶץ קֶדֶם *orientem versus ad terram orientalem*, quod Aben-Esra pro mero pleonasmo habet, aut perspicuitatis causa adjectum, ut Jer. XXVII, 8. אֲשֶׁר לֹא־יַעַבְדוּ אֹתוֹ אֶת נְבוּכַדְנֶאצַּר *qui non servient ei*, videlicet *Nebucadnezaro*. Neque tamen pro mera repetitione illud אֶל־אֶרֶץ קֶדֶם habendum videtur. Sed quia קֵדְמָה *ad orientem* intelligi poterat: ad regionem orientalem Isaaci, quod in terra Cananaea, haud procul, aut in vicina regione, orientem versus, esse poterat, addit nunc, *in terram orientis*, quae respectu orbis reliqui est orientalis, et quae proprie ita appellatur. Erat vero ea Arabiae pars Palaestinae ad orientem et austrum confinis, cujus incolae בְּנֵי־קֶדֶם dicuntur (Jud. VI, 3. 1 Reg. IV, 30. al. V, 10. Jesaj. XI, 14. Job. I, 3.), i. e. شَرْقِيُّون *orientales* (Saraceni). Illos tractus Hagarae et Keturae posteros tenuisse constat. Cf. Josephi locum, quem supra ad Vs. 2. attulimus.

7. וַיִּגְוַע *Exspiravit* Hebraei tantum de piis usurpari volunt, significare enim mortem facilem, εὐθανασίαν, sine dolore et violentia, aut cruciatu. Ideoque, Aben-Esra observante, generale Verbum, וַיָּמָת *et mortuus est*, subditur, ut indicetur, quae mortis ejus ratio fuerit. Sed in historia diluvii ubi violenta morte omnes, et quidem impii, interiere, וַיִּגְוַע bis adhibetur, VI, 17. VII, 22. Nil aliud valet quam quod Latinorum *animam efflavit*. בְּשֵׂיבָה טוֹבָה *in senectute bona*, qua nonnulli putant talem significari, quae iis incommodis non sit obnoxia, quae

aetati illi adjecta esse solent. Sed recte monet Ludovicus de Dieu, intelligi simpliciter maturam, plenam senectutem; ita et Syris ܛܒ cum adverbiascit intensionem significare, et *valde, magnopere* valere. Cf. supra XV, 15. Additur: זָקֵן וְשָׂבֵעַ *senex et satur* scil. יָמִים *dierum*, ut infra XXXV, 29. Job. XLII, 14. 1 Paral. XXIX, 28. Explevere ellipsin aliquot codices a Kennicotto et de Rossio collati, et versiones veteres, praeter Arabem Erpenii et Graecam Venetam. Neque omitti posse illud nomen, contendunt Hubigantius, Kennicottus et Vater. Vere tamen *Ravius* in *Exercitatt.* p. 52. observat, esse hoc loco minus necesse, ut יָמִים adjiciatur, quia praecedit זָקֵן et שֵׂיבָה טוֹבָה, imo ipsum יָמִים Versu praecedenti, ut itaque nulla sit obscuritas. Quod veteres *dierum* addunt, minime eos in Hebraeo legisse argumento est; quum haud raro sensum perspicacius reddendi causa, quae necesse sunt, inferre soleant. Sunt tamen Hebraei, qui יָמִים hic consulto omitti putent, ut significetur, Abrahamum omnium rerum saturum et votorum suorum omnium compotem factum decessisse. Quem sensum Jonathan expressit: וְשָׂבַע כָּל טוּבָא *et satur omni bono.* Similiter *Lucretius* III, 951.

Cur non, ut plenus vitae conviva, recedis?

Et Vs. 972. 973.

Et nec opinanti mors ad caput adstitit ante,
Quam satur, ac plenus possis discedere rerum.

De phrasi וַיֵּאָסֶף אֶל־עַמָּיו vid. not. supra ad XV, 15.

9. וַיִּקְבְּרוּ אֹתוֹ יִצְחָק וְיִשְׁמָעֵאל בָּנָיו *Et sepeliverunt eum Isaacus et Ismael, filii sui.* „Filiorum primogeniti, atque aut cum eo, aut in vicinia degentes. Nam Ismael, qui in deserto Pharan vagabatur, non longe hinc aberat.“ *Cleric.* Praeponitur Isaacus Ismaeli, ut filius herae, dignitatis causa. De מְעָרַת הַמַּכְפֵּלָה vid. supra XXIII, 9.

11. עִם־בְּאֵר לַחַי רֹאִי *Juxta puteum viventis;* vid. supra XVI, 14.

19. *Ismaelis posteri.* *Cap. XXV, 12—18.*

Cap. XXV, 12. Absolutis iis, quae de Abrahamo memoranda erant, appendicis loco addit Ismaelis genealogiam, quo semel absolvat, quicquid de Ismaele esset dicendum, ne postea historiam Isaaci interrumpere cogatur. Praeterea quum supra XVII, 20. commemoratum esset, Deum Abrahamo promisisse, evasurum Ismaelem in magnam gentem, ac geniturum ex se duodecim duces; ea promissio ut impleta fuerit, nunc explicatur.

13. Per לְתוֹלְדֹתָם Jarchi recte סדר לידתן זה אחר זה *ordinem, quo singuli sint nati,* indicari dicit. Ita et Exod. XXVIII, 20. כְּתוֹלְדֹתָם ordinem et tempus nascendi significat. Ismaelis primogenitus appellatur נְבָיֹת, a quo celebres et inter Graecos et Romanos *Nabathaei,* qui partem Arabiae Petraeae tenuerunt. *Josephus Archaeol.* Lib. I. Cap. 12. §. 4. Οὗτοι πᾶσαν τὴν ἀπ᾽ Εὐφράτου καθήκουσαν πρὸς τὴν Ἐρυθρὰν θάλασσαν κατοικοῦσι, Ναβατηνὴν τὴν χώραν ὀνομάσαντες. *Hi* (omnes illi, qui hoc Versu et proximo recensentur, Ismaelis filii) *terram omnem ab Euphrate ad mare rubrum pertingentem habitant, regionem Nabatenam appellantes.* Arrianus in Periplo regiam Nabathaeorum Petram urbem esse narrat, quae inter lacum Asphaltiten et sinum Arabicum sita sit. Vid. quae de Nabathaeis e veteribus collegit *Relandus* in *Palaest.* Lib. I. Cap. 17. p. 90. seqq. De קֵדָר, a quo Plinii (*Hist. Nat.* L. V. Cap. 11.) *Arabes Cedrei,* vid. not. ad Jesaj. XLII, 11. et Relandum l. l. Cap. 18. p. 96. De אַדְבְּאֵל et מִבְשָׂם nil constat.

14. דּוּמָה *Dumah* etiamnum est nomen oppidi in Arabica provincia *Aldschuf,* quod Abulfeda in descriptione Arabiae Num. 23. دُومَة الجَنْدَل (*Dumah aldschandel,* i. e. Dumah saxea), vocat, et dicit *locum id esse Syriae et Arabiae limitaneum, ab eo Damascum septem et Medinam tredecim stationes abesse.* Plura de hoc oppido dicit Gagnier ad Abulfedam ex Jakuti Lexico ex-

cerpta, quae et *Michaelis* habet in *Supplemm.* p. 420. seqq. Vid. et *Niebuhr Beschreibung von Arabien,* p. 344. Cf. not. ad Jesaj. XXI, 11. מַשָּׂא fortasse conditor fuit *Masanorum* gentis, cujus in Arabia deserta meminit Ptolemaeus.

15. Primum hujus Versus num sit חֲדַד, aut חֲדַר, aut הֲדַר scribendum, plane incertum est. Qui pro unaquaque harum scriptionum stant testes recensuit de Rossi in *Varr. Lectt.* ad h. l. et in *Scholiis Critt.* תֵימָא fortasse est Ptolemaei *Themma,* quam urbem in Arabia deserta Chaldaeos montes versus ponit. Themaeorum mentio etiam fit Jesaj. XXI, 14. et Jerem. XXV, 23., ubi inter Arabiae desertae incolas recensentur. Cf. not. ad Jesaj. I, 14. יְטוּר *Jetur* nomen dedit tribui, quam Rubenitae, Gaditae et dimidia Manasse sede sua expulerunt 1 Paral. V, 19. Trachonitidis vicini erant, aut partem ejus incolebant, unde Ituraea et Trachonitis saepe confunduntur. *Hieronymus* in *Locis Hebr.: Ituraea et Trachonitis regio, cujus Tetrarcha fuit Philippus: Trachonitis autem dicitur Terra, juxta Arabiae desertum, quod Bosrae jungitur.* Celeberrimi sunt apud Graecos et Romanos *Ituraei sagittarii;* vid. *Cicero Philipp.* II, 44.

16. חֲצֵרִים sunt *pagi portatiles Nomadum, tentoriis in orbem positis constantes,* quos Tatarico vocabulo *Horde* (اوردو, *Ordu*, Οὐρδὰ), dicere solemus. Vid. *Michaelis Supplemm.* p. 893. seq. Bene LXX. ἐν ταῖς σκηναῖς αὐτῶν. טִירוֹת esse *domus pastoritias, in quibus sunt stabula, Michaelis* l. l. p. 1012. ostendit. Videlicet Nomades, quales Ismaelitae fuerunt, suos quidem greges per alta deserta sub dio pascebant, videntur tamen et aliquando casas cum stabulis habuisse, in quae greges cogebantur, maxime quidem cum tonderentur, sed fortasse et securitatis caussa. LXX. vertunt: Ἐν ταῖς ἐπαύλεσιν αὐτῶν. *Suidas:* Ἔπαυλις, ἡ οἰκία, ἐν ᾗ τὴν αὐλιν ποιοῦνται. *Domus, in qua stabulum sive cubile sibi*

faciunt. *Hesychius:* Ἔπαυλις, μάνδρα βοῶν, ἢ οἴκημα, ἢ αὐλὴ, ἢ στρατοπεδία, ἢ ἡ ποιμηνικὴ αὐλή. *Stabulum bo-um, vel domicilium, vel aula, vel castra, vel pastorum subdiale septum.* שְׁנֵים־עָשָׂר נְשִׂיאִם לְאֻמֹּתָם *Sub duodecim phylarchis;* hac enim voce saepe utuntur Veteres, ubi de Arabum principibus sermo est, e. c. *Strabo* L. XVI. *Phylarchum* nominat *Cicero* (*Epist. ad Fam.* L. XV. Ep. 1.) *Jamblichum* Arabem, Populi Romani amicum. Sunt etiamnum Arabes in tribus divisi, quarum unaquaeque principem suum (أَمِير *Emir*) habet, ὧν δυναστείαν ἕκαστος ἰδίᾳ παραβεβλημένος ἴδιον καὶ τελώνιον εἶχε, *quorum suum quisque dominium tenentes, suum etiam singuli vectigal habebant,* ut dicit *Strabo* l. c.

18. Subjungit quinam fuerint termini tractuum, quos Ismaelitae tenuerunt. וַיִּשְׁכְּנוּ מֵחֲוִילָה עַד־שׁוּר אֲשֶׁר עַל־פְּנֵי מִצְרַיִם בֹּאֲכָה אַשּׁוּרָה *Habitarunt autem ab Chavila usque ad Schur, quae est in conspectu,* e regione *Aegypti, dum tu venis,* i. e. tendendo *in Assyriam,* qua scilicet via ex Aegypto in Assyriam tenditur, Septentrionem et Orientem versus; omnia intermedia paene occuparunt Ismaelitae. חֲוִילָה haud dubie est ea Arabiae provincia, quae hodie *Chaulan* (خولان) dicitur, supra X, 29. memorata. De *Schur* vid. supra XVI, 12. Fines Ismaelitarum igitur erant a meridie Aegyptus, et a septentrione Assyria. עַל־פְּנֵי כָל־אֶחָיו נָפָל *In conspectu omnium fratrum suorum,* i. e. iis ab Oriente (ut Jos. XV, 8.) *cecidit* scil. sors ejus, i. e. habitavit, cf. supra XVI, 12., ubi pro נָפָל ponitur שָׁכַן. „Quia inter eos, qui coloni aliquem in locum mittebantur, saepe sorte dividebatur ager, ideo etiam ubi nihil simile factum, *cecidisse* sorte ea loca iis dicuntur, qui ea possident. Prius ex Josua manifestum est, posterius e Ps. XVI, 6. *Sortes* autem *cadere* dicuntur, quia videntur in vas quodpiam conjectae, ex quo agitatae egrediebantur et in humum cadebant; cf. Prov. XVI, 33. Non videtur quidem sorte Ismael ea loca

cepisse, sed tralaticio sensu praedia ei *cecidisse* dicuntur, ad quem deveniunt, quocunque modo hoc fiat. Hieronymus vertit hic *obiit;* sed quum נָפַל non soleat nisi de iis, qui praematura, aut violenta morte occiderunt, usurpari; melior visa est prior interpretatio, quandoquidem Ismaelem ita obiisse non constat. Praeterea non potest dici *occidisse coram omnibus fratribus suis*, qui in diversas oras erant amandati." *Cleric.* Recte LXX. *κατῴκησε*, et Onkelos שְׁרָא *habitavit.* Cf. *Noldii Concord. Vindic.* No. 1802. 3.

VII. *Isaaci et filiorum, Jacobi et Esavi, vita et res gestae usque ad Jacobi mortem. Cap. XXV, 19 — XXXV, 29.*

1. *Rebecca primum sterilis parit tandem gemellos, Esavum et Jacobum. Horum mores diversi. Esavus Jacobo vendit jus primogeniturae. Cap. XXV, 19—34.*

Cap. XXV, 19. Verba וְאֵלֶּה תּוֹלְדֹת יִצְחָק בֶּן־אַבְרָהָם epigraphen constituunt totius illius, quae usque ad finem Capitis XXXV. decurrit, pericopae. תּוֹלְדֹת hic, ut supra IX, 6. et infra XXXVII, 2., *historiam*, narrationem de iis, quae evenerunt Isaaco, denotat. Cf. not. ad II, 4. et IX, 6. At quum deinceps plura de Esavo et Jacobo, quam de Isaaco commemorata legantur, erant, qui תּוֹלְדֹת יִצְחָק interpretarentur *historiam generationum*, i. e. filiorum *Isaaci*. Quod innuit Jarchi hoc suo scholio: תולדת יצחק יעקב ועשו האמורים בפרשה *Generationes Jacobi, id est, Jacobi et Esavi, qui in* hac *pericopa* potissimum *commemorantur*. Nil tamen impedit, quo minus per תּוֹלְדֹת יִצְחָק Isaaci ipsius acta, et quae ei contigerunt una cum filiis, et eorum causa, intelligamus, ut infra XXXVII, 2. Quum vero hic dixisset יִצְחָק בֶּן־אַבְרָהָם, supervacaneum videri possit, statim addi: אַבְרָהָם הוֹלִיד אֶת־יִצְחָק. Sed recte observat Nachmanides, voluisse scriptorem in hac formula morem genealogiarum servare, ut a parente et primo auctore ejus initium ducatur. Quum igitur novum Caput, Isaaci progeniem relaturum, exordiretur, totius genealogiae initium ab Abrahamo repetens, praemittendum duxit: *Abrahamus genuit Isaacum*, innuens simul, se deinceps Ismaelis et aliorum ex Abrahamo susceptorum filiorum nullam habiturum rationem. Mox erat

subjungendum, quos genuisset Isaacus. Verum prius de sterilitate uxoris ejus, et quot annos natus esset Isaacus cum eam duxit, et quot annis sit dilata proles, erat memorandum; quae statim inde a Vs. 20. sequuntur.

20. Hic Moses, ut supra XII, 1., ad praeterita tempora regreditur; nam triginta quinque annis, ante narratam Abrahami mortem Vs. 8. uxorem duxit Isaacus. הָאֲרַמִּי מִפַּדַּן אֲרָם (Filia Bethuelis) *Aramaei e Paddan Aram*; quod additur, ut intelligat lector, ad quod Syrorum, sive Aramaeorum, genus pertineret Bethuel. Aramaeam enim in plures partes dividunt scriptores Hebraei, ut אֲרַם דַּמֶּשֶׂק, אֲרַם נַהֲרַיִם (de qua vid. supra ad XXIV, 10.), אֲרַם צוֹבָה, et, quae hic commemoratur, פַּדַּן אֲרָם, „seu, ut Hos. XII, 13. Hebraice verso nomine vocatur, שְׂדֵה אֲרָם *campus Aramaeae.* Nempe Syris ܦܕܢ *aratrum,* inde Chaldaeis פַּדָּן et Arabibus فَدَّان *biga boum arantium*, hinc فدان et *ager*, ut in decima Sententiarum Grammaticae Erpenianae subjectarum; denique apud Syros ܦܕܢܐ non *ager* solum, verum et *desertum*, planities, montibus opposita. *Campos Mesopotamiae* Curtius dicere solet, e. c. L. III, 2. 3. Cap. 8, 1. L. IV, 9, 6. V, 1, 15.“ *J. D. Michaelis* in *Spicil. Geograph. Hebr. ext.* P. II. p. 119. Minus certum, quod illud peculiariter notare suspicatur planitiem circa Carrhas, clade Romanorum celebrem. *Ed. Pocockius* in *Comment. in Hoseam* Anglico sermone scripto ad Cap. XII. 13. p. 607. nomen פַּדַּן per metonymiam idem quod Latinis *jugerum* denotare existimat, id est, tantum agri spatium, quantum juncti boves uno die exarare possunt, et observat, Alkaraphium in suis in Lexicon Arabicum Camus annotationibus tradere, فَدَّان Aegyptiis dici *agrum CCCC perticarum mensurâ*, quarum singulae sex cubitos duasque trientes cubiti tenent. Addit tamen Pocockius, in Bar-Bahluli Lexico Syriaco tradi, ܦܕܢ ܐܪܡ *nomen esse oppidi*

vel pagi, et Saphoaddinum in Lexico Geographico docere, فدان esse *pagum tractus Charranis Mesopotamiae*, eundemque mentionem facere تل فدان (תֵּל פַּדָּן) *collis Phaddan*, qui in eodem agro Charranensi est situs, nomenque ab eo pago traxit. Sed magis est verisimile, nomen totius Mesopotamiae septentrionalis ei pago adhaesisse.

21. וַיֶּעְתַּר Hebraei fere *obnixe multis assiduisque precibus exoravit* interpretantur; inesse enim Verbo עָתַר *multitudinis* notionem, unde עֲתַר עָנָן sit *vis*, copia *nubis* vel *fumi*, Ezech. VIII, 11., et Prov. XXVII, 6. נַעְתָּרוֹת נְשִׁיקוֹת שׂוֹנֵא *densa*, conferta, et veluti oneri dicuntur *oscula osoris* atque Ezech. XXXV, 13. וְהַעְתַּרְתֶּם עָלַי דִּבְרֵיכֶם *multiplicastis in me verba vestra*, iis me onerastis. Sed animadversione est dignum, quod Isaacus hic dicitur orasse Jovam לְנֹכַח אִשְׁתּוֹ *coram uxore sua*, quum exspectares בַּעֲבוּר אִשְׁתּוֹ *propter uxorem suam*, sive עַל־אִשְׁתּוֹ *pro uxore sua*. Et ita quidem LXX. *περὶ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ.* Hieronymus: *pro uxore sua*. Syrus: ܡܛܠ ܐܢܬܬܗ *propter uxorem suam*. Pseudo-Jonathan: *et convertit Isaacus oratione sua mentem Dei Opt. Max.* מִמַּה דִּגְזַר עַל אִנְתְּתֵיהּ *ab eo quod decreverat de uxore sua*. Verum quum לְנֹכַח infra XXX, 38. *coram, e regione*, et Prov. V, 24. *antrorsum* denotet; nolim hoc solo loco voci illi significatum plane alienum tribuere. Onkelos accurate לָקֳבֵיל אִתְּתֵיהּ *coram uxore sua* vertit; nec aliter Saadias et Arabs Erpenii. Hebraei sic exponunt, Isaacum et Rebeccam simul orasse, ita ut quisque ex adverso alterum haberet sibi coram propositum, ut preces mutuo respectu ardentiores essent. Malim ad animum referre, quod oraret Isaacus mentis oculis uxorem respiciens, ejus respectu. Vel: toto pectore intentus in statum uxoris, ut significetur, orationem ardentem et intentam fuisse. *J. A. Danz* in *Interpr. Ebr. Chald.* p. 294. ed. Tymp. hunc locum sic verti posse putat: *oravit pro cohabitatione*, sive *utero*

uxoris suae, ex Arabico نَكَحَ *feminam iniit.* Prorsus aliene ab Hebraico vocis נָכַח usu, et sensu parum congruo.

22. וַיִּתְרֹצְצוּ הַבָּנִים בְּקִרְבָּהּ *Collidebant sese filii in medio*, in utero *ejus.* „Infantes omnes circa quintum mensem in utero materno moveri incipiunt, alii tamen aliis, prout vegetiores sunt, aut infirmiores, vehementius aut debilius. Credibile est, hosce gemellos praeter morem se commovisse, ut grave incommodum Rebeccae crearent. רָצַץ proprie est *concutere*, sed ex sequentibus conjugationem Hithpael *mutuam collisionem* ac veluti *conflictationem* significare liquet. Nec sane *concuti* poterant, quin colliderentur. LXX. ἐσκίρτων *subsiliebant* verterunt, quod est hoc in negotio proprium, vid. Luc. I, 44." *Cleric.* Simile aliquid, Grotio observante, narrat *Apollodorus Biblioth.* L. II. Cap. 2. §. 1. Ἀκρίσιος καὶ Προῖτος οὗτοι καὶ κατὰ γαστρὸς μὲν ἔτι ὄντες ἐστασίαζον πρὸς ἀλλήλους. *Acrisius et Proetus etiam in utero certabant invicem.* אִם־כֵּן לָמָּה זֶּה אָנֹכִי *Si ita, quare istud ego?* Concisa est, atque ideo paulo obscurior sententia. Aben-Esra ait, Rebeccam interrogasse mulieres, quae pepererint, num tale quicquam iis accidisset, quae quum id negassent, illam dixisse: אם כן הדבר והמנהג למה זה אנכי בהריון משונה *si ita res habet, atque ita usu venire solet, quare mihi gravidae mutata est conditio?* Sed melius placet Jarchi explanatio: אם כן גדול צער העבור למה זה אנכי מתאוה ומתפללת על הריון *Si tanta est graviditatis molestia, quare ego eam optavi, atque at conciperem oravi?* Similiter LXX. Εἰ οὕτω μοι μέλλει γίνεσθαι, ἵνα τί μοι τοῦτο. Et Hieronymus: *si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit me concipere?* Verbis וַתֵּלֶךְ לִדְרֹשׁ אֶת־יְהֹוָה *ivit ad quaerendum Jovam*, sunt qui simpliciter significari existiment, Rebeccam preces ad Numen fudisse, ejusque opem rogasse, quo sensu Verbum דָּרַשׁ per אֶת, sive per Accusativum personae constructum haud raro legitur; veluti Ps. XXXIV, 5. דָּרַשְׁתִּי אֶת־יְהֹוָה וְעָנָנִי *quae-*

sivi Jovam precibus, *et exaudivit me.* Et sic h. l. Pseudo-Jonathan: *perrexit ad domum Semi magni* לְמִבְעֵי רַחֲמִין מִן קֳדָם יְיָ *ad rogandum misericordias a Jova.* Verum לִדְרֹשׁ אֶת־יְהוָֹה hic potius *consulere Jovam*, frequentiori hujus phraseos usu, notare, ut in re dubia et animi anxietate Rebecca dicatur sciscitatum e Deo ivisse, quid haec tota res sibi vellet, manifeste ostendit Versus proximus. Recte igitur LXX. ἐπορεύθη δὲ πυθέσθαι παρὰ Κυρίου. Hieronymus: *perrexitque, ut consuleret Dominum.* Et sic reliqui veteres omnes. Qua vero ratione Rebecca consuluerit Jovam, aut quomodo id factum cogitarit scriptor, eo tacente nemo definiat. Varias de hac re sententias recensuit dijudicavitque *Jo. Andr. Schmid*, in Dissert., quae inscribitur: *Oraculum a Rebecca consultum*, Helmst. 1712., repetit. in *Thesauro novo theolog. philolog.* T. I. p. 188. seqq.

23. Responsio, quam Rebecca accipit, est, oraculorum more, poëtice expressa; nam observatur in ea et membrorum parallelismus, et rhythmus quidam, quo singuli στίχοι tria vocabula continent, excepto secundo, qui quatuor habet:

שְׁנֵי גוֹיִם בְּבִטְנֵךְ
וּשְׁנֵי לְאֻמִּים מִמֵּעַיִךְ יִפָּרֵדוּ
וּלְאֹם מִלְאֹם יֶאֱמָץ
וְרַב יַעֲבֹד צָעִיר׃

שְׁנֵי גוֹיִם *Duo populi*, i. e. duorum populorum patres et conditores. Hinc Israelitae et Idumaei patrum nomine appellantur, cum alibi passim, tum Malach. I, 3. *Amavi Jacobum, Esavum odio habui.* Quod in textu scribitur גיים, in margine גּוֹיִם, indicio est, in aliis codicibus fuisse גֹּיִם, Cholem defective, in aliis גִּיִּם, Chirek longo defective, scriptum. Cf. *Hiller de arcano Kethib et Keri* p. 252. Sed Hebraeorum nonnulli τὸ כתיב volunt גֵּיִים, pro גֵּאִים, *viros excellentes*, efferri, quod defendendum sibi sumsit *Oth. Verbrugge* in peculiari de hac voce Dissertatione, quae prodiit Groningae, 1731., et repetita est in *Collect. opuscull. histor. philol. theolog.* a Jo. Oel-

richs editor., T. I. p. 1 seqq. Verum recte *G. E. Edzard* in Notis ad *Tractat. Talmud. Abodah-sarah* a se edit. Cap. I. p. 261. monuit, quod גֵּיִים efferre velint, esse merum Gemaristarum lusum, qualis ille, quod 1 Reg. XIV, 9. pro גַּוֶּךָ *tergum tuum* praecipiunt גֵּאֵיךְ *superbire te* legere. וּשְׁנֵי לְאֻמִּים מִמֵּעַיִךְ יִפָּרֵדוּ *Et duae nationes e visceribus tuis dividentur*, i. e. prodibunt ita, ut perpetuo separati sint futuri, et inter se dissidentes. Quasi dicat: sunt in utero tuo gemelli, duarum capita gentium sibi invicem futurarum inimicissimarum. וּלְאֹם מִלְאֹם יֶאֱמָץ *Et natio natione valentior erit*, quod Onkelos reddit: מַלְכוּ מִמַּלְכוּ יִתְקַף *regnum regno validius erit.* Jarchi: אין לאם אלא מלכות *nomen* לְאֹם *ubique regni notionem obtinet.* Ceterum observa, ל in מִלְאֹם hic praeter morem Dagesch forti carere, quod ad supplendum ן Praepositionis מִן illi impositum esse deberet. Uter vero gemellorum utro valentior sit futurus, postremis Versus verbis declarat: וְרַב יַעֲבֹד צָעִיר *et major serviet minori*, non Esavus Jacobo, uti quidem volunt, qui Esavi servitutem in eo positam opinantur, quod primogeniturae jus fratri natu minori vendidit (quos refutavit *Deyling* in *Observatt. SS.* T. I. Obs. XII. p. 53. seqq.), sed de posteris, seu populis utroque oriundis verba esse intelligenda, docent, quae praecedunt. רַב Clericus *opulentum* intelligit, et רַב atque צָעִיר nonnisi de opibus dici contendit, et praevaluisse opibus Idumaeos Israelitis. Sed רַבִּים Job. XXXII, 9. esse *grandaevos* non erit dubium locum inspicienti, et צָעִיר infra XLIII, 33. aperte *minorem natu* designat; cf. et Job. XXX, 1. Oraculum hoc fere eo referunt, quod Idumaei a Davide subacti sunt, ut 2 Sam. VIII, 14. dicitur: *Idumaeae praefectos imposuit, et quidem toti, omnisque Idumaea Davidi serviit.* Sed instabile et brevi transiens erat Judaeorum in Idumaeos imperium; jam enim sub Salomone Hadadum, e prole regia Idumaeorum, regnum patrium recuperasse legimus 1 Reg. XI, 15—22., et postea saepius bella Idumaeos inter et Judaeos memorantur; vid. 2 Reg. VIII,

21. XIV, 22. 2 Paral. XXI. XXVI, 2. Ceterum reges habuerunt et in proprio solo diu fuerunt Idumaei antequam Israelitae ex Aegypto exirent, et rempublicam suam formare possent. Vid. infra Cap. XXXVI. Pro mytho totam hanc narrationem habet *de Wette Kritik der Israelit. Gesch.* p. 118.

24. Ad verba וַיִּמְלְאוּ יָמֶיהָ לָלֶדֶת *cum impleti essent dies ejus pariendi.* notat Jarchi, infra XXXVIII, 27. de Thamare dici וַיְהִי בְּעֵת לִדְתָּהּ *factum est quando peperit,* quoniam non expletum erat tempus ejus pariendi; peperit enim gemellos septimo mense. תוֹמִים *gemelli* defective est scriptum pro תְּאוֹמִים, ut 1 Sam. I, 17. שֵׁלָתֵךְ pro שְׁאֵלָתֵךְ.

25. אַדְמוֹנִי *Rubicundus* praeter hunc locum bis tantum, 1 Sam. XVI, 12. et XVII, 42. legitur, et utroque quidem hoc loco de Davide, in laudem pulchrae ejus formae. Hic vero vix dubium esse vituperio, uti et Jarchi observat, rufum colorem indicio fuisse, eum sanguinolentum (שופך דמים) futurum. כֻּלּוֹ כְּאַדֶּרֶת שֵׂעָר LXX. vertunt ὅλος, ὡσεὶ δορὰ δασύς et Hieronymus: *totus, in morem pellis, hispidus.* Quibus consentit Aben-Esra, qui שֵׂעָר jungi vult non cum אַדֶּרֶת sed cum כֻּלּוֹ, *totus ipse* erat *pilus*, pilosus *ut pallium*, s. chlamys, quae villosa erat; quod et Jarchius videtur velle, qui exponit: *instar pallii lanei, quod plenum est villis, Gallice floquere* (hodie *flocon de poil, floquers*) *dictis.* Sed alii כְּאַדֶּרֶת שֵׂעָר in statu regiminis capiunt, ut Onkelos: כֻּלֵּיהּ כִּגְלִים דִּשְׂעַר *totus* ille erat *instar pallii villosi.* Ita et Zach. XIII, 4. falsi prophetae induti dicuntur אַדֶּרֶת שֵׂעָר *palliis villosis.* Quod LXX. אַדֶּרֶת δορὰν *pellem* verterunt, videntur, proprio vocis significatu insuper habito, morem Arabum ante oculos habuisse, qui pellibus villosis vestiri solent. *Thevenot Itin. Orient.* P. I. L. 2. Cap. 32. quosdam inter Arabes narrat gestare pelles ovinas una consutas, quarum lanam introrsum in indusium convertant, ut calefiant, extrorsum vero iterum vertant, ut frigus captent. Nomen

עֵשָׂו Hebraei ad Verbum עָשָׂה referentes interpretantur *factum*, quod ex utero veluti factus et quasi jam adultus vir prodiisset, aeque hispidus aut magis, quam homo viginti aut triginta annorum. Sed vera nominis explicatio petenda est ex Arabico عَثَا (pro عَثَوَ) *pilositas*, unde أَعْثَى *pilosus*.

26. וְאַחֲרֵי־כֵן יָצָא אָחִיו וְיָדוֹ אֹחֶזֶת בַּעֲקֵב עֵשָׂו *Postea vero eriit frater ejus, et manus ejus tenebat calcaneum Esavi.* Foetum vero quum constet non ita ex materno utero exire manu praecedente, sed capite, et alioqui id in discrimen vitae et matrem et foetum adduxisset, hunc nodum interpretes nonnulli hoc modo solvere tentarunt, ut conjicerent, cum jam paene totus exiisset Esavus, deprehensum ab obstetrice fuisse Jacobum tenentem fratris calcaneum, velut eum remoraturus; quod quum conspexisset obstetrix, manum ei reduxisse in uterum matris, ut postea debito modo exiret primo capite. De qua re judicium esto penes artis obstetriciae peritos. וַיִּקְרָא שְׁמוֹ יַעֲקֹב *Et vocavit*, scil. קֹרֵא *vocans*, i. e. vocabatur (in cod. Samarit. est וַיִּקְרְאוּ ut Vs. 25.) *nomen ejus Jaacob.* A nomine עָקֵב *calcaneus* fit Verbum עָקַב, *arripere* aut *percutere calcaneum* alicujus ut cadat, unde in Futuro יַעֲקֹב *arrepto aut percusso calcaneo in terram dejiciet.* Quod est inter luctatorum artes, quibus excelluit Jacobus, vid. infra XXXII, 25. seqq. Additur, Isaacum fuisse sexagenarium בְּלֶדֶת אֹתָם *cum pareret eos*, scil. uxor Rebecca. Ita LXX. ὅτε ἐγέννησεν αὐτοὺς Ῥεβέκκα, et Onkelos: כַּד־יְלֵידַת יַתְהוֹן *cum pareret ea* (Verbum enim est femininum) *illos.* Quum tamen Rebecca in toto hoc Versu non commemoretur, sunt qui verba בְּלֶדֶת אֹתָם vertant: *cum gigneret eos*, quum יָלַד et de patre dicatur, ut supra IV, 18. X, 8. 13.

27. וַיִּגְדְּלוּ הַנְּעָרִים וַיְהִי עֵשָׂו אִישׁ יֹדֵעַ צַיִד *Cum autem adolevissent pueri, factus est Esavus vir sciens venationem*, venandi peritus, quo Jarchi et Aben-Esra putant, innui eum fuisse dolosum, quod ferae

plerumque dolo capi solent. Pro יֹדֵעַ צַיִד Onkelos posuit בַּחְשִׁרְכָן, quam vocem *Buxtorf* in *Lex. Chald.* p. 1330. male *otiosum* interpretatur, compositam ratus ex נָח *tranquillus* et שִׁרְכָן *otiosus*, quum manifeste sit Persicum نخچیرکن *nakdschirkon*, quod *venatorem* significat, compositum quippe e نخچیر *venatio*, *fera*, *praeda*, et کن, quod in dictionibus compositis pro کننده, Participio Verbi کردن *facere*, usurpatur, ut igitur vox Persica proprie *venationem exercentem*, vel *venationis praedam facientem* denotet. Vocatur Esavus porro אִישׁ שָׂדֶה *vir campi*, quo cave intelligas *agricolam*, uti vertit Hieronymus, nam ille dicitur אִישׁ הָאֲדָמָה vid. supra IX, 20. Rectius LXX. ἀγροικὸς, et Onkelos נָפֵק חַקְלָא *exiens in agrum*, i. e. per agros vagari amans venandi causa. Contra Jacobus erat אִישׁ תָּם *vir integer*, i. e. mitis, placidis moribus, ἥμελος, ut eum Philo appellat *de praemiis et poenis* T. II. p. 419. ed. Mang.; opponitur enim Esavi inquieto et efferato animo. LXX. ἄπλαστος *a fraude alienus*, et Hieronymus *simplex* verterunt, Jacobi indoli minus convenienter. יֹשֵׁב אֹהָלִים *Incola tabernaculorum*, i. e. amans domi residere, vitam amans domesticam et tranquillam, non agrestem, ut Esavus, qui propterea אִישׁ שָׂדֶה appellatus. Aben-Esra nomine אֹהָלִים *tabernacula pastoritia* intelligit, ut supra IV, 20., ut significetur, Jacobum vitam sub tabernaculis egisse pastoritiam, eamque tranquilliorem. Alii Hebraeorum אֹהָלִים hic esse volunt scholas, in quibus pietatis doctrina traderetur, quas frequentarit Jacobus. Ita Onkelos: מְשַׁמֵּשׁ בֵּית־אוּלְפָנָא *minister erat domus doctrinae*.

28. Isaacus amavit Esavum כִּי־צַיִד בְּפִיו *quia venatio in ore ejus*, i. e., ut Onkelos vertit, אֲרֵי מִצֵּידֵיהּ הֲוָה אָכֵיל *quia de venatione ejus comedit*, et Hieronymus: *eo quod de venationibus illius vesceretur*. LXX. ὅτι ἡ θήρα αὐτοῦ βρῶσις αὐτῷ. Recte ad צַיִד, perspicuitatis cau-

sa, addiderunt tertiae personae suffixum, quod in codice Samaritano expressum est (צידו). haud raro tamen omittitur, ut supra XXIV, 30. וַיְהִי כִּרְאֹת אֶת־הַנֶּזֶם *factum est, cum videret ille* (כִּרְאֹתוֹ) *annulum*; ita et ibid. Vs. 62. מִבּוֹא est pro מִבּאֹו positum. Nostro enim loco dicitur, fuisse *venationem Esavi*, i. e. quod is in venatu cepisset, *in ore Isaaci*, ei allatum ad comedendum.

29. וַיָּזֶד יַעֲקֹב נָזִיד *Coxit autem* quondam *Jacobus coctum*, i. e. ἕψημα, *pulmentum*, uti LXX. et Hieronymus vertunt. נָזִיד 2 Reg. IV, 38. seqq. de herbarum jusculo dicitur. Hinc ad finem Capitis exponitur, qua occasione acciderit, ut Esavus primogenituram suam vendiderit Jacobo.

30. In exponendo הַלְעִיטֵנִי non plane consentiunt, quum Verbum לָעַט nusquam alias in V. T. occurrat. LXX. γεῦσόν με, et Onkelos אַטְעֵימְנִי *gustandum mihi praebe* verterunt; quod homini famelico satis non est. Jarchi observat, in Talmude הַלְעִיט significare *affatim ingerere cibum*, et quidem *manu in os*, adducto loco e Tractatu *Schabbath* fol. 155. b. אין אובסין את הגמל אלא מלעיטין אותו *non saginant camelum* inclusum videlicet in saginariis, quae מַרְבְּקִים vocant, *sed manu ei in os ingerunt cibum*. Hinc exponunt hoc loco: ingurgita me et opple. Utut sit, contextus docet, significare vocem hebraeam *affatim cibare*, quacunque tandem ratione fiat. Forsan cognatum est Arabicum لَعْظَمَ *avide voravit*, et لُعْمُظٌ *avidus, gulosus*; nec non لَعْذَمَ in Conj. II. idem quod أَكَلَ *comedit*. מִן־הָאָדֹם הָאָדֹם הַזֶּה *De ruso, ruso hoc*, cibo videlicet. Lentes intelligit (cf. Vs. 34.), quarum cortices sunt rubri, et cum iis coqui lentes tradunt Talmudici; vid. Tractatum *Schabbath* Cap. VII. §. 4. Hinc Crates apud Diogenem Laërtium L. VII. Cap. 1 §. 3. lenticulae pulmentum appellat φοινικίδιον *punicedum*. Quod autem omisso substantivo geminat adjectivum אָדֹם, homi-

nis est avide in cibum inhiantis, cui prae cupiditate non succurrebat cibi nomen. כִּי עָיֵף אָנֹכִי *Nam fessus sum ego.* Ut lassitudinem, sic et famem contraxerat longa venatione Esavus. Itaque haec sunt conjungenda. Sic et Jesaj. XXIX, 8. עָיֵף *sitientem* notat, quia lassitudo et sitis per Orientem iter facientibus saepissime simul infestae propter aquae inopiam. Cf. et Ps. LXIII, 2. Ad קָרָא subaudiendum est הַקֹּרֵא *vocans*, i. e. vocatur, impersonali loquendi modo saepius notata.

31. מִכְרָה כַיּוֹם אֶת־בְּכֹרָתְךָ לִי. *Vende mihi statim jus tuum primogeniti.* כַּיּוֹם, proprie *sicut hic dies*, Jarchi exponit ita: כיום שהוא ברור כך מכור לי מכירה ברורה *juxta hunc diem, qui clarus est, sic tu clara venditione mihi vendas*, tam pure et liquide, quam perspicuus est et clarus dies, mihi vende jus tuum primogeniti. Rectius tamen, uti videtur, alii interpretantur מִיָּד *statim, e vestigio*, quasi dicas: *juxta hunc diem*, jamjam in praesenti tempore, sine ulla mora. Ita LXX. *σήμερον*. Vulgatus plane omisit. Eodem significatu כַּיּוֹם legitur 1 Sam. IX, 13. 27. Ceterum jus primogeniti situm erat tum in dignitate aliqua prae reliquis fratribus, vid. infra XLIX, 4., tum et in duplici paternarum facultatum portione, vid. Deut. XXI, 17. Hebraei addunt jus sacerdotii, quod antiquissimis temporibus in singulis familiis ad primogenitos pertinuerit. Quam sententiam examinavit refellitque *Vitringa* in *Observatt. SS.* P. I. L. II. Cap. 2. Vid. et *J. D. Michaelis Mosaisch. Recht*, P. II. §. 84.

32. הִנֵּה אָנֹכִי הוֹלֵךְ לָמוּת *En! ego vado ad moriendum*, plane ut Gallicum *je m'en vai mourir*, i. e. brevi moriturus sum. Respicit Esavus pericula, quae sibi assidue venanti imminebant a feris, aut aliis casibus.

34. Ad verba וַיִּבֶז עֵשָׂו אֶת־הַבְּכֹרָה *et sprevit Esavus jus primogeniti* ait Jarchi, notari illis Esavi impietatem, שביזה עבודתו של מקום *quod contemserit cultum Dei.* Quod nititur opinione Hebraeis recepta, primogenitos fuisse sacerdotes et sacrorum ministros; vid. not. ad Vs. 31.

In hanc sententiam Targum Hierosolymitanum: *Abiit et contemsit Esavus jus primogeniti, et flocci pendit partem futuri seculi, negavitque resurrectionem mortuorum.* Unde et Hebr. XII, 16. Esavus hoc nomine, quod tam vili vendidit jus primogeniti, vocatur βέβηλος, *profanus.*

2. *De iis quae Isaaco et Rebeccae Gerarae versantibus acciderint. Cap. XXVI, 1—33.*

Cap. XXVI, 1. De fame illa priori, quae Abrahami temporibus oborta est, vid. supra XII, 10. seqq. Qui hic commemoratur Abimelechus videtur fuisse filius ejus cum quo Abrahamus foedus pepigerat. Fuit enim *Abimelech* commune regum Palaestinae nomen, ut Aegypti regum nomen *Pharao,* unde et Davidis tempore quidam Abimelech memoratur Ps. XXXIV, 1., ad quem loc. vid. not. De *Gerara,* Palaestinorum tunc metropoli, vid. supra ad XXI. 1.

2. אַל־תֵּרֵד מִצְרָיְמָה *Noli in Aegyptum descendere.* Videtur Isaaci consilium fuisse, in Aegyptum abire, sicuti Abrahamus Cap. XII, 10. propter famem in Palaestina obortam fecerat. Nam si in aliis regionibus fortasse ob pluviarum penuriam annonae caritas oritur, in Aegypto nulla est, quia haec terra non pluviis, sed Nili exundatione irrigatur.

4. Vid. not. ad Cap. XII, 3.

5. וַיִּשְׁמֹר מִשְׁמַרְתִּי *Et* propterea quod (עֵקֶב אֲשֶׁר) *custodivit custodiam meam,* s. *observavit observantiam.* Quod Hebraeorum quidam specialiter intelligunt, quod vitarit ea, quae vitanda praecepit Deus, ut ad praecepta negativa referatur, et ea quae cavenda sint. Sed vix dubium generalius esse pro totius disciplinae et voluntatis divinae observantia. Ea statim in tres partes distribuitur, מִצְוֹת *praecepta,* חֻקּוֹת *statuta,* et תּוֹרֹת *leges.* Quae dictiones junctim usurpatae, quum in posterioribus Pentateuchi libris, potissimum in Deuteronomio, frequenter tanquam solennis quaedam formula de legibus ritibusque in

illis libris perscriptis reperiantur; *de Wette* in *der Kritik der Israelit. Gesch.* p. 123. hic argumentum serioris, quo haec narratio consignata sit, temporis deprehendere sibi visus est. Contra iis qui reliquos Pentateuchi libros rationibus, quas in Prolegomenis §. II. attulimus, Mosi auctori tribuunt, illa formula et hic adhibita argumento erit, primum hunc librum ejusdem ac reliquos quatuor libros scriptoris esse. Cum ergo hic Moses de Abrahamo loquutus legis in suas partes distributione sibi familiari utitur, significat, illum absolutissime Dei voluntati paruisse, et per omnia morigerum fuisse.

8. וַיַּרְא וְהִנֵּה יִצְחָק מְצַחֵק אֵת רִבְקָה אִשְׁתּוֹ *Viditque Isaacum ludentem cum Rebecca, uxore sua.* Hebraei fere his verbis usum conjugii εὐσχημόνως innui volunt, quod tamen non admittit verbi צָחַק usus. Videtur liberior contrectatio significari, quali frater erga sororem non utitur.

10. וְהֵבֵאתָ עָלֵינוּ אָשָׁם *Et adduxisses super nos delictum,* reatum, gravi nos culpa et delicto obstrinxisses. Eadem phrasi supra XX, 9. erga Abrahamum utitur Abimelechus, nisi quod ibi est חֲטָאָה, quod tamen eodem recidit.

12. וַיִּמְצָא בַּשָּׁנָה הַהִוא מֵאָה שְׁעָרִים *Et invenit anno illo,* quo sementem fecit, *centum mensuras,* pro una mensura, quam seminaverat, percepit centum mensuras, id est, fruges cum centesimo. Onkelos: עַל-חַד-מְאָה בִּדְשַׁעֲרוֹהִי *pro uno* (modio) *centum in mensuris suis.* שְׁעָרִים, proprie *aestimationes,* in universum *mensuras* significat, non modios, aut aliud certum mensurae genus, centum coros pro uno, centum modios pro uno. Idem voluerunt LXX., nisi quod pro mensuris quibusvis *hordeum* posuerunt: ἑκατοστεύουσαν κριθήν, *centuplicatum hordeum.* Pro שְׁעָרִים legerunt שְׂעֹרִים, consentiente Syro, et probante *J. D. Michaele Biblioth. Orient.* P. IX. p. 193., quod, teste Niebuhr (*Beschreib. von Arabien* p. 152.), nigrum inprimis hordeum cum multiplici foenore redditur.

13. וַיִּגְדַּל הָאִישׁ וַיֵּלֶךְ הָלוֹךְ וְגָדֵל *Crevitque vir ille*, magnus evasit, *et ivit eundo et crescendo*, magis magisque indies opibus crevit. De usu Verbi הָלַךְ in ejusmodi phrasibus vid. not. supra ad VIII, 3.

14. עֲבֻדָּה רַבָּה Hieronymus recte vertit *plurimum familiae*; cf. not. ad Job. I, 3.

15. וְכָל־הַבְּאֵרֹת אֲשֶׁר חָפְרוּ עַבְדֵי אָבִיו *Omnesque puteos quos foderunt servi patris ejus.* Cum in Gerarensi agro tenderet Abrahamus, fodi ab eo puteos necesse fuit, quorum unus memoratur supra XXI, 30. De puteis illarum regionum vid. not. ad XXI, 19. Ad verba סִתְּמוּם פְּלִשְׁתִּים *obturarunt eos Philisthaei*, notat Jarchi, id fecisse Palaestinos, ne cuiquam essent offendiculo isti putei, praesertim copiis militaribus eos aggredientibus, neque hoc cohaerere putat cum fine Versus praecedentis, et ex eo pendere, quod ex invidia in Isaacum puteos obstruxerint, sed esse παρασκευὴν ad ea, quae deinceps dicentur de refossis ab Isaaco puteis, ut igitur סִתְּמוּם vertendum esset per Plusquamperfectum *obstruxerant.* Verum contextus suadet, Philisthaeos in Isaacum, tanto rerum successu in terra ipsorum auctum et locupletatum, èa invidia et odio flagrasse, ut omni eum aquarum usu privare sint conati. וַיְמַלְאוּם עָפָר *Et repleruni eos pulvere*, ne latentis venae ulla essent vestigia, quod in ejusmodi puteis facile fuit. De more, puteos odio obstruendi nec hodie in Oriente abolito vid. *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 83. p. 119.

16. לֵךְ מֵעִמָּנוּ כִּי־עָצַמְתָּ מִמֶּנּוּ מְאֹד *Discede a nobis, quia longe potentior nobis evasisti*, suspecta nobis est ista potentia, qua ex re satis tenui ita repente apud nos excrevisti. Verebantur, ne ita potens tandem evaderet, ut totam sibi regionem occuparet.

17. וַיִּחַן בְּנַחַל־גְּרָר *Et castra metatus est in valle Gerar*, procul videlicet ab urbe, uti notat Jarchi, ut rixas Gerarensium vitaret, nec cujusquam expositus esset invidiae. נַחַל et *torrentem* significat, et *convallem*, seu

locum per quem torrens manare solitus est, sive fluat, sive fluere desierit. Hujusmodi loca sterilia esse solent, quod omnia inundat torrens. Videtur convallis Gerarensis non sub regis ditione, sed liberum pascuum fuisse.

18. וַיָּשָׁב יִצְחָק וַיַּחְפֹּר אֶת־בְּאֵרֹת הַמַּיִם *Rediitque Isaacus et fodit*, i. e. rursus fodit, refodit (ne intelligas eum Gerarum rediisse) *puteos aquarum*, אֲשֶׁר חָפְרוּ בִּימֵי אַבְרָהָם *quos foderant diebus Abrahami*, scilicet servi ejus, (cf. Vs. 16.), non Philisthaei; nec indefinite et impersonaliter sumendum est, i. e. qui effossi fuerant. Et in textu quidem Samaritano pro בִּימֵי exstat עַבְדֵי, quod et LXX. et Vulgatus expriniunt. Lectio planior, modo vetus sit. Syrus: *quos foderant servi patris sui in diebus Abrahami, patris sui.* Jarchi vult hos puteos eosdem esse cum iis, qui paulo ante Vs. 15. sunt commemorati. Sed alii duplices putant fuisse puteos, diversis locis ab Abrahamo suo tempore effossos. Ceterum Isaacus eo, quod puteis illis eadem nomina imposuit, quae Abrahamus eis olim dederat, uti in reliqua hujus Versus parte dicitur, et jus suum in illos ostendere, et patris memoriam servare voluit, quia in illis regionibus siccis et aqua carentibus fontes maximi aestimantur, eorumque nomina ut perpetua monumenta etiam inventorum memoriam servant.

19. וַיִּמְצְאוּ־שָׁם בְּאֵר מַיִם חַיִּים *Invenerunt ibi puteum aquarum viventium*, i. e. scaturientium sponte sua jugiter, aquam perennem, quae opponitur aquae pluviarum in cisternis, qua regionum illarum incolae ob fontium penuriam multum utuntur; hinc non mirum videri potest, Gerarenses pastores invidia accensos esse contra Isaaci pastores, et eos illinc depellere voluisse.

20. Pro עֵשֶׂק et הִתְעַשְּׂקוּ LXX. עֵשֶׁק et הִתְעַשְּׁקוּ (cum *Schin*) legerunt, vertunt enim, *καὶ ἐκάλεσαν τὸ ὄνομα τοῦ Φρέατος Ἀδικία· ἠδίκησαν γὰρ αὐτόν.* Sequitur eos Vulgatus, qui *calumniam* reddidit. Sed עֵשֶׂק et verbum הִתְעַשֵּׂק, hoc dumtaxat loco obvia, Chaldaeis magis usita-

ta, qui illa per ס scribunt, uti et hic tres paraphrastae Chaldaei habent עֲסַק et אִתְעֲסַקוּ, proprie *occupationem* et *occupatum esse* denotat, quia occupati fuerant, i. e. jurgati cum eo putei causa, quod de eo ipsi negotium exhibuissent. Sic etiam Arabs uterque et Josephus עֵשֶׂק intellexerunt. Hic enim (*Antiqq.* L. I. c. 18. 2.) dicit: Τῶν δὲ προτέρων τὸ μὲν Ἔσκον καλεῖται, μάχης ἄν τις αὐτὸ φήσειε· *E prioribus* (scil. puteis) *unum Escon vocatur, ac si quis diceret pugnae puteum.*

22. וַיַּעְתֵּק מִשָּׁם *Et transtulit illinc* scil. אָהֳלוֹ *tentorium suum*, ut supra XII, 8. Vocavit hunc puteum רְחֹבוֹת *latitudines*, quia ei non amplius lis movebatur a Geraensibus, sed tranquille uti potuit puteo a se effosso. Hebraei enim ut res adversas *angustias* vocant, ita secundiores *dilatandi* verbis describunt. הִרְחִיב יְהֹוָה לָנוּ *Dilatavit Jova nobis*, quia ex angustiis, in quas aquae penuria erant adducti, eos explicuerat. וּפָרִינוּ בָאָרֶץ *Et crescimus in terra.* „Pro certa pernicie pecoris et hominum, si aqua prorsus defecisset, potuit sperare Isaacus, inventis copiosis aquae laticibus, et familiam sibi et greges auctum iri.“ *Cleric.*

23. וַיַּעַל מִשָּׁם בְּאֵר שָׁבַע *Ascenditque inde Beersabam*, ubi pater per aliquod tempus degerat; vid. supra XXI, 31.

24. בַּלַּיְלָה הַהוּא *Ea nocte*, qua scilicet Beersabam advenerat; Vs. 23. אָנֹכִי אֱלֹהֵי אַבְרָהָם אָבִיךָ *Ego sum Deus Abrahami patris tui.* Quo non tantum indicat, se ab Abrahamo, dum viveret, fuisse cultum, sed significat potissimum, uti verba, quae protinus sequuntur, ostendunt, se eum esse Deum, qui, uti Abrahamum amplissimis beneficiis cumulasset, ita et ejus filium contra adversarios sit defensurus, et novis muneribus sit donaturus.

25. וַיִּקְרָא בְּשֵׁם יְהֹוָה *Et invocavit nomen Jovae*, i. e. in altari exstructo sacra fecit, et cum omni familia, invocato palam Deo, diem celebravit; cf. supra XII, 7. 8. XIII, 4. 18. — וַיִּכְרוּ־שָׁם עַבְדֵי־יִצְחָק בְּאֵר *Et foderunt ibi*

servi Isaaci puteum, novum, uti videtur, etsi alii eundem putent, qui jam tempore Abrahami fossus fuerat, sed a Philisthaeis obturatus.

26. וַאֲחֻזַּת מֵרֵעֵהוּ LXX. reddunt *καὶ Ὀχοζάθ ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ*, prius nominum Hebraeorum pro viri proprio habentes, consentientibus Vulgato, Syro et Saadia. At Onkelos: וְסִיעַת מֵרַחֲמוֹהִי *et comitatus ex amicis ejus*, quod sequutus Arabs Erpenii vertit: وَطَايِفَةٌ مِنْ أَصْحَابِهِ *et caterva ex sociis ejus.* Ita et Hieronymus in *Quaestt.* ad h. l.: „Pro *Ochozath pronubo* in Hebraeo habet: *collegium amicorum ejus*, ut non tam hominem significet, quam amicorum turbam, quae cum rege venerat, in quibus fuit et Phicol, princeps exercitus ejus.“ Jarchi quoque אֲחֻזַּת exponit קביצה ואגודה שנאחזין יחד *congregationem et coetum una junctorum.* Nec obstare Onkelosi interpretationi observat formam regiminis, quum Praepositiones, qualis hic מֵ ante רֵעֵהוּ non impediant semper constructionem, veluti Ps. LX, 13. עֶזְרָת מִצָּר *auxilium ex angustia*, et Jesaj. LI, 21. שְׁכֻרַת וְלֹא *ebria, sed non ex vino.* Quum tamen אֲחֻזָּה nec alio V. T. loco *congregationis* significatum obtineat, nec is dialectis cognatis firmetur, praestat, cum vetustissimo Graeco interprete pro nomine proprio habere. Masora quoque, Kimchio, in Lexico, referente, notat ל׳ שום בר נש *non esse alio loco*, praeter hunc, *nomen homini proprium.* Terminatio ת- vero dialecto illarum regionum tribuenda videtur, ut *Simonis* observat, *Onomast.* p. 40., ut גָּלְיַת, quod ipsum est Philisthaeum nomen, atque אֵילַת et גְּנֻבַת, quae sunt Edomitica. מֵרֵעַ et alias, ut Jud. XIV, 20. XV, 6., *amicum, socium*, ut רֵעַ, denotat. Quid LXX. moverit, ut *νυμφαγωγον* verterint, non liquet. Clericus conjicit, notari putasse illos eum, qui duceret ad Abimelechum רֵעָה *sociam, amicam.* פִּיכֹל שַׂר־צְבָאוֹ *Pichol dux exercitus ejus* memoratur et supra XXI, 22. 32.

Non est improbabilis quorundam conjectura, fuisse פִּיכֹל, quod *os*, i. e. interpretem (cf. Exod. IV, 16.) *omnium* designat, i. e. qui omnium causam apud regem agit, non tam proprium viri, quam *dignitatis* et *officii* nomen, quale אֲבִימֶלֶךְ, nomen regum ejusdem gentis.

28. רָאוֹ רָאִינוּ כִּי־הָיָה יְהוָֹה עִמָּךְ *Videndo vidimus*, i. e. certo deprehendimus et perspeximus, *esse Jovam tecum*, quod ipsum et supra XXI, 22. de Abrahamo confessi sunt. Nomine יְהוָֹה Abimelechum, qui hic loquens inducitur, uti non potuisse, vix est, quod moneamus; sed verborum ejus sensum suo stylo expressit Moses, et quia nomine Jova dictus postea est Isaaci Deus, nulla temporum ratione habita ita loquentem induxit Abimelechum. Ita et Laban supra XXIV, 31. ita loquens inducitur, quasi nomine יְהוָֹה usus esset. וַנֹּאמֶר *Et diximus*, i. e. consilium iniimus feriendi tecum foederis. תְּהִי נָא אָלָה *Sit, quaeso, jusjurandum*, proprie: *exsecratio* (ut supra XXIV, 41.), quod jusjurandum cum exsecratione conjunctum esse solet, qua se devovent, qui jurant, ni fecerint, quae stipulati sint. בֵּינוֹתֵינוּ בֵּינֵינוּ וּבֵינֶךָ *Inter nos, nos*, inquam, *inter et te*. Prius, בֵּינוֹתֵינוּ intellige, ut utramque contrahentium partem complectatur, regem cum suis una ex parte et ex altera Isaacum; posterius, בֵּינֵינוּ, ad regem tantum et suorum partem est referendum. Sed Hebraei post Onkelosum, qui pro בֵּינוֹתֵינוּ posuit דַּהֲוָה־בֵּין־אֲבָהָתָנָא *quod fuit inter patres nostros*, argutius exponunt: foedus, quod inter patres nostros initum est, intercedat et inter nos et te.

29. אִם־תַּעֲשֵׂה עִמָּנוּ רָעָה *Si feceris nobiscum malum*, i. e. te non facturum nobis mali quidquam; vid. de hac formula in jurejurando solemni supra ad XXI. 23. — כַּאֲשֶׁר לֹא נְגַעֲנוּךָ *Sicut te non attigimus*; ut noceremus, i. e. te non laesimus (quomodo Verbum נָגַע supra Vs. 11. usurpatum), quod tamen rixae de puteis usque adeo verum non fuisse satis ostendunt. Attamen non videntur ultra verba Gerarenses pastores quicquam inhumani in

Isaaci servos designasse. Postrema Versus verba, אַתָּה עַתָּה בְּרוּךְ יְהוָה *tu nunc benedictus Jovae* alii nudum vocandi Casum putant, ut supra XXIV, 31., alii adjuncta ad emerendam Isaaci gratiam. Sed causam potius videntur continere, quae ipsos impulerit, ut ad illum foederis secum ineundi ergo venerint. Agnoscimus, inquiunt, te, licet a nobis pulsum, Deum sicut ab initio, cum inter nos eras, favore suo prosequi, hinc nos tecum foedere jungi cupimus.

30. וַיַּעַשׂ לָהֶם מִשְׁתֶּה *Fecit ergo iis convivium.* Moris fuisse apud Hebraeos, in foederibus simul convivia agitare, ad ea utrinque firmanda, colligitur tam ex hoc ipso loco, quam ex iis, quae infra XXXI, 54. et 2 Sam. III, 20. 21. legimus. Ejus moris vestigia in aliis etiam gentibus invenisse sibi videtur *Stuckius Antiquitt. convivall.* L. I. Cap. 40.

31. וַיַּשְׁכִּמוּ בַבֹּקֶר וַיִּשָּׁבְעוּ אִישׁ לְאָחִיו *Cum mane surrexissent* utrique, *jurarunt sibi invicem,* confirmantes scilicet in discessu foedus pridie factum; vel, ut alii volunt, foederis conceptionem in diem posterum dilatarunt.

32. Pro וַיֹּאמְרוּ לוֹ מָצָאנוּ מָיִם *dixerunt ei: invenimus aquam,* LXX. habent: καὶ εἶπαν· οὐχ εὕρομεν ὕδωρ. Pro לוֹ legerunt לֹא, sententia id mire improbante; quo modo enim puteum nominassent aqua carentem?

33. וַיִּקְרָא אֹתָהּ שִׁבְעָה *Vocavitque eum,* puteum, *Schibah,* quod proprie *septem* notare constat, hic *jurisjurandi* significatum videtur obtinere, quasi idem sit quod שְׁבֻעָה, quomodo supra XXI, 31. et שֶׁבַע capitur, ad quem loc. cf. not. Recte ergo LXX. hic ὅρκον verterunt, immerito eos reprehendente Hieronymo, qui שִׂבְעָה *saturitas* legit. Ita enim ille in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l.: „Licet supra [XXI, 31.] ex verbo *juramenti,* sive ex *septenario* ovium numero, quod *Sabee* dicitur, asseruimus *Beersabee* appellatum; tamen nunc ex eo quod aqua inventa est, Isaac ad nomen civitatis alludens, de-

clinavit paululum literam, et pro stridulo Hebraeorum *Sin* [hoc est ש], a quo *Sabee* [שֶׁבַע] incipitur, Graecum Sigma, id est, Hebraeum *Samech* posuit." Quae tamen mera Hieronymi conjectura videtur. Vix dubium est, idem nomen et patrem, et filium illis puteis imposuisse, a jurejurando illic interposito inter se et Abimelechum, quemadmodum et alia plura, quae hoc Capite narrantur, conveniunt cum iis, quae supra Cap. XXI, 22. seqq. Abrahamum inter et Abimelechum acta referuntur, quae quidem utriusque narrationis similitudo est ea, ut Vater in Commentario P. I. p. 222. suspicetur, tradi utroque hoc loco duplicem eorundem factorum narrationem, quum parum sit credibile, accidisse et patri et filio paene eadem. עַל־כֵּן שֵׁם־הָעִיר *Propterea nomen urbis illius*, quae postea ad eum puteum condita est, dicebatur *Beer-Scheba*.

4. *Esavi cum Chitthaeis connubia. XXVI, 34. 35.*

Cap. XXVI, 34. וַיְהִי עֵשָׂו בֶּן־אַרְבָּעִים שָׁנָה וַיִּקַּח אִשָּׁה *Erat vero Esavus natus annos quadraginta, cum uxorem duxit*; eadem igitur, qua pater, aetate matrimonio jungitur; vid. supra XXV, 20. Sed de numero quadragenario, Hebraeis haud raro pro minus determinato usurpato vid. not. ad Ezech. IV, 6. Esavi uxores et infra XXVII, 46. uti hic, ortu Chittaeae dicuntur. Sed infra XXXVI, 2. 3., ubi *tres* Esavi uxores recensentur, nulla Judithae (יְהוּדִית) mentione facta, Basemath, quae filia Elonis, Chittaei, fuisse dicitur, refertur Ismaelis filia fuisse, contra Elonis, Chittaei filia illic Ada (עָדָה) vocatur. Praeterea quum hoc loco utrique Esavi soceri sint Chittaei, altero unus tantum, Elon, talis dicitur, alter, aliud quoque nomen gerens Chivvaeus. Quam utriusque loci repugnantiam J. D. Michaelis ex parte tolli existimat, si sumamus, unam alteramve uxorum Esavi, earumque patres binomines fuisse, quod haud raro observatur apud Orientales, praesertim si nomina propria ex una lingua

transferantur in aliam. Ita qui infra XLVI, 13. יוֹב, idem Num. XXVI, 24. יָשׁוּב vocatur, quod utrumque nomen *reversus est* significat, prius quidem (contracte pro יָאוֹב) collato Arabico أَوَبَ Qui Hebraeis עֵבֶר (Genes. X, 24. 25.) Arabibus dicitur هُود (pro يَهُود), quod ab eo Judaei originem ducunt; יִתְרוֹ, Mosis socer, qui Hebraeis ipsis et יֶתֶר ac חוֹבָב, Arabibus dicitur شُعَيْب; Saul, rex, Arabibus est طَالُوت. Neque sic tamen omnem inter hunc locum et alterum, infra XXXVI, 23. repugnantiam tolli, Michaelis fatetur ipse, atque alterutrum horum locorum librariorum culpa in mendo cubare putat. Vatero autem in Commentario ad h. l. verisimile est, haberi utroque loco duas genealogias diversis e fontibus haustas.

35. וַתִּהְיֶיןָ מֹרַת רוּחַ לְיִצְחָק וּלְרִבְקָה *Fueruntque amaritudo*, s. *irritatio*, exasperatio *spiritus Isaaco et Rebeccae.* מֹרַת et a מָרָה esse potest, et a מָרַר; malumus a posteriori, cum Aben-Esra, pro *amaritudine*, etsi sensus eodem recidat. Hebraeis, ut aliis gentibus, uti *dulce* gratum et jucundum, ita *amarum* ingratum et molestum sonat. Hinc Prov. XIV, 10. מָרַּת נַפְשׁוֹ *amaritudo animi* est moeror, et XVII, 25., *filius stolidus* est מֶמֶר לְיוֹלַדְתּוֹ *amaritudo*, moerori *genitrici suae.* Similiter hic dicitur, ambas istas Esavi uxores soceris moerorem attulisse, eorum animos excruciasse, quod alia phrasi exprimitur infra XXVII, 46. Alii מֹרַת ad Verbum מָרָה *rebellavit* referunt, ut sit Participium, quasi: unaquaeque rebellis fuit et refractaria. Ita Onkelos: וַהֲוָאָה מְסָרְבָן וּמְרַגְּזָן עַל מֵימַר יִצְחָק וְרִבְקָה *erant rebelles, et immorigerae verbo Isaaci et Rebeccae.* Quod ipsum voluisse videntur LXX., qui ἦσαν ἐρίζουσαι verterunt. Paraphrastes Hierosolymitanus et Jonathan Esavi uxores soceris ideo displicuisse existimant, quod idolorum cultui addictae fuissent. Verum ipsa Rebecca in idolorum cultu educata videtur. „Morum diver-

sitas, quacunque tandem in re sita fuerit, nurus Cananaeas intolerandas fecit Isaaco et Rebeccae; nec se forte invicem, omissis rebus ad religionem pertinentibus, Cananaei et Transeuphratenses ferre poterant." *Cleric.*

5. *Jacobus, matris astu adjutus, benedictionem patris Esavo praeripit, qui propterea grave in eum odium concipit, quod Jacobus fugiens in Mesopotamiam proficiscitur. Esavus tertiam ducit uxorem, Ismaelis filiam. XXVII, 1. — XXVIII, 9.*

Cap. XXVII, 2. וַיֹּאמֶר *Dixit* scilicet Isaacus. Nomina personarum colloquentium saepe omittunt Hebraei, ut ex sola voce וַיֹּאמֶר et sensu intelligamus, alium loqui incipere, et quis sit.

3. שָׂא־נָא כֵלֶיךָ *Tolle*, sume, *quaeso vasa tua*, i. e. arma tua, nam כְּלִי haud raro ὅπλον significat, vid. Deut. I, 41. Jud. XVIII, 11. Ps. VII, 14. Vel denotantur instrumenta venatoria in genere, inde specialim addit: תֶּלְיְךָ וְקַשְׁתֶּךָ *pharetram tuam et arcum tuum.* תְּלִי LXX. et Vulgatus *pharetram* vertunt, et Aben-Esra interpretatur האשפה התלויה ששם החצים *pharetram pendentem* (a Verbo תָּלָה) ab humeris, *in qua sunt sagittae.* Sed Onkelos vertit סַיְפָךְ *ensem tuam*, quod multis defendere studuit *Nic. Fullerus Miscell.* L. I. Cap. 17., qui gladium apte a Verbo תָּלָה dici posse putat, quod a cingulo *pendet.* Inter arma non vult pharetram censeri, quae armorum potius theca est. Neque tamen intelligi hic pharetram vacuam, sed sagittis repletam, docet res ipsa. *Arcus* et *sagittae*, pro quibus hic earum theca, apud omnes aevi scriptores una ponuntur, conjunguntur quoque 2 Reg. XIII, 15., et, ubi venatorum describuntur arma, Jesaj. VII, 24. Quod addit Fullerus, usitatius pharetrae nomen esse אַשְׁפָּה, nec verisimile esse, usurum fuisse Isaacum nomine insolentiore, parum valet, quum nec de *gladio* תְּלִי sit usitatius. Videtur תְּלִי antiquum pharetrae nomen fuisse, solo enim hoc loco legitur. In

textu Samaritano exstat חליתך, quod *furcam tridentem* significare possit. וְצוּדָה לִּי צָיִד *Et venare mihi venationem,* ferinam. In textu est צֵידָה, quod alias in genere *cibum* denotat, hic vero non diversum a צַיִד videtur.

4. בַּעֲבוּר תְּבָרֶכְךָ נַפְשִׁי בְּטֶרֶם אָמוּת *Ut benedicat tibi anima mea antequam moriar.* „Voculam בַּעֲבוּר hic non ita ceperim, quasi prandere se oportere dixerit Isaacus, ut filio benedicere posset; verisimilius est, incitamento eam praefigi, ut, quum Isaaco benedicendi filio dudum animus esset, eum ita compellarit, ut quam primum venatum iret, et optatum cibum sibi pararet. Praeterea quum, ut observatum est ab ipso Mose, XXV, 28., Isaacus Esavum praeferret Jacobo ea ipsa de causa, quod ferinam sibi crèbró apponeret, evocari sibi forte voluit occasionem filio bene volendi cibo jucundo, ut eo alacriori animo ei bene precaretur." *Cleric.*

5. Pro לָצוּד צַיִד לְהָבִיא LXX. habent: θηρεῦσαι θήραν τῷ πατρὶ αὐτοῦ, probante Hubigantio, qui interpretes לְאָבִיו pro לְהָבִיא legisse ait, neque enim Gerundium לְהָבִיא nullo nexu copulatum praecedenti Gerundio לָצוּד exercitato lectori placere posse. Sed vere observat *Ravius* in *Exercitatt.* p. 105., solere Hebraeos, cum finis et destinatio rei describenda est, Infinitivum cum nomine frequenter conjungere, quomodo Jos. II, 5. הַשַּׁעַר לִסְגּוֹר est *porta claudenda*, et Levit. XVI, 26. שָׂעִיר לַעֲזָאזֵל *hircus ad abituriendum destinatus.* Praeterea Infinitivos in Hiphil passim sic adhibere ut nullum nomen post se habeant, qua ratione בָּמוֹת לְהַכְעִיס 2 Reg. XXIII, 19. *excelsa ad excerbandum* dicitur pro excelsis ad irritandum Jovam destinatis. Pari modo igitur צַיִד לְהָבִיא est caro venatione quaesita ad adferendum destinata, et tota phrasis hoc dicit, *exiisse Esavum in campum ad venandam feram, quam adduceret,* scilicet patri suo, quod ex iis, quae praecedunt, facile quisque colligere potest. Quod autem LXX. pro לְהָבִיא habent τῷ πατρὶ αὐτοῦ, id factum, vel quia sono et similitudine vocum decepti sunt, vel

quia putabant id nomen in hunc contextum melius convenire.

7. *Ut tibi benedicam* לִפְנֵי יְהוָֹה *coram Jova.* „Hoc omissum est in superioribus verbis (Vs. 4.), quod tamen momenti alicujus videtur. Haec enim verba significant, Isaacum de ultimis illis votis, non iterandis, quae moribundi parentes in gratiam liberorum effundebant, loquutum. *Coram Jova* ea fieri dicuntur, quod tunc temporis Deus loquentibus adesse, precesque ratas facere existimaretur. Alibi etiam in ejusdem orationis repetitione occurrunt circumstantiae antea omissae; vid. supra XXIV, 40., ubi Abrahami servus repetit, quae initio Capitis narrata sunt, mutatis aliquatenus verbis.“ *Cleric.*

9. וְקַח־לִי מִשָּׁם שְׁנֵי גְּדָיֵי עִזִּים טֹבִים *Et sume mihi duos hoedos bonos*, opimos, pingues. Duos parari jubet, ut si unus displiceat Isaaco, alter saltem ejus palato arrideat. Fortassis et ideo, ut ita testari possit Jacobus, se bina haec animantia venatione cepisse, quasi sit Esavus. Haedinam carnem ideo Rebecca delegerat, quia ea caro proxima est ferinae, teste Jarchio, כי טעם הגדי כטעם הצבי *quia sapor haedinae similis est carnis capreae sapori.*

10. בַּעֲבֻר אֲשֶׁר יְבָרֶכְךָ לִפְנֵי מוֹתוֹ *Ut tibi benedicat, antequam moriatur*, non quasi cibus eum ac benedicendum idoneum reddat, sed ut obsequio, quod sibi adeo celeriter praestitum existimabit, delectatus, tibi antequam frater redeat, benedicat. Ceterum quum Esavus ipse sponte et interposito jurejurando jus suum fratri cessisset, Rebecca haud adeo magnam injuriam Esavo inferri putare potuit, si quoquo modo efficeret, ut Jacobus paternae benedictionis particeps fieret.

12. וְהָיִיתִי בְעֵינָיו כִּמְתַעְתֵּעַ *Et fuerim in oculis ejus tanquam illusor*, habebor ei pro impostore.

13. עָלַי קִלְלָתְךָ *Super me sit maledictio tua*, i. e. in me incidat. Significat Rebecca, nihil Jacobo esse metuendum, si quod hac in re incommodum, sed se id luituram esse.

16. Facile Isaacus pellibus hoedinis Jacobo indutis decipi potuit; lana enim ovium orientalium longe subtilior et minus prolixa est, quam nostrarum, nec pilis humanis absimilis. Sic *Martialis* galericuli ex hoedina pelle confecti ad dissimulandam calvitiem meminit Lib. XII. Epigr. 46. *Hoedina tibi pelle contegenti Nudae tempora verticemque calvae.* Et Cantic. IV, 1. capilli sponsae cum caprarum pilis conferuntur. Vid. *Bocharti Hieroz.* P. I. Lib. II. c. 51. p. 626. *Michaelis, von der herumziehenden Schafzucht der Morgenländer*, in *Ejusd. Vermischten Schriften*, P. I. p. 137.

19. קוּם־נָא שְׁבָה *Surge, sede*, nam in lecto Isaacus prae debilitate decubuit.

21. Suspicatus esse aliquid videtur Isaacus ex voce et nimis cito reditu, ideo Jacobum accedere jubet, ut eum tangere posset, indeque cognosceret, num esset Esavus nec ne.

26. Videtur Isaacus filium ideo jubere se osculari, ut ex ejus vestium odore cognosceret, utrum Esavus esset nec ne.

27. וַיָּרַח אֶת־רֵיחַ בְּגָדָיו *Odoratus est odorem vestium ejus.* Videntur jam tum splendidiores vestes (quales erant Esavianae, vid. Vs. 15.), aromatum odore aut odoratis unguentis perfusae fuisse; sicuti adhuc hodie orientalium regionum incolae vestes suas liquoribus bene olentibus conspergere solent, quales ab Esavo interdum gestari quum Isaacus sciret, quin is, quem ipse manu tangeret, ille esset, non amplius dubitavit. Arabia Palaestinae vicina jam illis temporibus aromata suppeditare potuit. De more veterum, pretiosas vestes variorum odorum permistione perfundere, vid. *J. H. Maii* fil. *Observatt. SS.* P. III, p. 102. רֵיחַ בְּנִי כְּרֵיחַ שָׂדֶה אֲשֶׁר בֵּרְכוֹ יְהוָֹה *Odor filii mei est sicut odor agri, cui Deus benedixit.* Odor non solum florum et plantarum odoratarum, sed etiam ipsius terrae intelligi potest. *Herodotus* Lib. III. c. 113. de Arabia: Ἀπόζει δὲ χώρης τῆς Ἀραβίης θεσπέσιον ὡς

ἡδύ: redolet Arabia mirifice jucundo quodam odore. Plinius Lib. 17. c. 5. *Terra cum a siccitate continua immaduerit imbre, tunc emittit illum suum halitum divinum ex sole conceptum, cui comparari nulla suavitas possit*; et paullo post fertilis soli indicium esse dicit, si proscissum aratro, odorem emittat. Quod respexisse videtur Isaacus, quum comparet odorem filii non cum cujusvis agri odore, sed cum ejus, *cui benedixit Jova*, i. e. fertilis. In codice Samaritano post שדה additur מלא *plenus*, quod etiam LXX. legerunt, vertentes *ὡς ὀσμὴ ἀγροῦ πλήρους*, i. e., explicante Diodoro, *πεπληρωμένος βλαστημάτων εὐοδεστάτων*, *repletus odoratis plantis.*

28. וְיִתֶּן לְךָ הָאֱלֹהִים מִטַּל הַשָּׁמַיִם *Dabitque tibi Deus e rore coeli*, rorem de coelo descendentem. In orientis regionibus sunt rores vespertini et matutini vice pluviarum, quae raro cadunt; nec fere nisi bis in anno, primo cum seminatur, iterum cum fruges maturescunt. Pendet igitur fertilitas, praeter illas tempestivas pluvias, praecipue a copiosis roribus. *Plinius Hist. Nat.* LXVIII. Cap. 21. *In Bactris, Africa, Cyrene, siccitas coërcet herbas, fruges nocturno tactas rore nutriens.* Hinc in faustis precationibus rores et pluviae conjungi et promiscue sumi solent; vid. Deut. XXIII, 13. 28. Zach. VIII, 12. Contra in imprecationibus et minis roris et pluviae cessatio legitur, vid. 2 Sam. I, 21. Hagg. I, 10. Hinc sub roris nomine omnia comprehenduntur bona, quae ex aëre et coelo in terram derivantur. וּמִשְׁמַנֵּי הָאָרֶץ *Et e terrae pinguedinibus*, i. e. agros fertilissimos. Palaestinam olim valde fertilem fuisse, et praecipue vini, tritici, hordei, aliorumque frumentorum magna abundasse copia, praeter scriptores sacros (Deut. VIII, 8. XXXII, 14. Ps. LXXXI, 17. 1 Regg. VI, 11. Num. XIII, 24. Jud. XIV, 5.) multi veterum testantur.

29. הֱוֵה גְבִיר לְאַחֶיךָ וְיִשְׁתַּחֲווּ לְךָ בְּנֵי אִמֶּךָ *Sis dominus fratrum tuorum, et filii matris tuae inflexo te corpore venerentur.* Erat hoc inter primogenitorum jura, ut fratres eis parerent, vid. supra ad XXV, 31. Et quum

praerogativae, quae primogenito a patre conferebantur, non in illo ipso tantum haererent, sed ad posteros ejus etiam transmitterentur, Israelitas Idumaeis nescius praetulit Isaacus. Impleta haec vota putant Davidis temporibus, quibus Jacobi posteri Idumaeis subactis imperitarunt, vid. 2 Sam. VIII, 13., quod tamen imperium brevi transiens fuit, vid. 1 Regg. XI, 14. 2 Reg. VIII, 11. 2 Chron. XXI. Verba hebraea supra posita LXX. ita reddunt: *Καὶ γίνου κύριος τοῦ ἀδελφοῦ σου, καὶ προσκυνήσουσί σε οἱ υἱοὶ τοῦ πατρός σου.* Quia enim praeter Esavum Jacobus fratrem habebat nullum, pro Plurali לְאַחֶיךָ posuerunt Singularem, et pro בְּנֵי אִמֶּךָ *οἱ υἱοὶ τοῦ πατρός σου* reddiderunt, ut Isaaci e concubinis filii significentur. Sed Pluralem לְאַחֶיךָ non esse mutandum, ostendit, quod subjicitur, בְּנֵי אִמֶּךָ. Videntur *fratribus Jacobi* omnes ejus cognati, etiam ex patre, ut qui ex Ismaele et Cetura orti sunt, intelligendi.

33. מִי־אֵפוֹא Jarchius interpretatur מי הוא ואופה הוא *quis est, et ubi est;* qui ferinam mihi attulit. Sed *ubi* valet אֵיפֹה; verum אֵפוֹא est *nunc*, כְּעַן, ut Onkelos infra Vs. 37. vertit. Est autem hic velut expletiva Particula: *quis jam? quis tandem?* גַּם־בָּרוּךְ יִהְיֶה *Etiam benedictus erit*, adeoque benedictus manebit. „Quare preces repetere aut revocare in Esavi gratiam noluerit Isaacus, duae potissimum causae fuisse videntur. Primum, non modo credebant eo aevo, non irritas esse patris morientis preces, sed eas iterari non posse, quasi Deus patri potestatem fecisset, semel tantum liberis precandi quod vellet, si preces ratas esse cuperet; atque iteratas, aut immutatas, se exauditurum negasset. Secundo, hac in re fraudi indignari noluit Isaacus, quod recordatus esset oraculi, Rebeccae dati, antequam ea peperit gemellos, quos utero gerebat, fore, ut major minori subesset; et quum ille videret, se quoque, quamquam invitum, id responsum benedictione sua confirmasse, rem istam divinitus contigisse intellexit. Fortasse etiam illud eum movit, quod Esavus Jacobo jura primogeniturae vendiderat, quorum unum

erat, ut majorem, quam frater, benedictionem a patre acciperet; noluit igitur id irritum facere, quod non sine divina providentia ita contigisse cernebat." *Cleric.* Cf. *J. J. Hessii Gesch. der Patriarch.* P. II. p. 52.

34. בָּרְכֵנִי גַם־אָנִי *Benedic etiam mihi;* אָנִי pro אֹתִי, cf. not. supra ad X, 21.

36. הֲכִי קָרָא שְׁמוֹ יַעֲקֹב *An quod vocavit*, scil. קֹרֵא *vocans*. i. e. vocatur (impersonalis loquendi formula, de qua pluries monitum) *nomen ejus Jacobus?* q. d. nonne nomen habet a supplantando? הֲכִי LXX. expresserunt per *δικαίως*, Vulgatus *juste*, Onkelos יָאוּת *convenienter, merito.* זֶה פַעֲמַיִם *Jam bis;* זֶה enim nominibus numeri temporisque praeponi interdum solet ad emphasin quandam exprimendam. Sic infra XXXI, 38. זֶה עֶשְׂרִים שָׁנָה *jam viginti annos.* Cf. *Gesenii Lehrgeb.* p. 751. הֲלֹא־אָצַלְתָּ לִּי בְּרָכָה *Nullamne benedictionem mihi servasti?* i. e. an omnia bona, quae a Deo precari poteras, fratri meo apprecatus es? nullumne bonum reliquum est, quod mihi apprecari possis?

37. דָּגָן וְתִירֹשׁ סְמַכְתִּיו *Tritico et musto eum suffulsi*, i. e. precatus sum a Deo, ut frater tuus prae ceteris consanguineis frumento et vino abundaret; ideo nunc ei neminem aequare possum. Fecisse dicit Isaacus quod precatus erat, quia preces suas non irritas fore norat, quemadmodum prophetae, quae praedicunt, facere dicuntur, ob certum eorum eventum, vid. Jerem. I, 10.

39. מִשְׁמַנֵּי הָאָרֶץ יִהְיֶה מוֹשָׁבֶךָ וּמִטַּל הַשָּׁמַיִם מֵעָל *Pinguedines terrae*, in fertili et feraci solo erit *habitatio tua, et de rore coeli desuper*, scil. יֵרֵד לְךָ *descendat tibi.* Aut conjungendum est cum יִהְיֶה מוֹשָׁבֶךָ, hoc sensu: in loco, in quem ros coelestis descendit, tua sit habitatio. Quidam tamen interpretes, quia ita utrique filiorum Isaacus idem tribuit, מ ante שְׁמַנֵּי et טַל privative exponunt, quasi dicat: remota ait sedes tua a pinguedine terrae, neque rori coelesti foecundabitur. Sed quis credat, patrem filio dilecto (vid. XXV, 28.) mali quid imprecatum esse?

Rectum non dubitamus vidisse Salomonem Ben-Nachman, qui dicit, Isaacum hoc voluisse: pingue solum quidem, et rore coelesti foecundatum, utrique vestrum concedere possum; dominatum vero fratri duo concessi, et te ei subjeci. Attamen vi et armis ex finitimis gentibus spolia et praedam sibi coacervaturum ei promittit Vs. sequ.

40. וְעַל־חַרְבְּךָ תִחְיֶה *Et super gladium tuum vives*, q. d. gladio tuo, בְּחַרְבְּךָ, (ut Deut. VIII, 3. *Neque enim* עַל־הַלֶּחֶם *bello gerendo duntaxat vivit homo*, ubi עַל pro ב), opera tui gladii et beneficio ac ministerio, assiduis quippe bellis impeteris et oppugnaberis ab aliis nationibus, vicinis maxime, sed eas vinces, et vitam tueberis. Non hoc tantum indicari videtur, eum sibi victum paraturum gladio, armis, bello, aut venatione, aut praeda ab hostibus parta, sed quum ei assidua bella sint cum aliis populis futura, ipsam suam vitam ab illis gladio suo asserturum. Conf. Henslerum ad l. c. Sic etiam *Josephus de bello Jud.* Lib. IV. c. 15. Idumaeae gentis indolem describit: *Θορυβῶδες καὶ ἄτακτον ἔθνος, ἀεί τε μετέωρων πρὸς τὰ κινήματα, καὶ μεταβολαῖς χαῖρον, πρὸς ὀλίγην δὲ κολακείαν τῶν δεομένων, τὰ ὅπλα κινοῦν, καὶ καθάπερ εἰς ἑορτὴν εἰς τὰς παρατάξεις ἐπαγόμενον· turbarum avida et incondita gens, semperque ad motus suspensa, mutationibus gaudens, minimis petentium blanditiis arma movens, et, quasi ad festum, in praelia festinans.* Ne tamen, quia praesidium ei in armis fore dixerat, putaret, se fratri superiorem futurum, addit: וְאֶת־אָחִיךָ תַּעֲבֹד *attamen fratri tuo servies.* Verborum וְהָיָה כַּאֲשֶׁר תָּרִיד וּפָרַקְתָּ עֻלּוֹ מֵעַל צַוָּארֶךָ sensum difficilem reddit illud, quod verbi תָּרִיד notio minus certa est. Hebraeorum plures, inter quos Kimchi, significationem illi cum רָדָה *dominari* communem putant, et locum sic exponunt; *cum venerit tempus, ut tu domineris, tunc franges jugum ejus*, fratris tui, ab eo tibi impositi, *franges illud* removebisque *a collo tuo. Dominandi* significatum expressit et Arabs uter-

que; Saadias per أَسْتَوْلَيْتَ, Erpenianus per تَسَلَّطَ. Sententia tamen: *cum tu dominaberis, franges jugum ejus*, mera est ταυτολογία. Alii Hebraeorum, e quibus Jarchi, תָּרִיד *querendi, plangendi* significatu, e Ps. LV, 3. (cf. not. ad eum loc.), loci sensum hunc esse volunt: cum questus fueris et ingemueris apud Deum prae dura servitute tibi a fratre imposita, tuas ille preces exaudiet, et tunc solves jugum fraternum e cervicibus tuis. Eodem modo Onkelosus videtur Hebraea cepisse; haec enim ejus paraphrasis: וִיהֵי כַּד־יַעַבְרוּן בְּנוֹהִי עַל־פִּתְגָּמֵי אוֹרָיְתָא וְתַעְדֵּי נִירֵיהּ מֵעַל צַוְּארָךְ *et erit cum filii ejus* (Jacobi) *transgressi fuerint verba legis, tum excuties jugum ejus a collo tuo.* Similiter duae reliquae Targumim. *Querendi* tamen significatus quum verbo רוּד non satis tuto tribui aliis videatur, illi ex Arabico راد (pro رود) *volendi, cupiendi* notionem vindicandam censuere, praeeunte *Lud. de Dieu* in *Animadverss. ad Jerem.* II, 31., ubi nostra verba sic reddit: *quando volueris, rumpes jugum.* Similiter Coccejus: *quum obstinaveris abrumpes jugum. N. G. Schroederus* in *Observatt. ad Origg. Hebrr.* Cap. I. 1. §. 9. verba כַּאֲשֶׁר תָּרִיד vertit: *prout huc illuc vagari amas*, tanquam animal ferox jugique impatiens, quod libero discursu pastuque se oblectare solet, de quo Arabicum verbum frequenter usurpari, pluribus exemplis docuit. Impletum hoc votum observant cum sub Joramo Idumaei a Judaeis defecerunt (2 Reg. VIII, 20.) et suae gentis reges habuerunt, donec ab Hyrcano subjugati populo Judaico inserti sunt.

41. יִקְרְבוּ יְמֵי אֵבֶל אָבִי *Appropinquabunt*, mox aderunt, *dies luctus patris mei*, i. e. mortis, cum lugendus erit. Hunc patri honorem habere voluit, ne eum viventem adhuc, caede in fratre commissa contristaret.

42. אָחִיךָ מִתְנַחֵם לְךָ לְהָרְגֶךָ *Frater tuus consolatur se de te*, propter te, *occidendo te*, i. e. solatur se ipse de injuria, quam sibi a te putat factum, et sibi satis factum iri sperat, et placatum iram suam, qua in te ardet,

cum te occiderit. Vocis מִתְנַחֵם sensum latius exprimunt LXX. per ἀπειλεῖ, *minatur*, quod et Vulgatus retinuit. Onkelos: אָחוּךְ כָּמֵין לָךְ לְמִקְטְלָךְ *frater tuus insidiatur tibi ut te occidat*, quod Saadias sequutus.

44. *Ut habites apud eum* יָמִים אֲחָדִים *dies unos*, i. e. paucos, זְעֵירִין *exiguos*, ut Onkelos habet. LXX. ἡμέρας τινάς.

45. לָמָה אֶשְׁכַּל גַּם־שְׁנֵיכֶם יוֹם אֶחָד *Cur orba fierem utroque vestrum uno die?* eodem tempore, simul, quia, si Esavus Jacobum occiderit, aufugiendum ipsi fuisset, quum post admissum parricidium parentes illius conspectum haud ferre potuissent. Sic Absolomus, occiso fratre, aufugit, 2 Sam. XIII, 34. De capitis poena, a magistratibus infligenda, hic non est cogitandum.

46. קַצְתִּי בְחַיַּי מִפְּנֵי בְּנוֹת־חֵת *Taedet me vitae meae propter filias Cheth*, quas uxores duxerat Esavus; vid. supra XXVI, 34. 35., et ibi not. Quod in קַצְתִּי figura literae ק reliquis minor est, *Hillerus* in *Arcano Keri et Kethib* p. 186. diversa puncta vocalia, quibus in codicibus nonnullis vox illa fuerit instructa, innuere putat, videlicet קִצַּתִי *decurtavi* vitam meam propter Chethitas. Prorsus acerbam sibi fore reliquam vitam Rebecca profitetur, si Jacobus Chitthaeam mulierem in matrimonium duceret; proinde se Jacobum in Mesopotamiam mittere, ut is uxorem ex familia sua duceret. Veram Jacobi ablegandi causam, fratris odium, Rebecca prudens marito non aperit.

Cap. XXVIII, 2. קוּם לֵךְ פַּדֶּנָה אֲרָם *Surge, abi in Paddan-Aram*, vid. de hac regione not. ad XXV, 20.

4. וְיִתֶּן־לְךָ אֶת־בִּרְכַּת אַבְרָהָם *Et det tibi benedictionem Abrahami*, i. e. quae Abrahamo promiserat. Post אַבְרָהָם in codice Samaritano est אביך τοῦ πατρός σου, uti est in versione τῶν LXX., secundum codicem Alexandrinum; Vaticanus enim habet μου. „*Patrem* pro *avo* dicunt Hebraei, quod forte in animum non revocabant,

qui omiserunt vocem אביך, si modo data opera omissa est." *Cleric.*

5. אֲחִי רִבְקָה *Fratrem Rebeccae*, i. e. Labanem, non Bethuelem. Rebecca praeterea hic vocatur אֵם יַעֲקֹב וְעֵשָׂו *mater Jacobi et Esavi*, quod quorsum hic addatur Jarchius se nescire fatetur. Sed Mose Ben-Nachman observat, quum Isaacus Jacobo injunxisset, ut uxorem sibi duceret e filiabus Labanis, fratris matris suae, subjungi nunc, illum et fratrem matris Esavi fuisse, quia et huic praecipiendum videbatur, ut sibi uxorem e familia parentum duceret, quod et fecisse dicitur infra Vs. 9.

6. Hic interrumpit coeptam narrationem de profectione Jacobi in Mesopotamiam, ut quiddam interjiciat, quod Esavus tum fecerit, occasione ex eo sumta, quod Jacobus jussu patris illuc profectus esset.

9. Machalath infra Cap. XXXVI, 3., Bathsema nominatur, vid. not. supra ad XXVI, 34. Esavus Abrahami neptem in matrimonium duxit, ut sibi, culpam priorum conjugiorum initorum abolere volens, parentum favorem reconciliaret.

6. *Somnium Jacobo in itinere immissum, ejusque vota; Cap. XXVIII, 10—22.*

12. Hoc somnio Deus Jacobo periculosum iter ingressuro significare voluit, providentiam suam et opem ubique ei affuturam esse; se tum in ipsius abitu in Mesopotamiam, tum in reditu ipsius in Palaestinam solatium et auxilium et omnino spectatorem et fautorem itineris fore. Angeli per scalam ascendunt et descendunt, i. e. accipiunt et exsequuntur Dei mandata. Scalae mentio injicitur, ut sensibus appareat, quomodo illi Dei mandata accipere et exsequi possint. Tota autem haec visio cognitioni imperfectae, quam illorum temporum homines de Deo habebant, prorsus conveniebat, simul vero valde idonea erat ad edocendum Jacobum de peculiari Dei providentia. Vid. quae hac de re monuerunt *Jerusalem* in *Be-*

trachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion, P. II. Commentat. II. p. 256. seqq. et *Hess* in *Geschichte der Patriarchen*, P. II. p. 65. seqq.

16. אָכֵן יֵשׁ יְהוָה בַּמָּקוֹם הַזֶּה וְאָנֹכִי לֹא יָדָעְתִּי *Profecto hic quoque est Jova, quod ego nesciebam.* His verbis innuit Jacobus, se hactenus non putasse, quod alibi se Deus manifestet, quam in domo patris, nunc autem cognoscere se, Deum ubique adesse. Alii quidem interpretes, qui persuadere sibi non possunt, Jacobum ignorasse illud, Deum ubique terrarum praesentem esse, verba ejus de visione sive apparitione Dei accipiunt, quasi Jacobus miratus sit, apparere etiam Deum extra loca, in quibus tendebat pater Isaacus. Sed bene monet *Cyrillus Alexandrinus*, Lib. IV. p. 115. cujus verba brevitatis causa tantum ex versione latina adscribere lubet: *in antiquioribus exiles admodum de Deo opiniones reperimus. Credebant enim, reliquam a Deo relictam esse terram, et intra eam solam illum veluti conclusum esse, in quam patria relicta, ex Chaldaea profecti, ipsi vocati fuerant. Nam quum idolorum cultores, et qui errore multorum Deorum laborabant, unicuique daemoni propriam veluti tribuerent terram, et tantum non in singulis urbibus tyrannos, qui adorarentur, constituissent, non omnes posse ubique aut oportere coli, judicabant; beati quoque Patriarchae, nuper moribus idololatriae et errore, quo multi creduntur Dei, relictis, et persuasi, eum qui natura et vere Deus est, colendum, non in omni terra et in omni loco ipsis adesse et auxiliari rebantur, parva admodum adhuc sentientes.*

17. אֵין זֶה כִּי אִם־בֵּית אֱלֹהִים וְזֶה שַׁעַר הַשָּׁמָיִם *Non est hic* locus, *nisi aedes Dei, porta coeli.* Quia Angelorum alios e coelo descendentes et adscendentes in coelum alios viderat, hunc locum Jacobus *portam coeli* nominat, quasi is esset locus, quo illi in terram descenderent atque in coelum reverterentur; et *domum Dei*, quasi ea potissimum in coeli parte commoraretur Deus, quod eum in summa scala stantem viderat, ad quem Angeli quasi

rationem ministeriorum reddituri veniebant, et unde veluti acceptis mandatis, abibant.

18. וַיָּשֶׂם אֹתָהּ מַצֵּבָה *Et erexit eum in cippum*, LXX. καὶ ἔστησεν αὐτὸν στήλην. Erexit Jacobus hunc lapidem in monimentum et memoriam tanti beneficii, i. e. visionis, ut in reditu hujus rei memoriam recoleret, quod etiam fecit; infra XXXV, 3. Etiamnum moris esse in Orientis regionibus, ut iter facientes certis in locis ad viam lapides erigere, et apud eos vota pro felici reditu facere soleant, observat *Morier* in secundi sui per Asiam instituti itineris Commentariis; vid. *das alte u. neue Morgenl.* P. VI. p. 245. seqq. שֶׁמֶן עַל־רֹאשָׁהּ *Et fudit oleum super ejus caput.* Qui ritus non a Jacobo primum institutus, sed jam olim a patribus institutus fuerit. Libamen fuit vini aut olei, quod non sacrificiis tantum, verum et extra sacrificia, ubi quid consecrabatur, et sacrificabatur, aut Deo dicabatur, adhiberi solebat, ut id oleo, aut vino perfunderetur. Praesertim vero consecrandorum lapidum eorundemque oleo ungendorum mos erat apud Orientales antiquissimis temporibus, qui postea ad Graecos et Romanos transiit. Usus antiquissimus Tyriae orae incola, fertur ἀνιερῶσαι δύο στήλας πυρί τε καὶ πνεύματι, καὶ προσκυνῆσαι, αἷμα τε σπένδειν αὐταῖς ἐξ ὧν ἤγρευε θηρίων, *consecrasse duos cippos Igni et Vento, eosque adorasse, et sanguine ferarum, quas ceperat, iis libasse.* Verba sunt Sanchuniathonis apud Eusebium *Praeparat. Evang.* L. I. Cap. 10., qui paulo post subdit, posteros etiam solitos esse τὰς στήλας προσκυνεῖν καὶ τούτοις ἑορτὰς ἄγειν κατ' ἔτος, *eas columnas adorare, iisque quotannis dies festos celebrare.* Eos lapides Βαιτύλια vocabant, ut ad Vs. 19. videbimus. Similiter Graeci, ut iis exprobrat *Clemens Alexandrinus Strom.* Lib. VII. p. 713. πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, λιπαρὸν ἐπροσκυνοῦν, *omnem lapidem pinguem, ut dicitur, adorabant. Arnobius* in L. I. *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, et ex olivi unguine sorditatum, tanquam inesset vis praesens, adulabar, adfabar.* Plura vid. in *Dougtaei Analectt. SS.*

Exc. XVII. p. 31. Quaerunt interpretes, unde Jacobo in via versanti oleum in promtu fuerit? Sed non dubium, illum secum sumsisse oleum, ut lassitudini consuleret, et sua subinde membra refocillaret. Illis enim in regionibus olei usus erat admodum frequens, partim ad unguendam faciem, partim ad levandam viatorum lassitudinem. Nec multo opus fuit oleo ad erecti lapidis apicem inungendum.

19. בֵּית־אֵל *Domus Dei.* Ita omnis locus apud Hebraeos appellabatur, ubi Deus sese saepius et familiarius manifestat, aut ubi is conventur aut colitur. Jacobus vero, quum illi loco hoc nomen imponeret, innuere voluit, se ubi incolumis reversus fuerit, hunc locum propius ea ratione habiturum ad aut id consecraturum esse, ut Deum ibidem solemniter conveniret, vel officia cultus divini ipsi praestaret. Ceterum Phoenicii similiter lapides unctione consecratos Βαιτύλια vocabant, nomine manifeste e בֵּית־אֵל orto, eosque a Numine insideri credebant, a quo eos aliquando moveri dictitabant. *Sanchuniathon* apud *Eusebium* in *Praeparat. Evangel.* Lib. I. c. 10. ex Philonis Byblii versione: Ἐπενόησε θεὸς οὐρανὸς Βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος, *excogitavit Deus Uranus Baetylia, cum fabricasset lapides animatos. Photius* in Cod. 242. e Damascii vita Isidori narrat, κατὰ τὴν Ἡλιούπολιν Συρίας εἰς ὄρος τὸ τοῦ Λιβάνου τὸν Ἀσκληπιάδην ἀνελθεῖν, καὶ ἰδεῖν πολλὰ τῶν λεγομένων Βαιτυλίων ἢ Βαιτύλων περὶ ὧν μυρία τερατολογεῖ· *juxta Heliopolin Syriae Asclepiadem in Libani montem ascendisse, et vidisse multa Baetylia vel Baetylos, quos vocant, de quibus multa miracula narrat. Hesychius:* Βαίτυλος, οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ χρόνῳ ἀντὶ Διός. *Baetulus. Ita vocabatur lapis Saturno pro Jove dicatus.* Scripsit ea de re libellum singularem *Joh. Joach. Bellermann*, Theologus Berolinensis, quem inscripsit: *Ueber die alte Sitte, Steine zu salben, und deren Ursprung*, Erford. 1793. Quo quidem in scripto et de ea, quae hic legitur, narratione quaedam observata sunt, quae digna sunt, ut le-

gantur. Causam, cur lapidibus istis tantum honorem praestarunt prisci illi Phoenicii, quaerendam esse in eo, quod ex genere τῶν ἀεϱολιθῶν sive μετεωϱῶν, fuerint, de quibus nostra aetate plures viri docti inquisiverunt, conjecit jam seculo XVIII. ineunte *J. J. Scheuchzer* in *Physica S.* Cap. XXXVIII. §. 265. seqq., pluribusque rationibus illam sententiam commendavit *F. Münter*, Seelandiae Episcopus, in Commentatione, quae inscribitur: *Vergleichung der vom Himmel gefallenen Steine mit den Bätylien des Alterthums*, et inserta legitur auctoris *Antiquarischen Abhandlungen* (Havn. 1816. in octon.) p. 257. seqq. Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 89. p. 127. seqq. וְאוּלָם לוּז שֵׁם־הָעִיר לָרִאשֹׁנָה *Quae prius Luz vocabatur.* LXX. ex adverbio אוּלָם et ex nomine proprio perperam fecerunt nomen Οὐλαμλούζ, quos jam propterea notavit Hieronymus in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l. Caeterum Luzam inter Bethelem aliquod intervallum fuisse, colligere est ex Jos. XVI, 2. Sed Bethel posteris temporibus adeo est celebratus quadam religionis opinione, ut Luzae propinquae nomen obscuraverit. Itaque quum adhuc Bethelis nomen minus pervagatum esset, dicebat Jacobus *in Luza se visum vidisse*, infra XLVIII, 3.

20. וְנָתַן־לִי לֶחֶם לֶאֱכֹל וּבֶגֶד לִלְבֹּשׁ *Et si mihi panem quo vescar, et vestem qua sim indutus, dederit.* His duobus enim continetur quicquid ad vitam necessarium est.

21. וְשַׁבְתִּי בְשָׁלוֹם *Et rediero in pace*, i. e. incolumis. הָיָה יְהוָֹה לִי לֵאלֹהִים *Et si Jova mihi Deus erit.* Alludit Jacobus ad Dei promissiones antecedentes (Vs. 13. 14.) Abrahamo et ejus posteris factas, *Deum fore Abrahami et Isaaci etc.*

22. Sequitur apodosis: וְהָאֶבֶן הַזֹּאת אֲשֶׁר־שַׂמְתִּי מַצֵּבָה יִהְיֶה בֵּית אֱלֹהִים, *tunc lapis hic, quem erexi, domus Dei fiet.* Quibus verbis significat Jacobus, locum, in quo hic lapis, sanctum sibi fore, et super lapide hoc, quasi super altari, Deo sacra se facturum esse. וְכֹל אֲשֶׁר תִּתֶּן־לִי

עַשֵּׂר אֲעַשְּׂרֶנּוּ לָךְ. *Omniumque, quae tu mihi dederis, tibi decimam dabo.* Hae decimae nulli sacerdoti dandae erant, sed offerebantur Deo e ritu tunc solito (cf. not. supra ad XIV, 20.); quod erat consuetum comburi, comburebatur sacrificando, reliqua comedebantur, non tanquam cibus profanus, sed ut quid Deo oblatum in ejus honorem.

7. *Jacobus Charras pervenit, atque a Labane humane excipitur. Quatuordecim annos ei operam suam addicit filiasque ejus quasi mercedem accipit, et quatuor filios ex Lea tollit. Cap. XXIX.*

Cap. XXIX. 1. וַיִּשָּׂא יַעֲקֹב רַגְלָיו *Sustulit itaque Jacobus pedes suos.* Haec verba non celerem Jacobi gressum indicant, ut nonnulli interpretes putabant, sed simpliciter significant, Jacobum iter suum continuasse. Hebraei enim amant in describendis hominum actionibus mentionem facere ejus membri, quo ad actionem praecipue utuntur. Sic Genes. XVIII, 2. XXII, 4 וַיִּשָּׂא עֵינָיו וַיַּרְא *sustulitque oculos suos et vidit.* וַיֵּלֶךְ אַרְצָה בְנֵי־קֶדֶם *Et profectus est in terram filiorum Orientis*, quibus intelliguntur hic Mesopotamiae incolae, quod revera sunt ad Orientem Judaeae.

2. וְהִנֵּה־שָׁם שְׁלֹשָׁה עֶדְרֵי צֹאן רֹבְצִים עָלֶיהָ *Et, ecce! illic tres greges ovium accubabant*, dum, congregatis gregibus tractus illius, adaquarentur; quod videtur factum, ne quis aquam putei in suos usus exhauriret. Videtur autem, licet alioqui Mesopotamia regio esset irrigua aquis, ille tamen tractus circa Charras aquas minus copiosas habuisse. De Charris vid. not. supra ad XI, 31. Volunt plures interpretum puteum, qui hic memoratur, eundem fuisse, ubi Abrahami servus Rebeccam deprehenderit. At ex quaestione Jacobi Vs. 4. apparere videtur, puteum istum non fuisse adeo prope ad urbem Charran. Quum enim Nomades cum gregibus suis longe huc et illuc vagentur, potuit puteus iste longius ab urbe abesse.

5. הֲיְדַעְתֶּם אֶת־לָבָן בֶּן־נָחוֹר *Numquid nostis Labanem, filium Nachoris?* Atqui Laban Bethuelis filius fuit; vid. supra XXVIII, 5. coll. XXIV, 29. Sed Hebraeis passim nepotes avorum potius, quam patrum dicuntur filii, praesertim ubi avi longe erant patribus notiores.

6. הֲשָׁלוֹם לוֹ *An pax illi?* i. e. valetne? LXX. ὑγιαίνει; Sed *pacis* nomine Hebraice non externa tantum valetudo, verum et omnia laeta felicia et prospera significantur, non solum quod Graeci dicunt ὑγιαίνειν, sed quoque χαίρειν et εὐπράττειν.

8. לֹא נוּכַל עַד אֲשֶׁר יֵאָסְפוּ כָּל־הָעֲדָרִים *Non possumus adaquare, nisi prius congregati sint omnes greges.* Non videntur tam difficultatem amovendi lapidis, quam legem exspectandi pastoribus positam spectare. וְגָלֲלוּ *Et devolvant*, scil. pastores gregum. Saepe Verbum referri ad Nominativum subauditum constat.

9. כִּי רֹעָה הִוא *Ipsa enim pascebat*, quod Rahelae non contemtui erat; etiamnunc enim apud Arabes filiae Emirorum greges adaquare vitio sibi non ducunt, teste *Shawio Itiner.* p. 210. vers. german. Ita et Jethronis, conspicui apud Midianitas viri, filiae paternos greges pascebant, Exod. II, 16.

10. Illud אֲחִי אִמּוֹ *fratris matris suae* hoc Versu ter ponitur, quum tamen e superioribus satis intelligi posset, Labanem Rebeccae fratrem esse ex Bethuele patre. Quod etsi tribui possit linguae consuetudini; hic tamen subesse causa hujus tam crebrae repetitionis haec videtur, ut innuatur, Jacobum ductum fuisse στοργῇ in matrem ejusque propinquos, et in animo habuisse parentum de quaerenda uxore e filiabus Labanis praeceptum. וַיָּגֶל אֶת־הָאֶבֶן מֵעַל פִּי הַבְּאֵר *Devolvit ex ore putei lapidem.* Videtur peregrinis licuisse facere id, quod alias vetitum erat ex communi pastorum consensu. Mirum praeterea, fessum de via hominem, tam longo confecto et molesto itinere, ita potuisse illud ingens saxum, quod nonnisi a

multis simul eo congregatis revolvi posset (vid. Vs. 2. 3. 8), solum ipsum amovere, quasi recens esset.

11. וַיִּשָּׂא אֶת־קֹלוֹ וַיֵּבְךְּ *Sustulitque vocem suam et flevit*, prae gaudio, quod tam repente in eos, quos quaerebat, incidisset. Sic et Josephum prae gaudio lachrymas profudisse legimus infra XLIII, 30. XLV, 2. 14. 15.

12. וַיַּגֵּד יַעֲקֹב לְרָחֵל כִּי אֲחִי אָבִיהָ הוּא *Et indicavit Jacobus Rahelae, se fratrem patris ejus esse*, i. e. cognatum, consanguineum. *Fratres* dicuntur passim quilibet consanguinei; vid. supra ad XXVII, 29.

13. *Factumque est* כִּשְׁמֹעַ לָבָן אֶת־שֵׁמַע יַעֲקֹב *cum audiret Laban auditum Jacobi*, i. e. non modo rumorem, sed nuncium certum. Ita שְׁמוּעָה et Obad. Vs. 1. capitur. וַיְסַפֵּר לְלָבָן אֵת כָּל־הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה *Et narravit Labani omnes res illas*, i. e. causas itineris, et quaecunque sibi circa primogeniti jura cum fratre accidissent.

14. אַךְ עַצְמִי וּבְשָׂרִי אָתָּה *Profecto os meum et caro mea es*, i. e. te propinquum meum et consanguineum agnosco. וַיֵּשֶׁב עִמּוֹ חֹדֶשׁ יָמִים *Seditque*, egit *cum illo*, apud eum, *per mensem* quoad *dies*, s. *temporis spatium*, per mensem continuum. Ita enim יָמִים temporis notationibus addi solere, uti nos dicere solemus: *einen Monat lang*, et quemadmodum Arabes quoque شهر زمان *per mensem* quoad *tempus*, observat *Gesenius* in *Lexico maj.* p. 374.; cf. Ejusd. *Ausführl. Lehrg.* p. 667.

15. הֲכִי־אָחִי אַתָּה וַעֲבַדְתַּנִי חִנָּם *Num, quia frater meus es, gratis servies mihi?* quomodo haec verba haud male vertit Hieronymus. LXX. Ὅτι γὰρ ἀδελφός μου εἶ, οὐ δουλεύσεις με δωρεάν. Ludov. de Dieu: *annon frater*, cognatus, *meus es? et servies mihi gratis?* Quod probat *H. B. Starck* in *Nott. selectt.* ad h. l., et הֲכִי eodem modo capiendum observat supra XXVII, 36. (ubi vid. not.), atque 2 Sam. IX, 1. XXIII, 19. „ה namque interrogativum, quando jungitur cum כִּי, idem est quod הֲלֹא, et כִּי non significat *quia*, sed servit simpliciter interrogationi pro praticula expletiva.“

17. וְעֵינֵי לֵאָה רַכּוֹת *Ac oculi quidem Leae* erant *teneri*, infirmi, imbecilles, ἀσθενεῖς, ut LXX. reddunt. Hieronymus: *lippis erat oculis*, ut lippitudo ex oculorum infirmitate orta fuerit. Sed generalius videtur accipiendum, quod non essent vivaces oculi, quales χαροπούς Graeci dicunt. Minus recte Onkelos רַכּוֹת interpretatur יָאָין *pulchros*. Sed quae sequuntur deformitati Leae, cujus non exigua pars est in oculis, opponi formam Rachelae ostendunt, qua factum, ut sorori natu majori a Jacobo anteferretur. *J. G. Lackemacher* in *Observatt. philologg.* P. II. Obs. I. עֵינַיִם h. l. ipsam denotare *faciem* putat, per synecdochen partis pro toto, ut saepe, e. c. Jes. I, 15. LIX, 2. Jerem. IV, 30., רַךְ vero omne omnino *molle*, *tenerum*, atque adeo *tenue*, *exile* significat. Unde verbis עֵינַיִם רַכּוֹת, quae opponuntur Rachelae יְפַת־תֹּאַר, *egregio formae decori*, significari censet *faciem tenuem*, h. e. gracilem et macilentam; ut hic sit verborum sensus: *Lea facie erat arida*, *exsucca*, *exsangui*, sive, ut Plautus vocat: *ore macilento*. תֹּאַר totam membrorum compositionem, conformationem et proportionem indicat, מַרְאֶה *aspectus*, vultum seu faciem.

18. אֶעֱבָדְךָ שֶׁבַע שָׁנִים בְּרָחֵל *Serviam tibi septem annos pro Rachela.* Apud eas gentes dotem non gener a socero, sed contra socer a genero accipere solebat; vid. infra XXXIV, 12. 1 Sam. XVIII, 23. 25. 27. Eundemque morem etiamnum apud Arabes obtinere, pluribus testimoniis fide dignis ostendimus in *dem alten und neuen Morgenl.* P. I. No. 93. p. 132. seqq. Jacobus vero pro dote, quum aliud nihil suppeteret, septem annorum ministerium obtulit. Similia e recentioribus temporibus exempla attulimus in libro modo laud., p. 136. „Mirum tamen est, Jacobum pro dote Labani obtulisse ministerium, quum ex maximis patris opibus tertiam partem, missis πρωτοτοκίοις, jure suo sperare posset. Mittendi duntaxat erant ad Isaacum et Rebeccam nuncii erant, qui ab iis dotem accipere potuissent. Verum ex moribus nostris de ejus aetatis consuetudinibus judicium ferri nolim.“ *Cler.*

19. טוֹב תִּתִּי אֹתָהּ לָךְ מִתִּתִּי אֹתָהּ לְאִישׁ אַחֵר *Melius est, ut tibi eam deem, quam ut alteri viro.* Libentius propinquis filias dabant, quam in exteras familias transferebant.

20. וַיַּעֲבֹד יַעֲקֹב בְּרָחֵל שֶׁבַע שָׁנִים *Et servivit Jacobus pro Rachela septem annos.* ב hic valet *pro, propter,* ut supra XVIII, 28. Hos. XII, 13., ubi de hac ipsa re sermo est. Jacobum non demum post completos septem annos, quae vulgo recepta sententia est, sed statim ab initio horum annorum Leam nuptui collocatam accepisse, post R. Levi statuit J. D. Michaelis in Notis ad translationem suam teutonicam Geneseos, alioquin enim non constaturam temporum supputationem in iis quae sequuntur. Nam si ad finem septennii Leae conjugium protendatur, septem annis necesse erit, undecim aut duodecim liberos, mares omnes, praeter Benjaminem, qui septem post annis in terra Canaan natus est (infra XXXV, 16. 17. 18.), et unam filiam, Dinam, natos fuisse, quod fieri vix posse videtur, nisi septem mensium eos ponas, aut gemellos editos dicas, quod tamen ex iis quae hoc libro consignata leguntur, colligi non potest, sed potius unum post alterum editum esse. Id evitabitur, si natos sumas aliquot jam inde ab initio septem annorum. Attamen ut hoc sumamus, plane vetat, quod Vs. sequ. Jacobus poposcisse uxorem dicitur, quod completi sint dies servitutis suae. Sed temporum supputatio et tum, cum Jacobus expletis demum septem annis nuptias cum Rachela celebraverit, satis constabit, quum duodecim liberos septem annis nasci ex quatuor mulieribus, duabus uxoribus totidemque ancillis etiam novem mensibus, ab ordine consueto non sit alienum. Nec opus est sumere singulos post alios annis alternis, aut alternis novem mensibus, natos omnes fuisse. Nam potuisse sub idem tempus omnes aut plures esse gravidas, quid prohibet? וַיִּהְיוּ בְעֵינָיו כְּיָמִים אֲחָדִים *Fueruntque in oculis ejus sicut dies uni*, i. e. pauci. Ita אֲחָדִים et supra XXVII, 44. Cave cum J. D. Michaelis verba ita capias, quasi Jacobo

septem illi anni, pauci dies visi fuerint, quum polliceretur Laban se septem annos pro Rachela serviturum esse.

21. הָבָה אֶת־אִשְׁתִּי *Cedo uxorem meam. Uxor* hic dicitur, quae desponsata erat, propter proximum, ut Jacobus sperabat, matrimonium. Sic Maria Josepho desponsa γυνὴ αὐτοῦ dicitur Matth. I, 20. כִּי מָלְאוּ יָמַי *Nam completi sunt dies mei*, i. e. ימי עבודתי *dies servitutis meae*, septem anni θητείας, quibus tibi serviturum ea lege pactus sum, ut minorem filiam mihi collocares. Sine ratione Hebraei nonnulli, et J. D. Michaelis quoque, diebus suis, quos Jacobus dicit expletos, intelligunt annos aetatis, quasi jam maturus sit uxori, nec diutius possit aut debeat nuptias differre, si velit prolem suscipere.

23. Noctu Laban Leam, filium suam natu majorem Jacobo in congressum supposuit, quod facile fieri potuit, quia sponsae vultu velato in thalamum ducebantur, quod etiamnum moris est in orientis regionibus. Vid. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 94. p. 137.

24. וַיִּתֵּן לָבָן לָהּ אֶת זִלְפָּה שִׁפְחָתוֹ *Deditque Laban ei Zilpam ancillam suam*, additque relativum explicandi causa, לְלֵאָה בִתּוֹ *Leae, filiae suae.* Ita moris erat, sponsis, ubi nuberent, ancillas adjungi, uti et supra XXIV, 61. de Rebecca dictum est. Cf. *das alte u. neue Morgenl.* l. c. No. 95. et *Dougtaei Analecta SS.* Exc. XVIII. p. 32.

26. לֹא־יֵעָשֶׂה כֵן *Non fiet ita*, i. e. non fieri solet. Futurum apud Hebraeos saepe consuetudinem significat, ut hoc loco. Hinc recte Hieronymus: *non est in loco nostro consuetudinis.* לָתֵת הַצְּעִירָה לִפְנֵי הַבְּכִירָה *Dare parvam*, i. e. ut nuptui detur junior *ante primogenitam.* Idem mos etiamnum obtinet apud Indos; vid. *das alte u. neue Morgenl.* l. c. No. 96.

27. Verba מַלֵּא שְׁבֻעַ זֹאת non sunt vertenda: *comple hebdomadem hanc*, ut Onkelos, qui שְׁבוּעֲתָא דָא posuit, tunc enim שָׁבֻעַ, per Camez, erat dicendum, sed: *comple hebdomadem hujus*, quum שְׁבֻעַ, per Schva, Jar-

chio monente, sit in regimine. Ita et LXX. ἕβδομα ταύτης, et Vulgatus: *imple hebdomadam dierum hujus copulae.* Ambiguum tamen est in his verbis primum, Pronomen זאת ad utram referendum sit, Leamne an Rachelam, deinde, quum שָׁבוּעַ *hebdomas* Hebraeis et *dierum* sit, ut Deut. XVI, 9, ubi septem hebdomades a Paschatis festo ad Pentecosten statuuntur, et *annorum*, ut Dan. IX, 24., dubium, hic utrum sit intelligendum. Hebraei quidem fere intelligi volunt hebdomadem nuptialis convivii, quod fecit Laban, quando Leam Jacobo collocavit (Vs. 22.), quam hebdomadem praeterlabi necesse erat, antequam Rachelem ducere posset. Nam convivia nuptialia per septiduum fuisse celebrata, colligere est ex Jud. XIV, 12. et Tob. XI, 20. Ita et Hieronymus in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l. „Postquam Leam Jacob fraude deceptus pro Rachele uxorem acceperat, dicitur ei a socero Laban, ut septem dies post nuptias sororis prioris expleat, et sic accipiat Rachel, pro qua iterum septem annis aliis serviturus sit. Non igitur, ut quidam male existimant, post septem annos alios Rachel accepit uxorem, sed post septem dies nuptiarum uxoris primae.“ Sed *hebdomadem annorum* per שָׁבוּעַ hoc loco intelligi, recentiorum interpretum plures inde colligunt, quod Laban mox se declarans dicit: *tum dabimus et hanc,* Rachelam *pro servitute, quam servies apud me aliis septem annis.* Quae ratio tamen minus valida videtur; iis enim verbis duntaxat ostenditur, qua conditione etiam Rachela danda esset Jacobo; at per *hebdomadem hujus* intelligendum esse *septennium Rachelae,* haud quaquam inde adstruitur. Imo cum dicitur: *imple hebdomadem hujus, et dabimus tibi etiam hanc,* et Vs. 28.: *Et ita fecit Jacob, et implevit hebdomadem illius, et dedit et etiam Rachelam in uxorem;* si de septennio Rachelae exponendum esset, sequeretur, Jacobum nonnisi exacto altero septennio duxisse Rachelam. Quod tamen ut sumamus vetat illud, quod infra XXX, 1. Rachela dicitur invidisse foecunditati sororis suae, quod non facere potuisset, si in fine secundi

septennii, i. e. quatuordecim annorum, nupsisset Jacobo; nam et ante Josephum natum, in fine haud dubie posterioris septennii (XXX, 24.) Rachela ancillam Bilham dederat Jacobo in supplementum sui (XXX, 3. 4. 5.). Omnibus igitur diligenter expensis Hebraeorum et Hieronymi sententia potior videtur, cui et infra Vs. 30. patrocinatur. In verbis מַלֵּא שְׁבֻעַ זֹאת וְנִתְּנָה לְךָ גַּם־אֶת־זֹאת *imple hebdomadem hujus, et dabimus tibi etiam hanc*, זאת priori loco ad Leam, posteriori autem ad Rachelam est referendum. Dicit Laban de se uno loquens in Plurali נִתְּנָה *dabimus*, linguarum etiam aliarum more (cf. *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 800. not.), licet Moses-ben-Nachman velit, eum sic loqui de se, et hominibus loci, quo degit (Vs. 22.), qui non sint passuri fieri contra regionis morem ut minor natu nubat ante majorem. At in codice Samaritano est אתן *dabo*, consentientibus LXX., qui *δώσω* habent, quod emendationem sapit.

29. Uti supra Vs. 24. memoratum est, Labanem Leae, filiae, Zilpam ancillam dedisse, ita nunc illum Rachelae adjunxisse Bilham ancillam dicitur. Fit autem in Lea et Rachela elocandis mentio etiam ancillarum illis adjunctarum, quod postea eae a dominis suis sint datae Jacobo marito ad prolem suscipiendam; vid. infra XXX, 3. 9.

31. וַיַּרְא יְהוָה כִּי־שְׂנוּאָה לֵאָה *Et vidit Jova, exosam esse Leam*, i. e. minus amatam, ut Vs. 30. diserte dicitur. Cf. Mal. I, 3. et not. ad eum loc.

32. רְאוּבֵן potest vel significare: *videte filium!* i. e. videte, ut mihi filium Deus dederit, et hoc me signo ostenderit non esse a se abjectam; vel: *respectus* divini *filius*, ex רְאִי *visio, respectus. Videre* enim aliquid, de Deo usurpatum, saepe perinde est ac miseris opitulari, vid. Exod. III, 7. Sic et Latini loquebantur, uti Clericus observat, unde Virgilius *Aen.* I, 790. Anchisen ita inducit loquentem:

Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Adspice nos.

Ubi Servius: „Quia intuentes Dii juvant. Nam de Jove in X. libro sic ait: *et Libyae defixit lumina regnis.* Et contra: *Diva solo fixas oculos aversa tenebat.*“ Utraque illa nominis רְאוּבֵן interpretatio sensu convenit cum ea, quam Lea ipsa hoc Versu dedit. Haud quaquam igitur necesse, ut cum *J. D. Michaelis* in *Biblioth. Or.* T. IX. p. 197., et in *Supplemm.* p. 2210. pro רְאוּבֵן legamus רְאוּבֵל, Syro et Josepho auctoribus, quorum ille ܪܘܒܝܠ, hic Ῥούβηλος ponit, hanc nominis interpretationem addens (*Antiqq.* L. I. Cap. 19. §. 8.): Διότι κατ᾽ ἔλεον αὐτῇ τοῦ Θεοῦ γένοιτο· τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ ὄνομα. *Eo quod miseratione divina ei contigit; id enim significat nomen istud.* „Nihil omnino,“ inquit Michaelis, „de Deo nomen habet, nisi רְאוּבֵל efferas. Vera et antiqua nominis fuisse adpellatio videtur, nec quidem a Syro et Josepho in suis codicibus Hebraicis lecta, sed usu quotidiano linguae servata. Sic pro mira nominum propriorum compositione et allusione ad plures radices compositum nomen ex רָאָה *vidit*, et רָאַב, Arabice رَأَبَ *amicitiam conciliavit;* Dei nomen in ל superest, ראובל pro ראובאל.“ Verum quod Syrus et Josephus *Rubel* nomen efferunt, mera est literarum liquidarum *n* et *l* permutatio, omnibus linguis frequens; vid. Gesenii Lexic. sub lit. ל, et Ejusd. *Ausführl. Lehrgeb.* p. 129.

33. כִּי שָׁמַע יְהוָֹה *Quod audivit*, i. e. exaudivit preces meas *Jova.* Valet igitur שָׁמַע hic idem quod רָאָה in Versu superiore. Nomen שִׁמְעוֹן a שָׁמַע *auditum* et *exauditionem* significat. Similem in nominibus liberis imponendis rationem hodienum plures Orientis populi sequi solent; vid. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 97. p. 139.

34. עַתָּה הַפַּעַם *Nunc hac vice*, nunc demum, ut 1 Sam. XXVII, 1. — יִלָּוֶה אִישִׁי אֵלַי *Associabitur vir meus ad me*, mecum ita assidue, ut cum Rachela, co-

habitabit. „لوى, לָוָה, apud Arabas est *comitari*, quod huic loco non male convenit; significat enim Lea, Jacobum perpetuum posthac sibi comitem futurum. Hinc dictus לֵוִי, quasi *comes.*" *Cleric.* Hieronymus in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l.: „Aquila interpretatus est: *applicabitur mihi vir meus*, quod Hebraice dicitur *Illave*, et a doctoribus Hebraeorum aliter transfertur, ut dicant: *prosequetur me vir meus*, id est, non ambigo de amore in me viri mei, erit mihi in hac vita comes, et ejus dilectio me ad mortem usque deducet et prosequetur." Ceterum quum Versibus duobus, qui praecedunt, Verbum femininum positum sit, וַתִּקְרָא שְׁמוֹ *vocavit* scil. mater *nomen ejus* (matrum enim erat, infantibus nomen imponere, vid. *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 98. p. 141.); hic Verbum masculinum ponitur, קָרָא־שְׁמוֹ, quod haud dubie indefinite est intelligendum, subaudito Participio קֹרֵא, *vocatum est ejus nomen*, nomen ei indiderunt, qui ex ea hoc audierant, quod dixisset deinceps sibi virum adjunctum iri. Quod in codice Samaritano legitur, קראה, ab aliquo, qui textum emendare studeret, profectum videtur.

35. אוֹדֶה אֶת־יְהוָֹה *Celebrabo,* laudabo *Jovam.* Quum הוֹדָה proprie *confiteri, profiteri* denotet, LXX. hoc Verbum constanter ἐξομολογεῖν, et Vulgatus *confiteri* reddiderunt. „Veruntamen," observat Hieronymus in *Quaestt.* ad h. l., „hic *confessio* pro gratiarum actione, aut pro laude accipitur, ut frequenter in Psalmis et in Evangelio [Matth. XXI, 25.]: *Confitebor tibi, Domine, pater coeli et terrae*, id est, gratias ago tibi, sive glorifico te." A יוֹדֶה igitur יְהוּדָה *laudem* significabit, ה formativo τοῦ Hiphil expresso, more Chaldaico, ut יְהוֹדֶה *laudabit*, Nehem. XI, 17. Vid. *Geseni Ausführl. Lehrg.* p. 386.

8. *Bilhae et Zilphae, Jacobi concubinarum, filii. Lea Issacharem, Zebulonem et Dinam, Rachela Josephum parit. Jacobus reditum in Cananaeam parans, nova pactione facta, per sexennium apud Labanem manet, atque ditescit, triplici adhibito in gregibus artificio; Cap. XXX.*

Cap. XXX, 1. מֵתָה אָנֹכִי *Ego moriar*, prae dolore, quia sterilitas probrosa erat, vid. infra Vs. 23.

2. הֲתַחַת אֱלֹהִים אָנֹכִי *An Dei loco sum?* i. e. an me instar Dei habes, ut a me liberos petas? nam Deus solus, ut sterilis foecunda evadat, efficere potest. Eadem phrasis infra Cap. L, 19, פְּרִי־בָטֶן *Uteri fructus*, i. e. soboles, καρπὸς κοιλίας, conf. Luc. I. 42.

3. הִנֵּה אֲמָתִי בִלְהָה בֹּא אֵלֶיהָ *Ineas ancillam meam Bilham.* Agit hic Rachela ex istorum temporum more, ex quo liberi ex marito et ancilla nati ab uxoribus pro liberis a se editis habebantur; vid. not. ad XVI. 2. וְתֵלֵד עַל־בִּרְכַּי *Pariet super genua mea*, i. e. ut filium ex ancilla natum pro meo excipiam, et super genua statuam. וְאִבָּנֶה גַם־אָנֹכִי מִמֶּנָּה *Et aedificabor etiam ego ex illa*, i. e. ut liberos ex ea consequar; vid. ad XVI, 2.

6. דָּנַנִּי אֱלֹהִים *Judicavit me*, caussam meam egit *Deus*, vindicavit me a probro sterilitatis.

8. נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים נִפְתַּלְתִּי עִם־אֲחֹתִי גַּם־יָכֹלְתִּי *Distorsionibus Dei*, i. e. luctationibus quam maximis, *intorsi me*, luctata sum, *cum sorore mea*, *etiam praevalui*, et tandem praevalui illi. Qui luctantur membra distorquent et versant huc illuc, ut eos, quibuscum colluctantur, dejiciant et vincant. Quod videntur LXX. voluisse per id quod verterunt συναντεστράφην. Contendi, inquit, quibuscunque potui rationibus cum sorore, ut prole eam aequarem, et pari gradu cum illa essem apud maritum, et quia ex me suscepta prole non potui, quod sterilis hactenus fuerim, precibus egi apud Deum, sed tandem, quum nihil obtinerem, ancilla data, prolem ex ea habui. Haec omnia *luctas* appellat *cum sorore*, quasi dicat, nul-

lum non lapidem movi, ut sorori aequarer. נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים vix aliae esse possunt, atque luctationes vehementissimae, quemadmodum Ps. LXXX, 11. אַרְזֵי אֵל *cedri Dei* sunt valde procerae, et Ps. XXXVI, 7. הַרְרֵי אֵל *montes perquam excelsi*, nec non Cant. VIII. 6. שַׁלְהֶבֶתְיָה *flamma Jovae*, maxima, ardentissima. Cf. *Vorstii de Hebraism. N. T. Comment.* p. 397. sequ. ed. Fisch. Quod enim alii luctationes, quae Dei auxilio perfectae essent, illa phrasi designari putant, parum est verisimile. Ita tamen LXX. cepisse videntur, qui pro נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים posuerunt: *συναντελάβετό μου ὁ Θεὸς, adjuvit me Deus.* Quod vetus Latinus, sive Vulgatus, interpres hunc locum ita vertit: *comparavit me Dominus cum sorore mea, et invalui*, inde factum videtur, quod verba proprie hoc dicere putaret: *conjunctionibus Dei sum conjuncta*, comparata, et aequata *sorori meae*, quod פָּתִיל est *filum*, sibi invicem conjunctum et glomeratum. Sed filum potius ab *intorquendo* et *retorquendo* nomen illud nactum videtur. Onkelos locum hac periphrasi exponit: *Suscepit Deus precationem meam, cum precata sum in oratione mea; concupivi, ut esset mihi filius, uti sorori meae, et datus est mihi.* Sensum utcunque expressit, neglecta propria verborum significatione. Ab eo non multum discedit Syrus, cujus interpretatio, prouti in codicibus Usseriano et Pocockiano legitur (nam in textu Polyglottor. manca est), talis est: *precata sum a Domino, et supplicavi una cum sorore mea, et etiam assequuta sum.* Saadias: عَطْفَةً مِنْ عِنْدَ ٱللّٰهِ ٱنْعَطَفْتُ مَعْ أُخْتِي *propensam voluntatem a Deo mihi conciliavi una cum sorore mea.* Clericus נַפְתּוּלִים *artes* interpretatur, et Verbum נִפְתַּל sequente Praepositione עִם *cum*, vertit *arte certare*, collato נִפְתָּלִים Job. V, 13. *dolosos* significante; et Prov. VIII, 8., ubi Sapientia dicit, *justa esse omnia sua dicta, et nullum inter ea* נִפְתָּל *obliquum*, s. *dolosum.* Arabicum فَتَلَ quoque proprie *torsit*, tum ali-

quem *circumviit* eum decipiendi causa, *stropham in eum meditatus fuit*, significat. Unde locum sic interpretatur: *artibus Dei cum sorore certavi et superior fui. Artes Dei* dici putat egregias, quibus nihil melius fingi poterat. Mireris Clericum non adduxisse *Josephi* in *Antiqq.* L. I. Cap. 19. §. 18. prolatam nominis נַפְתָּלִי interpretationem, quae talis est: Καὶ μετὰ τοῦτον Νεφθαλείμ, ἀμηχάνητος οἷον, διὰ τὸ ἀντιτεχνάσασθαι πρὸς τὴν εὐτεκνίαν τῆς ἀδελφῆς. *Et post hunc* (peperit) *Nephtalim, quasi nullis dolis expugnandus, quod mater ejus arte certaverit cum sororis foecunditate.* Obtinet tamen et in Clerici et Josephi interpretatione *certandi* notio, unde praestet נַפְתּוּלִים *certamina, luctas* vertere. Erit igitur נַפְתָּלִי, ut appellativum נַפְתּוּלִי, nomen ex Niphal formatum, *luctatio mea*, matris cum sorore; q. d. *Luctatius*, nomine Romanis usitato, observante *Simonis* in *Onomast.* p. 320.

11. Pro בָּגָד Masorethae ad marginem praecipiunt בָּא גָד legendum, quod et Onkelos expressit per אֲתָא גָד *venit fortuna*, et Jonathan per מַזָּלָא טָבָא *sidus faustum*, quod ipsum Jarchi sequutus, qui praeterea monet, גָד hic eodem significatu usurpari ac in formula adagiali: גד גדי וסנוק לא *prosperam largitur fortunam meam, et lassitudo non sit* (uti Buxtorfius illam vertit in *Lex. Chald.* p. 387.), et pro *sidere fausto* גָד et Jesaj. LXV, 11. sumi. Qui hanc probant sententiam interpretes, Fortunam, seu Δαίμονα γενέθλιον, a Lea imploratum existimant, quasi partui ancillae bene esset ominata ex majorum superstitione, qua proles et alia fausta sideribus tribuebantur. Creditum enim fuit, cuilibet ab ipsa nativitate genium certum quem implorabant, attribui, qui perpetuus individuusque prolis sit comes ac homini ad extremum usque halitum praesit, Horatio *Epist.* II. 2. 187. *Genius, natale comes qui temperat astrum.* De qua veterum opinione pluribus egit, qui diligenter hunc locum tractavit, *Jo. Conr. Dietericus* in *Antiqq. biblic.* p. 119. seqq. Vid. et *Seldenus de Diis Syris*, Synt. I. Cap. 1. Ne-

quaquam tamen necesse est, respexisse Leam ad istam superstitionem. Simplicissimum est, quod in textu scriptum est, בְּגָד efferre, et cum LXX. vertere ἐν τύχῃ *feliciter, auspicato*, scil. hoc mihi accidit, quod ancilla viro data filium sit enixa. Vel, ut tanquam votum capiatur: *auspicato!* bene vertat! ut sibi deinceps bene ominetur hac prole edita ex ancilla. Alii גָּד idem quod גְּדוּד *turma* esse volunt, et cum Masorethis בָּא גָד legunt, quasi dicat Lea: *venit turma* scil. filiorum, circumstat me filiorum agmen, quo respicere putant Jacobum in voto pro Gado infra XLIX, 19. Sed ibi est mera ad nomen גָּד allusio, e qua minime colligi potest, esse גָּד ejusdem cum גְּדוּד significationis. Attamen eodem modo גָּד cepisse videtur et Aquila, qui, Hieronymo referente. *venit accinctio* vertit, quasi גָּד sit a גוּד sive גָּדַד *turmatim irruere*, laud. Genes. loco.

13. בְּאָשְׁרִי *In felicitate mea*, s. in felicitatem meam, hoc ad meam felicitatem accedit, quod secundum mihi filium Zilpa edidit. LXX. Μακαρία ἐγώ. כִּי אִשְּׁרוּנִי בָּנוֹת *Nam felicem me praedicant filiae*, mulieres et puellae propter multitudinem liberorum, cum ex me, tum ex ancilla mea, quam dedi marito, susceptorum.

14. וַיֵּלֶךְ רְאוּבֵן בִּימֵי קְצִיר־חִטִּים *Exierat Ruben in diebus messis tritici*, quae in illis regionibus mense Majo fieri solet; vid. *J. G. Buhle Calendar. Palaest. oeconom.* p. 29., et *G. F. Walchii Calendar. Palaest.* p. 25. וַיִּמְצָא דוּדָאִים בַּשָּׂדֶה *Invenitque in agro mandragoras*, ita post LXX. et Josephum, qui μῆλα μανδραγορῶν posuere, et Hieronymus דוּדָאִים vertit. Idem Onkelos et Syrus: יַבְרוּחִין, et Saadias: لُفَّاح, quo utroque nomine *mandragora* designatur. De nomine יַבְרוּחִין vid. *Herbelotii Biblioth. Orient.* s. v. *Atrenk*, collata voce *Abrusanam*. Est ex opinione totius fere Orientis mandragorae magna in philtris vis, ideoque iis misceri solet. Hinc Rachela tantopere hunc fructum adpetisse videtur,

mariti sobolisque cupida. Quod enim obvertit *Celsius Hierobot.* P. I. p. 9. et 11., nullam ad amores virtutem mandragorae inesse, nec sanctae et innocenti foeminae in patriarchali familia longe alios mores edoctae, tales tribui artes debere; utrumque parum momenti facit, ut monet *J. D. Michaelis* ad *Lowthum de Poës. Hebr.* Prael. XXXI. Not. 137. p. 639. edit. Lips., et in *Supplemm.* p. 412. 413. Sufficit, Orientales mulieres hanc vim mandragorae tribuisse, in quo utcumque errarint, hic tamen error faciebat, ut valde fructum tam potentem adpeterent. Sanctitatem autem et verecundiam Rachelae non multum laudarit, qui ejus historiam sine partium studio legerit. Quae idola et colebat et vero furabatur, idque patri, potuit et mandragora devincire sibi velle maritum. Mores certe a patre non meliores edocta erat, quippe qui filiam suam virginem inscio Jacobo prostituebat. Verum et ipsum tempus, quo Ruben hunc fructum inveniebat, mandragorae aptum est, ut ostendit *Michaelis* in *Supplemm.* p. 413. Messis enim triticeae tempore דּוּדָאִים adferuntur, et vero, ut ex serie orationis colligi potest, non flores, qui nihil habent jucunditatis, nec efficaces creduntur, sed mala, ut et LXX. distinctius vertunt, μῆλα μανδραγόρου: mala autem mense Maio, in quod tempus messis triticea incidere solet, habet, jamque defloruit; teste *Hasselquisto* in *Itinerario Palaest.* p. 183. 184. Dicit enim hic sub *quinto Maii*, in Galilaea eo die versatus: *quod notatu dignum se mihi spectaculum offerebat, mandragora erat, sed voluptate eam florentem videndi, negata. Fructus prope maturi cauli adhaerebant, marcido jam et humo cubanti. Messis triticeae tempore Rahelae Dudaim adferebantur, quae quidem per Galilaeam in Maium mensem incidit, quo mandragora jam defloruit.* Sunt plures aliae de דּוּדָאִים sententiae, quas longum foret hic enarrare. Potiores attulit *G. B. Winer* in *dem bibl. Realwörterbuch* p. 32. sub voc. *Alraun.* Cf. et librum nostrum: *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 100. p. 143. seqq.

15. הַמְעַט קַחְתֵּךְ אֶת־אִישִׁי *Num parum?* i. e. non sufficit tibi, *accipere te virum meum*, te vindicare tibi virum meum; ita vocat Jacobum, quod tam numerosa prole jam eum sibi plurimum devinxisset et conciliasset, quasi jam suus, non Rachelae esset. Nec tamen a Rachela abhorrebat Iacobus, quin potius, ob formam, cum ea saepius consuetudinem habebat, quam ei Lea invidet. Verba quae sequuntur, וְלָקַחַת גַּם אֶת־דּוּדָאֵי בְּנִי, Jarchi observat esse interrogantis et admirantis, hoc sensu: num insuper et hoc tibi faciendum erat, ut filii mei mandragoras tibi vindicare studeas? Respondit Rachela. לָכֵן יִשְׁכַּב עִמָּךְ הַלַּיְלָה תַּחַת דּוּדָאֵי בְנֵךְ *Ideo*, si ergo tanti istas facias mandragoras, *cubet tecum hac nocte* (pro הַלַּיְלָה הַזֹּאת, ut הַיּוֹם pro הַיּוֹם הַזֶּה) *pro mandragoris filii tui*; „mihi quippe," ut exponit Jarchi, „concubitus cum marito hac nocte competit, ego vero illum tibi pro mandragoris filii tui concedo." Videntur duae sorores noctes, quibus cum marito cubarent, inter se distribuisse, consensu tamen mariti et voluntate. Ceterum reticetur hic, quod attentus lector facile supplere potest; consensisse Leam, et mandragoras, pro nocte viri Rachelae concessisse.

16. „In Samaritano codice post תָּבֹא *congredieris* est הלילה *hac nocte.* LXX. vero habent σήμερον *hodie*; unde, ut ex aliis multis locis, Samaritas ex Graeca versione suos non emendasse codices, ut quidam conjecerunt, manifestum est." *Cleric.*

17. וַיִּשְׁמַע אֱלֹהִים אֶל־לֵאָה *Et audivit Deus ad Leam*, i. e. exaudivit preces ejus, ut recte Hieronymus vertit; nam quum diu sterilis mansisset (vid. supra Vs. 9.), precata erat ut rursus foecunda fieret. וַתֵּלֶד לְיַעֲקֹב בֵּן חֲמִישִׁי *Peperitque Jacobo filium quintum*, qui tamen potius septimus erat dicendus, si duo ancillae filii ei adscribuntur. Sed habetur ratio quatuor primorum ex ipsa natorum.

18. וַתֹּאמֶר לֵאָה *Et dixit Lea*, causam nominis filio impositi expositura, נָתַן אֱלֹהִים שְׂכָרִי אֲשֶׁר־נָתַתִּי שִׁפְחָתִי

לְאִישִׁי *dedit Deus mercedem meam* pro eo *quod dederam ancillam meam viro meo.* Videri poterat nomen impositum a mercede mandragorarum, quam solverat sorori; sed maluit interpretari sibi concessam prolem pro eo quod ancillam marito prolis suscipiendae causa dedisset; unde colligere est, Leam sibi egregium facinus visam designasse, cum ancillam marito tradiderat. Nomen יִשָּׂשכָר contracte pro יִשָּׂא שָׂכָר *affert mercedem* scil. Deus. Ceterum in hoc nomine ש posterius prorsus abundat, quare nec puncto vocali, nec puncto dextro aut sinistro more solito affectum, sed ejus loco est Dagesch in priori שׂ, quod eam geminat.

20. זְבָדַנִי אֱלֹהִים אֹתִי זֵבֶד טוֹב *Donavit me Deus dono insigni.* De Verbo זָבַד vid. *J. D. Michaelis Supplemm.* p. 582. seqq., qui contra A Schultensium, in *Origg. Hebrr.* L. I. Cap. 3. §. 16., negantem inesse Verbo illi *donandi* notionem, quod Arabibus زَبَدَ denotat: *parum quid dedit de opibus suis*, recte monet, nihil valere eam rationem; „qui enim unquam ad dialectos vel suae patriae attendit, is intelliget, quae verba alteri dialecto magna sunt, et honorata, alteri viliora esse." LXX. Δεδώρηται ὁ Θεός μοι δῶρον καλὸν, Hieronymus: *dotavit me Deus dote bona.* Onkelos: יְהַב־יְיָ יָתִיה לִי חוּלָק טָב *dedit Jova illum mihi partem bonam*: Syrus Verbum et Nomen Hebraeum retinuit. Saadias: قَدْ فَوَّضَنِي ٱللّٰهُ تَفْوِيضَ خَيْرٍ *jam profudit in me Deus affluentiam boni.* Arabs ab Erpenio editus: ساهمنى الله سهما جيدا *sortem bonam assignavit mihi Deus.* הַפַּעַם יִזְבְּלֵנִי אִישִׁי *Hac vice*, nunc tandem, *habitabit mecum maritus meus*, i. e. mecum potius quam cum sorore versabitur, nec meum lectum deseret. Quod antea faciebat Jacobus, ut e Vs. 15. seqq. colligere est. Hinc LXX. αἱρετιεῖ με, *eliget me*, potius quam sororem. Hie-

ronymus in *Quaestt.:* „Est sensus: quia sex filios genui Jacob, propterea jam secura sum; habitabit enim mecum vir meus. Unde et filius meus vocatur *habitaculum.*“

21. Hebraei notant, de Dina nec dici, ut de filiis, וַתַּהַר וַתֵּלֶד, neque rationem nominis afferri. Sane quod tanta in genealogiis feminarum non habetur ratio, obiter tantum hic memoratur, et ob ea, quae infra XXXIV. de ejus raptu narrantur, ne novus esset lector.

22. וַיִּזְכֹּר אֱלֹהִים אֶת־רָחֵל *Sed recordatus est Deus et Rachelae.* „Quia iis, quorum obliti sumus, nullam opem ferimus; quos non juvat Deus, eorum immemor esse dicitur, et vice versa eorum meminisse, quorum preces exaudit, et quibus auxiliatur. Vid. supra VIII, 1. Hinc Arabs [Saadias] hic habet رعى *favit* [potius: *curavit, respexit*]. Vid. et 1 Sam. I, 11. 19.“ *Cleric.*

23. אָסַף אֱלֹהִים אֶת־חֶרְפָּתִי *Abstulit Deus opprobrium meum,* quo ob sterilitatem afficiebatur. אָסַף proprie *collegit* denotat, hinc retraxit, sustulit, veluti unum in locum coegit, ne ultra adspectui pateat.

24. Non a sublato opprobrio, ut secundum Vs. 23. exspectes, Josepho nomen imponit, sed ab *auctu*, seu *accessione*, quae notio Verbo יָסַף inest. Utroque tamen potuit respicere Rachela, licet nonnihil improprie et allusione magis vocis ab אָסַף, ut Issaschar supra Vs. 18. a duplici mercede dici videtur. יֹסֵף יְהוָה לִי בֵּן אַחֵר *Addet mihi Jova filium alium.* Sic malo, quam votum seu precationem, *addat.* Sibi bene ominatur, et ex uno tandem suscepto filio sibi pollicetur, ut novam insuper prolem nanciscatur, quasi diceret: postquam coepi parere, propitius mihi erit et adhuc Deus. Qui Geneseos librum e variis variorum librorum laciniis compositum volunt, duplicem, quae duobus hisce Versibus affertur nominis Josephi rationem adscribunt duorum scriptorum relationibus, quorum unus nomen אֱלֹהִים, quod Vs. 23., alter nomen יְהוָה, hoc Versu usurpatum, de Deo adhibere soleret.

Vid. *Ilgenii* libr. *die Urkunden des Jerusalemschen Tempelarchivs* p. 491. Nobis tamen parum videtur probabile, eum qui librum hunc conscripsit, diversas e duobus monumentis ejusdem nominis rationes conjunxisse. Praeterea duo hi Versus arctissime cohaerent, quos si divellas, neuter sanum sensum habebit.

25. Jam transit ad alia, quae Jacobo post quatuordecim annos servitutis pro uxoribus sequenti sexennio ad annum usque vigesimum, cum e Mesopotamia discessit, evenerunt. שַׁלְּחֵנִי *Dimitte me*, cum bona tua venia liceat mihi abire. Tacite etiam mercedem aliquam laborum suorum exposcit, neque enim vacuum dimittere eum poterat Laban, quod ab hoc probe intellectum esse, ejus responsio Vs. 28. ostendit.

26. כִּי אַתָּה יָדַעְתָּ אֶת־עֲבֹדָתִי אֲשֶׁר עֲבַדְתִּיךָ *Tu enim nosti servitutem meam, qua tibi inservii*, operam meam tibi impensam, quam fideliter et gnaviter his quatuordecim annis tibi navarim meam operam.

27. אִם־נָא מָצָאתִי חֵן בְּעֵינֶיךָ *Si, quaeso, inveni gratiam in oculis tuis*, oratio manca, uti apparet collato loco supra XVIII, 3. Sunt, qui Labanem turbatum et iniquo animo ferentem Jacobi verba, orationem non complesse putent, aposiopesi scilicet, אַל־נָא תַּעֲזֹב אֹתִי *ne, quaeso, me deseras*. Ita Saadias, qui أَقِمْ *maneas*, addit. Alii jungunt haec verbis נָקְבָה שְׂכָרְךָ *constituas mercedem tuam* Vs. proximo, et reliqua, quae hoc Versu sequuntur, interjecta et per parenthesin legenda volunt. Simplicius videtur, cum Clerico subaudire שְׁמָעֵנִי *audi me*, aut simile quid. Quidam interogative: *num inveniam gratiam in oculis tuis?* quod tamen vix admittat rogandi Particula נָא. Quod sequitur, נִחַשְׁתִּי, Hebraeorum plures exponunt: *augurando*, seu *divinando cognovi*, didici, me fortunasse Deum tui causa; quasi revera augurio id se cognovisse Laban dicat, e suis Theraphim, idolis, quae illi posthac Rachela suffurata est, vid infra XXXI, 18. Placuit id Clerico quoque. „Quum Laban," inquit,

„videret crevisse pecus suum, mirum in modum, nec satis sciret, casune, an Generi cura hoc fieret; divinatione usus est, ut ejus rei causam cognosceret, comperitque, Deum Jacobi (quem Jehovam appellat, more aevi sui, qui verborum Labanis sensum expressit, Moses), sibi propter Generum benedixisse.“ Nec tamen hoc sumere opus. Videtur enim Hebraeum נִחֵשׁ latius capi, ut Latinorum *augurari*, pro suspicari, conjecturâ assequi. LXX. οἰωνισάμην. Hieronymus: *experimento didici.* Nec aliter Onkelos et Syrus, qui suo בַּסֵּי sunt usi, et Saadias, qui جَرَّبْتُ posuit. *J. D. Michaelis* in *Suppl.* p. 1632. collato Arabico نَحِسَ *infelix, infaustus fuit*, נִחַשְׁתִּי vertit: *infelix antea eram*, multa adversa et calamitosa gregi meo acciderunt antea. Quod miror probatum esse *C. Aurivillio*, qui in Dissertat. in Genes. XLIV, 5. in ejus *Dissertatt junct. editt.* p. 267., verborum Labanis sensum putat hunc esse: haud sane prospere mihi cessit olim cura familiaris rei, ut tuo simul ac uti coepi ministerio, benedixit mihi Deus. Sed istum verbi Arabici significatum Hebraeis usu receptum fuisse, sine ratione sumitur.

28. נָקְבָה שְׂכָרְךָ *Designa mercedem tuam.* נָקְבָה LXX. διάστειλον, *distingue*, i. e. accurate indica, Onkelos פָּרֵישׁ *explica* verterunt. עָלַי nonnulli nil aliud nisi לִי *mihi* significare volunt. Sed videtur proprie capiendum: *super me*, quod plus est, quam: *mihi;* quasi dicat: mercedem mihi tuam designa, *quam meum sit*, quam mihi incumbit persolvere, mihi persolvendam. Hieronymus: *constitue mercedem tuam, quam dem tibi.*

29. וְאֵת אֲשֶׁר־הָיָה מִקְנְךָ אִתִּי *Et quid fuerit pecus tuum mecum*, i. e. Jarchio explicante, את חשבון מעוט מקנך שבא לידי מתחלת כמה היו nosti, *numerus parvus pecoris tui, quod mihi concreditum fuit, quantus evaserit*, tibi haud ignotum est, quomodo exiguus ille ovium tuarum numerus fideli mea cura auctus sit.

30. כִּי מְעַט אֲשֶׁר־הָיָה לְךָ לְפָנַי *Nam parum erat quod erat tibi ante me*, i. e. ante meum adventum. Alii cum LXX. *ἐναντίον ἐμοῦ, coram me*, cum illud ab initio custodirem. Malim de tempore capere. וַיִּפְרֹץ לָרֹב *At erupit ad copiam*, abunde excrevit, ut omnia septa rumpat, et locis vix certis capi queat. Hoc significatu verbum פָּרַץ et supra XXVIII. 14. aderat; cf. not. ad Hos. IV, 10. — וַיְבָרֶךְ יְהוָה אֹתְךָ לְרַגְלִי *Et fortunavit te Deus ad pedem meum*, ad meum adventum, ex quo pedem domum tuam intuli. Alii: ad ingressum et egressum meum, dum huc illuc tua causa et tui pecoris circumcursavi. Sed praeferimus prius. Ita et Jarchi, qui לְרַגְלִי ita exponit: עם רגלי בשביל ביאת רגלי *cum pede meo, propter adventum pedis mei* fortunavit te Deus. Confert similem loquutionem Exod. XI, 8. הָעָם אֲשֶׁר־בְּרַגְלֶיךָ *populus qui in s. cum pedibus tuis*, i. e. qui tecum venit, et Jud. VIII, 5. לָעָם אֲשֶׁר בְּרַגְלָי *populo qui cum pedibus meis*, i. e. qui mecum venerunt. וְעַתָּה מָתַי אֶעֱשֶׂה גַם־אָנֹכִי לְבֵיתִי *Nunc autem quando faciam etiam ego domui meae*, i. e. לצורך ביתי *necessitati domus meae*, Jarchio explicante. Quando tandem prospiciam rebus meis? Hieronymus: *justum est igitur, ut aliquando provideam etiam domui meae.*

31. וַיֹּאמֶר מָה־אֶתֶּן לָךְ *Dixitque*, scil. Laban, ut ex orationis serie liquet, *quid dabo tibi?* quantum mercedis poscis?

32. אֶעֱבֹר בְּכָל־צֹאנְךָ הַיּוֹם *Transibo per totum pecus tuum hodie.* Vulgatus vertit: *gyra per omnes greges tuos*, ut melius fluat oratio, quum mox Imperativus subjiciatur. Sed loquitur Jacobus de se, quod ipsius esset, quum curam gregis haberet, pecus ducere et disponere. Mox vero ad Labanem sermonem convertit: הָסֵר *aufer*, q. d. me hodie per totum tuum pecus transeunte aufer, peto ut auferas, et segreges inde. Alii pro Infinitivo capiunt (estque in codice Samaritano הסיר), vertuntque *auferendo*, i. e. transibo et auferam, seu segre-

gabo. Sed magis est verisimile, Jacobum id Labani dicere, ut ipsemet id faciat, quanta poterit diligentia, ne ulla ei suspicio injiciatur, quod Jacobus aliquid de pecudibus retinuerit. Et mox Vs. 35. Laban hoc fecisse legitur, quod hic petit Jacobus. Utrumque quod hoc Versu occurrit, nomen, צֹאן et שֶׂה, *ovillum* et *caprinum* genus comprehendit. Sed duo haec nomina in eo differunt, quod צֹאן collectivum est, nec nisi de pluribus dicitur, at שֶׂה tantum de singulis. Vid. *Bocharti Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 43. T. I. p. 480. edit. Lips., et cf. Ezech. XLV, 14. Vocem נָקֹד significare *punctatum, punctis*, sive maculis minoribus *respersum*, ostendit Bochartus l. c. Cap. 45. p. 531. טָלוּא a טָלָא *consuere multis pannis et coloribus* de ovibus et capris usurpatum significaret tales earum, quae *maculas habent adspersas*, aut tanquam assutas, ut in centone particulas aut assumenta. A נְקֻדִּים vero ita differre plerique interpretes statuunt, ut טְלוּאִים sint *majoribus maculis variegatae* oves et caprae. Sed טָלוּא potius esse ovem, quae *in nigro aut rufo vellere medias habet maculas albas*, probavit Bochartus l. c. p. 534. Ita habent LXX, qui διάλευκος posuerunt, quod *maculis albis insignem* denotat, consentientibus Onkeloso, qui רְקֹעַ interpretatur, quod convenit cum Arabico رَقْعَاءُ *ovis, quae latera habet alba, et* رَقَّاعٌ *quod nigrum et album est.* Saadias reddidit أَبْلَقُ *albo nigroque colore variegatus*, quod ipsum denotat Arabis ab Erpenio editi مُبَلَّقٌ. חוּם est *fuscus*, a חֹם *calor*, quasi adustus, fumeus, color, Arabibus حُمَمَةٌ est *carbo*, hincque أَحَمُّ *niger*, et حُمَّةٌ *nigredo*. LXX. hunc locum sic reddiderunt: Καὶ διαχώρισον ἐκεῖθεν πᾶν πρόβατον φαιὸν ἐν τοῖς ἄρνασι, καὶ πᾶν διάλευκον καὶ ῥαντὸν ἐν ταῖς αἰξίν. Pro utroque colore, נָקֹד וְטָלוּא, unum posue-

runt, *φαιὸν*, quum hoc sit potius חוּם. Verum ordinem contextus, ut facile videre licet, perverterunt, נָקֹד et טָלוּא *διάλευκον* et *ῥαντὸν* convertentes. Primum itaque, quod generale est, omiserunt, et duo posteriora specialia tantum posuerunt. Totus vero hic locus ita est impeditus, ut jam Hieronymus in *Quaestt. Hebrr.* fassus sit, se usque praesentem diem neminem potuisse invenire, qui ad liquidum, quid in hoc loco diceretur, exponeret. Tres omnino colores hoc Versu poni vides, *punctatum*, *albo nigroque variegatum*, et *fuscum*, duos priores in universum, tam in ovibus, in capris, fuscum speciatim in ovibus, et rursum duos priores speciatim in capris. Petit igitur Jacobus, ut fuscas tantum oves separet Laban, non item punctatas et varias, et rursum capras tantum punctatas et varias, non item fuscas. Verba hujus Versus postrema, וְהָיָה שְׂכָרִי *et erit merces mea*, obscuriora sunt. Nam videtur pro mercede petere quicquid horum trium colorum in capris aut ovibus, separatione facta, inventum fuerit, quod sane plurimum fuisset, et repugnasset Jacobus sibi ipse, qui professus esset, se nihil petere de iis, quae Labanis nunc essent. Sed e progressu narrationis intelligitur, loqui Jacobum de eo, quod in posterum ex sibi relictis ovibus nasciturum sit varium, segregatis Labanis fuscis, maculosis et variegatis. Dicit igitur: *eritque merces mea* videlicet omne fuscum, maculosum aut varium, quod ex unicoloribus, id est, albis aut pure nigris mihi relictis nascetur. Non satis recte haec intellexit Hieronymus, qui Jacobi verba hac paraphrasi explicat: *Separa omnes discolores et varias, tam oves quam capras, et trade in manum filiorum tuorum, rursumque ex utroque grege alba et nigra pecora, id est, unius coloris, da mihi. Si quid igitur ex albis et nigris, quae unius coloris sunt, varium natum erit, meum erit; siquid vero unius coloris, tuum.* Sed Jacobus praeter variegatas oves et capras sibi fuscas oves accedere postulat.

33. וְעָנְתָה־בִּי צִדְקָתִי *Respondebit pro me justitia*, innocentia, *mea*, i. e. testificabitur pro me. עָנָה verbum

forense, *testimonium ferre* pro vel contra, quo sensu semper cum ב construitur; ut Exod. XX, 13. לֹא־תַעֲנֶה בְרֵעֲךָ *non respondebis in socium tuum* testis falsus, non falsum testificaberis in eum. Hoc loco vero ב valet *pro*, ut res ipsa docet. בְּיוֹם מָחָר *Die crastino*, i. e. vel cras, si ita accidat, i. e. in posterum, ubi res acciderit, de qua paciscimur. Voce מָחָר non tantum qui proprie crastinus dicitur dies, sed et quivis sequens significatur, vid. Exod. XIII, 14. Deut. VI, 20. כִּי־יִשְׁאָלְךָ בִנְךָ מָחָר *cum postero tempore rogabit te filius tuus.* — כִּי־תָבוֹא עַל־שְׂכָרִי *Cum veneris super*, s. ad *mercedem meam*, cum vises, quae sit merces mea ex foetibus. Alii תָּבוֹא ad צִדְקָתִי referunt, hoc modo: *cum veniet*, vel, *quia veniet ad mercedem meam* innocentia mea, i. e. adjungetur veluti comes mercedi meae coram te. Sed prior sensus simplicior est, et לְפָנֶיךָ *coram te* referendum ad initium Versus, non ad proxima; testabitur, inquam, *in tuo conspectu*, te praesente. כֹּל אֲשֶׁר־אֵינֶנּוּ נָקֹד וְטָלוּא בָּעִזִּים וְחוּם בַּכְּשָׂבִים גָּנוּב הוּא אִתִּי *Quicquid non fuerit punctatum aut varium in capris, vel fuscum in agnis*, s. *ovibus*, *surreptum erit apud me.* Contestata, inquit, erit fides mea, solo gregum meorum inspectu, in quibus si quid fuerit album pecus ovilli aut caprini generis, aut hujus etiam nigrum, furto tibi sublatum dices.

34. הֵן hic non est *ecce!* sed Particula assentientis, Talmudicis quoque usitatissima. Sic in *Baba-kama* Cap. 8. sub fin. הצדיקים הן שלהם הן ולאו שלהם לאו *Justorum ita est ita, et non eorum est non*, i. e. ubi quid ita esse ajunt, tam certum est, ac si jurejurando asseverassent, item cum quid negant. Cf. Matth. V, 37. In codice Samaritano ita legitur: הן לא יהיה כדבריך, quae verba, ut ostendit *Gesenius* in Commentat. *de Pentat. Samit.* p. 38., hoc modo sunt capienda: *et si non, erit secundum verba tua*, scil., ut ista furto ablata credam. Nam הן Samaritanis valet *si, cum.* לוּ יְהִי כִדְבָרֶךָ *Utinam sit*, fiat, *secundum verbum tuum*, vel, *verba tua*,

si Jod, Pluralis signum, vis desiderari. לוּ hic non est optantis, uti alias plerumque, sed approbantis et assentientis. Neque enim ita cum nonnullis verba capienda, quasi Laban fidem Jacobi suspectam haberet, q. d.: utinam ita facias, ut loqueris, et nihil de meo surripias. Sed significat potius, se conditionem accipere: sit sane! gratum habeo, quod postulas. Persuadebat enim sibi Laban, foetus omnes sibi futuros, quia contra naturam fit, ut alba pecora non pariant alba, nigra, nigra. Sed naturam immutavit Jacobus arte, ut Vs. 37. seqq. narrabitur.

35. וַיָּסַר בַּיּוֹם הַהוּא אֶת־הַתְּיָשִׁים הָעֲקֻדִּים *Removit ergo*, separavit, Laban, *die illo hircos fasciatos. Hircorum* supra Vs. 32. nulla facta erat mentio; sed vix dubium eos illic capris contineri. עֲקֻדִּים ab עָקַד *vincire*, et quidem pecudem mactandam, supra XXII, 9., aut tondendam, 2 Reg. X, 12. Quia vero tale pecus pedibus vincire moris erat, inde Jarchi עֲקֻדִּים explicat *varios in loco ligationis, id est, in malleolis anteriorum et posteriorum pedum.* Ita et Kimchi et Hebraeorum alii. Neque aliud voluere Symmachus, qui *λευκόποδας*, et Onkelos, qui רַגְלָיָא *pedibus varios*, aut *fasciatos*, et uterque Arabs, qui مُحَجَّلَة posuere, quod vocabulum proprie de equis dicitur, qui *pedes albos habent*. a حِجْل, *compes, pedis vinculum.* Vid. Bocharti *Hieroz.* T. I. p. 534. edit. Lips. Videtur igitur עָקֹד proprie dici, quod maculas habet iis in locis, quibus in cruribus aut talis ligari solet, quasi dicas maculis velut fasciis in pedibus revinctum. Nisi potius, quum עֲקֻדִּים *τοῖς* נְקֻדִּים Vs. 32. respondeant, cum Clerico, collato Arabico عُقْدَة *nodus*, pecudes punctis nigris aut albis variegatas, quasi *nodatas* dici putemus, ut puncta *nodis*, propter similitudinem conferantur. Verba כֹּל אֲשֶׁר־לָבָן בּוֹ *omne in quo erat album*, Hieronymus una cum iis, quae sequuntur, וְכָל־חוּם בַּכְּשָׂבִים male sic vertit: *cunctum autem gregem unicolorem, id est, albi aut nigri velleris.* Quid enim, si albae

etiam segregatae fuissent oves, Jacobo custodiendum et pascendum remansisset? unde mercedem partam tulisset? Sed verbis כֹּל אֲשֶׁר־לָבָן בּוֹ significatur, omne in quo est albi quid, in quo sunt maculae albae in vellere nigro. Contra non dicit de agnis aut ovibus: כָּל־חוּם בּוֹ, sed וְכָל־חוּם בַּכְּשָׂבִים, quia Jacobus petierat, praeter variegatas pecudes, ovilli generis fuscas. וַיִּתֵּן בְּיַד בָּנָיו *Et tradidit*, scil. haec omnia, nodosa, varia et fusca, in quibus macula albicans esse forte poterat, *in manum filiorum suorum*, pascenda et custodienda. Filii Labanis, non Jacobi, intelliguntur: hi enim tunc nondum apti esse poterant custodiendis gregibus; neque eorum fidei greges commiserit.

36. וַיָּשֶׂם דֶּרֶךְ שְׁלֹשֶׁת יָמִים בֵּינוֹ וּבֵין יַעֲקֹב *Posuitque Laban iter trium dierum inter se et Jacobum*, i. e. inter gregem suis filiis traditum fuscorum et variorum, et gregem unicolorum Jacobo relictorum, ut hoc tanto itineris intervallo omnis doli occasio tolleretur Jacobo, ne e variegatis pecudibus et ovilli generis fuscis, quas sibi vindicaret, quasi post pactionem natas, aut ne similes plures in gregibus nascerentur. Pro בֵּינוֹ in codice Samaritano legitur בינם *inter eos*, i. e. filios. Consentiunt LXX. ἀνὰ μέσον αὐτῶν. Sed in codice Samaritano praeterea, post hunc Versum, inseritur narratio de somnio, quae exstat infra XXXI, 11. 12. 13., nisi quod hic prima persona narretur, ibi tertia, et paucula immutentur; nam pro מוֹלַדְתֶּךָ *cognationis tuae*, Samaritanus habet אביך *patris tui*, et additur ואטיב עמך *et tibi benefaciam*. Plures alias ejusmodi codicis Samaritani e locis parallelis interpolationes indicat *Gesenius* in Commentat. *de Pentat. Samarit.* §. 13. p. 46., illasque a perpetuo Samaritanorum studio textum suum pleniorem reddendi repetendas arbitratur.

37. וַיִּקַּח לוֹ יַעֲקֹב מַקַּל לִבְנֶה לַח וְלוּז וְעַרְמוֹן *Sumsit autem Jacobus virgam*, i. e. collective, virgas, *populi* arboris *viridem, amygdalique et platani.* Sequuti sumus in reddendis arborum nominibus Graecum Alexandrinum

et Hieronymum, nisi quod ille, qui לִבְנֶה Hos. IV, 13. λεύκη, *populus alba*, reddidit, hic στύρακα posuit, cui interpretationi illud favet, quod Arabibus لُبْنَى *styracis arborem* denotat. Cf. *Celsii Hierobot.* P. I. p. 292. et *Michaelis Supplemm.* p. 1404. לַח *viridis* etsi de populea tantum virga ponatur, vix dubium tamen et ad reliquarum duarum arborum virgas referri. Neque existimandum est cum Hebraeorum nonnullis, Jacobum tres duntaxat virgas sumpsisse ex illis tribus arboribus singulas, quae tanto gregi, quantum ei adhuc relictum esse verisimile est, non suffecissent; sed plures necesse est fuisse virgas. וַיְפַצֵּל בָּהֵן פְּצָלוֹת לְבָנוֹת מַחְשֹׂף הַלָּבָן אֲשֶׁר עַל־הַמַּקְלוֹת *Decorticavit in iis decorticationes albas, nudatione alboris qui supra virgas*, i. e. per intervalla corticem ita detraxit, ut niger cortex exciperetur alburno ligni nudato, atque ita virgae variae fierent. Bene LXX. Καὶ ἐλέπισεν αὐτὰς Ἰακὼβ λεπίσματα λευκὰ, περισύρων τὸ χλωρὸν, ἐφαίνετο ἐπὶ ταῖς ῥάβδοις τὸ λευκὸν, ὃ ἐλέπισε, ποικίλον. Hieronymus: *Decorticavit eas, detractisque corticibus, in his, quae spoliata fuerant, candor apparuit; illa vero, quae integra fuerant, viridia permanserunt; atque in hunc modum color effectus est varius.*

38. וַיַּצֵּג אֶת־הַמַּקְלוֹת אֲשֶׁר פִּצֵּל בָּרְהָטִים בְּשִׁקֲתוֹת הַמָּיִם *Deinde collocavit virgas, quas decorticarat in canalibus, in potoriis aquae.* רְהָטִים et שִׁקֲתוֹת ita differre videntur, ut illud generalius sit, ad quoscunque canales, per quos decurrit aqua, designandos (a רְהַט, quod Chaldaeis idem quod Hebraeum רוץ *cucurrit*), שִׁקֲתוֹת vero sint proprie canales aquandis animantibus (a שָׁקָה *bibit*), ideo speciale generali subjunxit. וַיֵּחַמְנָה *Incaluerunt*, exarserunt desiderio coitus. „Dignum hic est observatu verbum יֵחַמְנָה, quum צֹאן feminini generis sit, ut antecedentia et sequentia verba docent. Secundum grammaticam analogiam legendum esset תֵּחַמְנָה, sed, ut in codice Hebraeo, legimus etiam in Samaritico, et notant Masorethae, tres esse מִלִּין אנדרוגינוס, *voces* ἀνδρογύνας, seu utriusque sexus,

quae habent י, quae litera format masculinas personas, et terminationem femininam. Prima est hic, altera 1 Sam. VI, 12., tertia Dan. VIII, 22." *Cleric.* Cf. *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 276. et 462.

39. וַיֶּחֱמוּ הַצֹּאן אֶל־הַמַּקְלוֹת *Incalescebant juxta baculos*, i. e. calore coitus excitatae concipiebant juxta baculos. וַתֵּלַדְןָ הַצֹּאן עֲקֻדִּים נְקֻדִּים וּטְלֻאִים *Foetum edebant versicolorem, punctatum et maculosum.* Quod factum esse vix dubium vi imaginationis, quae apud oves magis in foetu formando pollere dicitur, quam in aliis animalibus. Statuerunt talem imaginationis matris in sobolem vim multi antiquiorum et recentiorum. Apud Galenum in historia Philosophica Empedocles vetustissimus Philosophus docet: Τῇ *κατὰ σύλληψιν ὄψει τε καὶ φαντασίᾳ τῆς γυναικὸς, μορφοῦσθαι τὰ βρέφη, πολλάκις οὖν ἀνδριάντων καὶ εἰκόνων ἠράσθησαν καὶ ὅμοια τούτοις τετόκασι. Visu et imaginatione mulieris inter concipiendum formari foetus, ita ut saepe mulieres statuas et imagines adamaverint, iisque similes liberos procreaverint. Hieronymus* in *Quaestt.* ad h. l.: „Observabat ergo Jacob, et tempore, quo ascendebantur pecora, et post calorem diei ad potandum avida pergebant, discolores virgas ponebat in canalibus, et admissis arietibus et hircis, in ipsa potandi aviditate, oves et capras faciebat ascendi, ut ex duplici desiderio, dum avide bibunt, et ascenduntur a maribus, tales foetus conciperent, quales umbras arietum et hircorum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus positis varius erat etiam imaginum color. Nec mirum, hanc in conceptu feminarum esse naturam, ut quales perspexerint, sive mente conciperent in extremo voluptatis aestu, quae concipiunt, talem sobolem procreent, quum hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud Hispanos dicatur fieri, et Quintilianus in ea controversia, in qua accusabatur matrona, quae Aethiopen pepererit, pro defensione illius argumentetur, hanc conceptuum esse naturam, quam supra diximus." Similia de equis et columbis ex Oppiani

L. I. de Venatu affert Grotius ad h. l., quae eadem habet *Isidorus Origg.* L. XII. Cap. 1.; cf. *Bocharti Hieroz.* P. I. Lib. II. Cap. XLIX. T. I. p. 619. seqq. ed. Lips. Inter recentiores hanc rem praecipue confirmat *Hastfeer* in libro de *re oviaria*, vers. germ. pag. 17. 30. 43. 44. 46. 47. Vid. *J. D. Michaelis Vermischte Schriften*, P. I. p. 61. seqq.

40. וְהַכְּשָׂבִים הִפְרִיד יַעֲקֹב *Tum oves separabat Jacobus*, id est, recte exponente Jarchio, agnos varios et fuscos sibi natos isto virgarum artificio separavit a reliquo grege Labanis, quem servabat, ne cum illo commiscerentur, et Laban occasionem haberet de ipso querendi, quod de industria varia pecora suis unicoloribus permiscuisset, ut unicoloria parerent varia, quae ex pacto Jacobi forent. כְּשָׂבִים hic non ovium, verum et caprarum catulos comprehendere, per metonymiam, qua unum genus pro reliquis ponitur, res ipsa suadet. Non minus enim hoedi varii, quam versicolores agni, ad mercedem Jacobi pertinuerunt. וַיִּתֵּן פְּנֵי הַצֹּאן אֶל־עָקֹד וְכָל־חוּם בְּצֹאן לָבָן *Posuitque*, i. e. convertit *faciem gregis ad nodosum et* ad *omne fuscum in grege Labanis.* Aliud affertur Jacobi artificium, quo effecerit, ut unicoloria parerent varia, nempe conversa facie pecorum Labanis unicolorium, ad nodosa, fusca et varia, quae sibi nata erant e pecore illius. Ita enim disposuit gregem utrumque, unicolorium Labanis, et suorum recens natorum, ut sua praecederent, Labanis sequerentur, quo factum, ut hac contemplatione praecedentium variorum Jacobi, cum exardescerent, conciperent varia. Obscurius videtur, quod additur בְּצֹאן לָבָן *in grege Labanis*, in quo nihil varium aut fuscum erat, sed unicolaria duntaxat. Sed referenda sunt haec verba ad פְּנֵי הַצֹּאן *faciem gregis*, intellige Labanis, hoc sensu: ovium, quae erant in grege Labanis, faciem convertit ad varia et fusca sibi nata. וַיָּשֶׁת לוֹ עֲדָרִים לְבַדּוֹ וְלֹא שָׁתָם עַל־צֹאן לָבָן *Ac posuit sibi gregem, soli*, inquam, *sibi*, i. e. seorsim, *nec posuit illos*, oves, *juxta gregem Labanis.* Videtur hoc non differre ab eo, quod initio Ver-

sus dixerat; sed ibi tantum de recens natis variis e contemplatione virgarum loquutus est; at nunc etiam de aliis variis, natis per secundum artificium agit, cum faciem gregis Labanis convertisset ad sua varia; horum quoque gregem seorsim posuit.

41. Sequitur tertium artificium, quo Jacobus est usus, quod verno tantum tempore illud virgarum adhiberet, cum prima est ovium admissura, et ad coitum sunt ardentiores, non item intervalli tempore, cum est secunda admissura, nec ita sunt alacres ad initum, ne, si bis in anno id faceret, dolum subolfaceret Laban, et ne, si nihil prorsus ad eum perveniret, merito conqueri posset. וְהָיָה בְּכָל־יַחֵם הַצֹּאן הַמְקֻשָּׁרוֹת *Fiebat autem in omni ardore ovium vegetarum.* מְקֻשָּׁרוֹת a קָשַׁר *vincire, ligare,* proprie *ligatas* denotat, sed quia quidpiam vinciendo firmius ac validius fit, hinc *vinctae* pecudes sunt robustiores et vegetiores, uti observat Kimchius, et confirmant **Bochartus** *Hieroz.* P. I. Lib. II. Cap. 46. T. II. p. 582. edit. Lips., *A.* **Schultens** in *Observatt. philologg.* ad h. l. *Operr. minor.* p. 100., et *J. D.* **Michaelis** in *Supplemm.* p. 709., ostendentes, Arabibus *ligandi* verba fere et *firmandi* notionem sibi junctam habere. Vegetioribus ovibus vero, uti monent Hebraei, intelliguntur hic eae, quae coibant in prima admissura, i. e. in mense Martio. Ita Onkelos: בְּכִירָיָא *primitivae,* qua voce et Syrus utitur; Arabs uterque: الرَّبْعِيَّة *vernae;* Aquila: *πρώϊμα.* Symmachus: *πρωτόγονα,* Hieronymus: *quae primi temporis.* LXX. autem cur reddiderint: *τὰ πρόβατα ἐν γαστρὶ λαμβάνοντα,* difficile dictu. וְשָׂם יַעֲקֹב אֶת־הַמַּקְלוֹת לְעֵינֵי הַצֹּאן בָּרְהָטִים לְיַחְמֵנָּה בַּמַּקְלוֹת *Ut poneret Jacobus virgas ob oculos ovium in canalibus ad calefaciendum eas in virgis,* i. e. ad adspectum virgarum; quod admissura illa prima verni temporis sit melior, et inde geniti foetus robustiores. **Plinius** *Hist. Nat.* L. VIII. Cap. 47. §. 72. *Coitus omnibus ad Arcturi occasum, id est,*

a tertio Idus Majas ad Aquilae occasum in X. Cal. Aug. Gerunt partum diebus centum quinquaginta, postea concepti invalidi. Varronis tamen sententia est, matres hujuscemodi foetibus debilitari, non ipsos. Ita enim ille *de Re Rust.* L. II. Cap. 2.: *Tempus optimum ad admittendum ab Arcturi occasu ad Aquilae occasum; quod quae postea concipiunt, fiunt vegrandes atque imbecilles.* לְיַחְמֶנָּה est Infinitivus Piel cum Nun epenthetico, pro לְיַחֲמָהּ *ad concipere eam*, pecudem. Sed in nonnullis codicibus legitur לְיַחֵמְנָה, cum Zere sub מ, et litera Nun signo Dagesch destituta, quod Kimchi vult factum ex לְיַחֵמֶן, pro לְיַחְמָן, *ad incalescendum eas*, scilicet oves, (quomodo Pluralia praecedunt), Zere pro Camez posito, ut in רֹדֵם Ps. LXVIII, 28. pro רֹדָם *dominans eis.* Hoc modo ה erit hic paragogicum.

42. וּבְהַעֲטִיף הַצֹּאן לֹא יָשִׂים *Sed cum debiles erant oves, non ponebat*, scilicet virgas in canalibus. Verbum עָטַף *obtegere* in secundaria significatione usurpatur pro *deficere, languere;* vid. Ps. LXI, 3. Thren. II, 11. 12. Ita Arabicum غَشَى *tegere*, unde in Passivo غُشِى عَلَيْهِ *obtectus fuit*, i. e. deliquium animi passus est. Pro בְּהַעֲטִיף Onkelos posuit בְּלְקִישׁוּת *in serotinatione* ovium, i. e. dum coirent pro serotino partu, quod fiebat secundâ admissurâ. Ita et reliqui interpretes, praeter LXX. qui sic verterunt: ἡνίκα δ' ἂν ἔτεκε τὰ πρόβατα, *cum oves peperissent*, sine sensu, nec verbis Hebraeis convenienter. In autumno vero, quo secunda fiebat admissura, oves minus alacres, hinc foetus editi imbecilliores, qui hoc Versu עֲטֻפִים vocantur, Aquilae ὄψιμα, Symmachus δευτερόγονα, Hieronymo *ea quae sunt serotina*, Onkeloso לְקִישַׁיָּא *serotina*, Saadiae خَرِفِيَّة *autumnalia*, Arabi Erpenii الموخروس *serotina.*

9. *Jacobus, Dei jussu, reditum in Cananaeam parat, consciis uxoribus. Discedit clam Labane, qui eum persequitur, et adeptus, Dei minis compulsus, cum genero foedus ferit. Cap. XXXI.*

Cap. XXXI, 1. וּמֵאֲשֶׁר לְאָבִינוּ עָשָׂה אֵת כָּל־הַכָּבֹד הַזֶּה *Et ex his, quae patri nostro erant, fecit omnem gloriam illam*, i. e. ex patris nostri opibus tantas sibi acquisivit facultates. עָשָׂה *facere* nonnumquam est *acquirere* ut supra XII, 5. et 1 Sam. XIV, 48. כָּבוֹד Onkelos recte נִכְסַיָּא *opes, facultates* reddidit.

2. וְהִנֵּה אֵינֶנּוּ עִמּוֹ כִּתְמוֹל שִׁלְשׁוֹם *Et ecce non erat erga ipsum sicut heri et nudius tertius*, i. e. ut antea; vel Laban, vel vultus ejus; אֵינֶנּוּ enim ad utrumque referri potest, quum Hebraei nomine פָּנִים et singulariter utuntur, ut Thren. IV, 16. פְּנֵי יְהוָה חִלְּקָם *vultus Jovae divisit eos.* Ex Labanis vultu tristiori deprehendit Jacobus, esse eum animo a se alieno.

4. Misit qui accerseret Rachelem et Leam in rus, ubi ipse erat cum gregibus. Noluit enim ipse domum ad illas venire, veritus, ne qua ratione suum consilium Laban rescisceret. Videtur igitur ex agro discedere clam voluisse. Rachel hic et alias Leae praeponitur, quod praecipua et primaria Jacobi uxor fuerit, quum Lea esset adventitia, sicut et Bethlehemitae, qui de tribu Juda ex Lea erant, Ruthae bene precantes, Ruth. IV, 4. Rachelem praeponunt.

5. וֵאלֹהֵי אָבִי הָיָה עִמָּדִי *Sed Deus patris mei fuit mecum.* Quod potest referri ad ea, quae statim Vs. 6. 7. sequuntur, quod licet Laban saepius eum sit conatus fraudare in mercede sexennii, Deus tamen ejus innocentiam semper defenderit; vel etiam ad proxime dictum, quod sibi bene sit conscius, nec ulla sua culpa alio ille in se sit vultu, quia Deum semper sibi comitem in omnibus rebus suis habuerit, fidelissime Labani serviens. „*Deum patris sui* vocat Jacobus creatorem coeli et terrae omniumque hominum Deum, more ethnicorum (dum se uxo-

ribus idololatra patre natis fortasse adtemperet), quibus erant Penates publici et privati, sive patrii et paterni Dii. Ut Laban suos Theraphim Deos patrios vocasset, quia eos a Bethuele acceperat; sic Iacobus Deum patris vocat, cujus cultum a patre edoctus fuerat. Sed potest etiam horum verborum sensus esse: Deus, qui patri meo semper favit, a me etiam omnia pericula propulsaturus, mihi adest." *Cleric.*

7. הֵתֶל בִּי *Imposuit mihi,* me fefellit: הֵתֶל ἀνομάλως pro הֵתֵל; sequitur hoc verbum formam eorum, quae propter mediam gutturalem, quae Dagesch non patiuntur, id per praecedentem vocalem longam compensant; vid. *Gesenii ausführl. Lehrg.* p. 316. וְהֶחֱלִף אֶת־מַשְׂכֻּרְתִּי עֲשֶׂרֶת מֹנִים *Mutavitque mercedem meam decem vicibus,* i. e. saepius. Exempla hujus significatus in denario numero occurrunt et Num. XIV, 22. *Tentaverunt me jam per decem vices.* Job. XIX, 3. *Decies mihi pudorem incutis,* i. e. multoties. Sic Latini dicunt *millies* et *sexcenties* pro saepenumero. LXX. Καὶ ἤλλαξε τὸν μισθόν μου τῶν δέκα ἀμνῶν. Sed pro ἀμνῶν legendum esse μνῶν, *minis,* quasi LXX, מנים a מָנֶה μνᾶ *mina* derivassent, conjiciunt *Cappellus Crit. S.* L. IV. Cap. 18. p. 747. ed. Vogel-Scharfenb., *Bochartus Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 43. T. I. p. 478. ed. Lips., et *J. E. Grabe* in *Prolegomm. ad Octateuch.* Cap. IV. Sane μνᾶς LXX. posuerunt pro Hebraico מָנִים 1 Reg. X, 17. Esr. II, 69. Nehem VII, 71. 72. Ezech. XLV, 12. Attamen illud mendum, si tale sit, in versionis Alexandrinae codicibus jam Hieronymi tempore exstitisse, ex his ejus verbis in *Quaestt.* ad h. l. apparet: „Pro eo quod nos posuimus *decem vicibus,* LXX. interpretes posuerunt: *decem agnis,* nescio qua opinione ducti." וְלֹא־נְתָנוֹ אֱלֹהִים לְהָרַע עִמָּדִי *Nec tamen dedit,* permisit *ei Deus malefacere mecum,* i. e. mihi nocere, damnum mihi inferre, ut quidquam mihi deperiret.

8. אִם־כֹּה יֹאמַר נְקֻדִּים יִהְיֶה שְׂכָרֶךָ *Si sic dice punctatae erunt merces tua*, tantum, videlicet, non e aliae versicolores, aut fuscae, contra primi pacti for lam, quod putaret, non parituras oves punctatas, a ita quae nascerentur, suas fore, וְיָלְדוּ כָל־הַצֹּאן נְקֻדִּים *tunc pariebant omnes oves punctatas*, contra ejus ex ctationem, quia Jacobus virgas ejusmodi punctatas a buit canalibus. Idem sentiendum est de ceteris colori quos brevitatis causa omittit (nisi quod עֲקֻדִּים etiam Versu commemorat, de quibus vid. not. ad XXX, 3 nam et ubi de colore vario in alium colorem varium inde pertransisset Laban, fraudandi Jacobi causa, p et cum eo pacisci, ut albas tantum aliquando ferret, ferebat, non adhibitis scilicet virgis. Quod quum r tarent LXX., pro עֲקֻדִּים hic λευκά, *albas* posuer Quos sequutus Hieronymus posteriorem Versus pa sic reddidit: *quando vero e contrario ait: alba qua accipies pro mercede; omnes greges alba peperer* „Res ipsa," inquit Clericus, „clamat ita Jacobi int gendam orationem, sed hic עָקוֹד contrarium signifi ejus, quod in superioribus et sequentibus significat, credibile est. Neve putes mendum in codicem nost irrepsisse; Samariticus codex habet quoque עקדים, sensus exigere videtur לבנים *albas*."

9. וַיַּצֵּל אֱלֹהִים אֶת־מִקְנֵה אֲבִיכֶם וַיִּתֶּן־לִי *Sed eri Deus patris vestri pecus deditque mihi.* Hoc dicit p pter somnium, quod tanquam θεόπεμπτον uxoribus p nus narrat.

10. וְהִנֵּה הָעַתֻּדִים הָעֹלִים עַל־הַצֹּאן *Et ecce hirci ascendebant super oves.* Sed עַתֻּדִים hic tam *hircos* q arietes complectitur, unde LXX. utrumque hic expre runt: οἱ τράγοι καὶ οἱ κριοὶ ἀναβαίνοντες ἐπὶ τὰ πρόβατα τὰς αἶγας. Ceterum quum supra XXX, 32. 35. qua tantum colores memorati essent, נְקֻדִּים, עֲקֻדִּים, טְלֻאִים חֲמִים, hic additur quintus, בְּרֻדִּים, a בָּרָד *grando*, q *grandineos*, seu *grandinosos* dicas, quia sunt ma

maculis, albis seu albicantibus in morem grandinis, vel etiam parvis respersi, ut apud *Virgilium* *Ecl.* II, 41. *Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo.* Cf. not. ad Zach. VI, 3. et *Bocharti Hieroz.* T. I. p. 50. seqq. et p. 535. edit. Lips. Insomnio tamen, quod sic sibi contigisse Jacobus dicit, non respondet res ipsa, quum revera hoc modo foetus varios non sit adeptus Jacobus, ut scilicet hirci varii in pecora insilirent. Unde enim hircos aut arietes varios Jacobus habebat initio, quum omnes abduxisset Laban, et procul inde tridui itinere filiis suis custodiendos tradidisset? Verum insomnium non semper plane idem esse constat cum eo, quod per ipsum significatur, sed satis esse, si inter se respondeant. Quod ergo sibi in somnio videre visus est, varios hircos in pecora insilientes, hoc innuebat, fore, ut cum secus etiam albi hirci in albas feminas insilientes varios foetus gignerent, ope videlicet virgarum. Ita recte R. Levi haec exponit: „Fiebat, ut virgarum discolorium adspectu hircorum etiam alborum semen varium redderetur, atque ex eo varii foetus ederentur, perinde ac si ipsi essent varii.“

12. כִּי רָאִיתִי אֵת כָּל־אֲשֶׁר לָבָן עֹשֶׂה־לָּךְ *Vidi enim omnia, quae Laban tibi fecit.* „Videtur haec esse elliptica oratio, et deesse hic sensus: ideoque jure potes arte uti, et me tibi propitio, qua mercedem, quam non esset alioquin daturus, ex avaro homine elicias. Certe e superioribus apparet, ita somnium interpretatum Jacobum. Ellipsis est integri membri ut 2 Sam. I, 8.: *erit caput et dux*, quae verba leguntur in eadem historia 1 Chron. XI, 6.“ *Cleric.*

13. Observat R. Moses-ben-Nachman, licet Jacobus superiorem, et eam, quae sequitur, visionem ita narret, quasi simul utraque sibi contigerit, et simul haec omnia sibi sint dicta, tamen diversas esse oportere. Nam prior fuit sub initium sexennii, postquam de mercede futuri temporis inter eos conventum esset, cum in somnio edoctus est rationem augendi sui gregis, arte virgarum adhibita. At visionem, quae sequitur, in fine sexennii fa-

ctam esse, cum discessum a Labane meditaretur, res ipsa suadet. Verba אָנֹכִי הָאֵל בֵּית־אֵל Onkelos recte ita vertit: אֲנָא אֱלָהָא דְאִתְגְּלֵיתִי עֲלָךְ בְּבֵית־אֵל *ego sum Deus, qui me tibi patefeci in Bethele*, historia habetur supra XXVIII. Hic vero הָאֵל בֵּית־אֵל Kimchi monet positum per ellipsin pro הָאֵל אֵל בֵּית־אֵל *Deus ille, Deus*, inquam, *Bethelis*, quia regimen non admittit ה demonstrativum, sive Articuli. אֲשֶׁר מָשַׁחְתָּ שָּׁם מַצֵּבָה *Ubi unxisti erectum lapidem*, vid. XXVIII, 18. Verba, quae sequuntur: עַתָּה קוּם וגו׳ *nunc* ergo *surge, egredere ex hac terra, et redi in solum tuum natale*, exstant et supra Vs. 3., ubi promissio adjecta, quam hic compendii causa omittit: וְאֶהְיֶה עִמָּךְ *et ero tecum*, licet LXX. expresserint.

14. הַעוֹד לָנוּ חֵלֶק וְנַחֲלָה בְּבֵית אָבִינוּ *Num adhuc est nobis pars et haereditas in domo patris nostri?* Tollunt causam, quae eas revocare poterat, quo minus abire vellent cum marito, ne haereditate paterna fraudarentur; non est, inquiunt, quod quidquam de bonis paternis exspectemus.

15. הֲלוֹא נָכְרִיּוֹת נֶחְשַׁבְנוּ לוֹ כִּי מְכָרָנוּ *Annon peregrinae habitae sumus ei, quia vendidit nos*, perinde ac ancillas habens, dum te coegit pro nobis servire per annos quatuordecim? וַיֹּאכַל גַּם־אָכוֹל אֶת־כַּסְפֵּנוּ *Et comedit etiam comedendo*, i. e. quia et plane assumsit et in suos usus convertit *pretium nostrum*. Jacobus enim pro mulieribus dotem dare non potuit. Vid. not. supra ad XXIX, 18. Dos ejus erat servitium Labani per quatuordecim annos praestitum. Hic ergo, si aequus fuisset, pretium illud, quod servo mercenario pro tot annorum opera solvisset, filiabus suis ut dotem dare debuisset. Sed pro avaritia sua omnem utilitatem, quam ex Jacobi servitio percepit, sibi sumserat, nihil de ea reddens filiabus suis. כֶּסֶף h. l. est *pretium*, ut supra Cap. XXIII, 13.

16. כִּי כָל־הָעֹשֶׁר אֲשֶׁר הִצִּיל אֱלֹהִים מֵאָבִינוּ לָנוּ הוּא וּלְבָנֵינוּ *Nam omnes divitiae, quas eripuit Deus a patre nostro, nobis sunt, et filiis nostris.* כִּי Jarchi ait hic

adversative sumendum pro אלא sed. Videtur tamen commode pro *nam* capi posse, ut tali objectioni occurrat: quid? an vestra dicetis ea, quae hoc sexennio Jacobus paravit, an non potius Labanis sunt, quum e gregibus Labanis provenerint, sicut filii Labanis supra Vs. dicebant. Hujusmodi igitur objectioni ut occurrant filiae nunc dicunt: nam quod attinet ad ea, quae hoc sexennio Jacobus comparavit, haec sane nostra erant, et filiorum nostrorum, nobis jure divino attributa et illi erepta, quia totis superioribus annis nobis debita interverterat, nunc jam tandem Dei voluntate restituta.

19 וְלָבָן הָלַךְ לִגְזֹז אֶת־צֹאנוֹ *Laban autem ad ovium suarum tonsuram iverat.* Qua occasione pecudum domini convivia habere, ideoque diutius in rure morari solebant; cf. not. infra ad XXXVIII, 12. וַתִּגְנֹב רָחֵל אֶת־הַתְּרָפִים אֲשֶׁר לְאָבִיהָ *Et furata est Rachela patris sui penates.* תְּרָפִים pro Diis habitos fuisse, apparet ex ipsis Labanis verbis Vs. 30.: *quare furatus es Deos meos?* Fuisse autem Deos penates, liquet ex historia Michae, Judic. XVII, 5., nec non Michalis, uxoris Davidis, 1 Sam. XIX, 13. Hoc loco veteres omnes תְּרָפִים per *imagines* reddunt. LXX. εἴδωλα. Onkelos צַלְמָנַיָּא et sic etiam Syrus et Arabs. Josephus *Antiqq.* L. I. Cap. 19. §. 9. eos τύπους θεῶν vocat. Kimchi ab astrologis, ut futura praedicerent, fictos esse putat; sed humana forma factos, ita ut coelestis influentiae essent capaces, censet Aben-Esra, a qua sententia nec alienus est **Jurieu** in libro, cui epigraphe: *Histoire crit. des dogmes et de cultes*, L. II. Cap. 3. p. 456., ubi variae de hisce idolis sententiae exponuntur. *J. D. Michaelis* in *Commentatione de Theraphis*, quae in ejusdem *Commentatt. in Societ. Reg. Goetting. prael. per annos 1758—1762.* prima est, Theraphos Silenos esse existimat, Pausaniae quodam loco ductus, ubi dicit, in terra Hebraeorum sepulchra Silenorum ostendi. Exstat hic locus in Graeciae descriptione Lib. VI. c. 24. Θνητὸν εἶναι τὸ γένος τῶν Σιληνῶν, εἰκάσαι τὶς ἂν μάλιστα ἐπὶ τοῖς τάφοις αὐτῶν. Ἐν γὰρ τῇ Ἑβραίων χώρᾳ

Σιλήνου μνῆμα. *Mortales Silenos esse maximo argu to sunt eorum sepulcra. In terra enim Hebraeoru leni monumentum.* Ostendit vero *E. A. Schulzi Exercitationibus philologicis*, Fasc. I. Exerc. I. *de S latria Samaritanorum* agens, illam Hebraeorum te quae sepulcra Silenorum habere credebatur, Sich videri imminentemque illi urbi montem Garizim. N in hoc monte defossi a Jacobo Dii uxorum patrii, (XXXV, 4., unde et exprobrari Samaritanis solebat, i eos adorare idola, dum inter precandum ad hunc tem sese converterent. Theraphos esse eosdem, Graeci Silenos vocarunt, Michaelis et eo probare st quod תָּרַף, collato Arabico تَرِفَ, plane ut Grae τρυφάω, *delicatius lautiusque vivere, voluptatibus gere*, significat. Silenos vero vino et amoribus deditos notum est. At vultus etiam turpitudinem exprimer mon Arabicum posse putat, et praecipue nasi illam biorum deformitatem, quum sit تُرْفَةٌ *pars media protuberantior a natura*, quae in simiis cerni sole bus Theraphi sicuti Graecorum Sileni sive Satyri, fuerint. Quibus tamen argumentis quam parum sol sit, vix est, quod moneamus. Cf. et not. nostr. a III, 4. et *Frid. Creuzeri Commentatt. Hero* P. I. p. 277. Cur surripuerit Rachela patris Ther varii varias causas afferunt. Josephus I. c. ideo Rachela ablatos esse credit, ut perfugium haberet patris iram, si fortasse in fuga deprehenderetur. haec idola e pretiosa materia confecta fuisse put Rachelam ea furto abstulisse non aliam ob causam, ut materiam, ex qua confecta essent, in usus su verteret. Verisimilior est Aben-Esrae conjectura, lam Teraphos abstulisse, quia verita sit, ne pa consuleret disceretque ab iis, qua via fugisset Jaco

20. וַיִּגְנֹב יַעֲקֹב אֶת־לֵב לָבָן הָאֲרַמִּי *Et fura Jacobus cor Labanis Syri*, i. e. fefellit ejus men scientiam eo, quod illo inscio abiit. Cf. infra

Recte Onkelos: וְכַסִּי *et celavit.* Alluditur ad verba Versus praecedentis, *Rachela furata est patris sui Theraphos.* Labanem hic vocari *Syrum* Clericus putat, non ut patria ejus signetur, sed ut viri mores notentur, quia Syri ab antiquissimis jam temporibus astutiores et callidiores ceteris gentibus habebantur. Quasi dicere scriptor voluisset, Labanem, quamvis callidum, ut vulgo Syri esse solent, delusum tamen a Jacobo prudentiore fuisse. Pro עַל־בְּלִי הִגִּיד *eo quod non indicavit,* habent עַד־בְּלִי הִגִּיד *adeo ut ne quidem nunciaret,* Kennicottianus codex unus, et tres de Rossiani, consentiente codice Samaritano, quod praefert receptae in codicibus hebraeis scripturae J. D. Michaelis in versione, et in *Bibl. Orient.* IX. p. 200. et *Append.* ad XII. p. 28. Sed recepta lectio non modo ab antiquis interpretibus suffulcitur, verum et meliorem reddit sensum, quum rationem reddat verborum quae praecedunt, Jacobum Labanis cor furatum esse.

21. וַיַּעֲבֹר אֶת־הַנָּהָר *Et trajecit fluvium,* Euphratem, qui κατ' ἐξοχὴν *fluvius* dicitur. וַיָּשֶׂם אֶת־פָּנָיו הַר הַגִּלְעָד *Et posuit faciem suam ad montem Gilead,* i. e. recta ad montem Gilead tendit. *Facies* peregrinantium Hebraeis dicitur esse *ad ea loca,* ad quae tendunt; vid. Jerem. L, 5. Luc. IX, 53. Est autem πρόληψις in nomine Gilead, nam hoc nomen a Jacobo demum postea huic monti impositum est; vid. infra Vs. 47. *Hieronymus* in libro *de Locis Hebraicis* de hoc monte: *Galaad mons, ad quem septimo die profectionis e Carris Jacobus profugus venit. Est autem ad tergum Phoenices et Arabiae, collibus Libani copulatus, extenditurque per desertum ad eum locum, ubi trans Jordanem habitavit olim Rex Seon Amorrhaeorum. Cecidit supra dictus mons in sortem filiorum Ruben Gad, et dimidiae tribus Manasse.* Saadias pro גִּלְעָד posuit جَرَش, unde *Gerasa* Graecorum et Romanorum. Hieronymus ad Obadiam Vs. 1.: „Cunctam possidebit Arabiam, quae prius vocabatur *Galaad,*

et nunc *Gerasa* nuncupatur." Cf. *Relandi Palaestt.* p. 806.

22. בַּיּוֹם הַשְּׁלִישִׁי *Tertio demum die*, ex quo nempe profectus erat Jacobus.

23. וַיִּרְדֹּף אַחֲרָיו דֶּרֶךְ שִׁבְעַת יָמִים וַיַּדְבֵּק אֹתוֹ בְּהַר הַגִּלְעָד *Septemque dierum itinere eum persequutus tandem in montibus Gilead est assecutus.* Septimo die Labanus Jacobum assequitur, tertio demum post fugam de hac certior factus; supersunt ergo quatuor dies, quorum unus demendus est, quod Laban non statim ad ipsum Euphratem esset, ad quem fortasse vesperi hujus diei pervenit. Jacobum autem assequitur circiter decimo octavo milliari germ. ab Euphrate, ex *J. D. Michaelis* computo in *der Abhandlung von der Schafzucht der Morgenländer*, P. I. p. 13. *der Vermischten Schriften*, et in *Supplemm.* p. 319. Montem vero Gilead propiorem esse Euphrati quam Jordani, pluribus ostendit Michaelis locis indicatis.

24. וַיָּבֹא אֱלֹהִים אֶל־לָבָן הָאֲרַמִּי בַּחֲלֹם הַלָּיְלָה *Venit autem Deus ad Labanem Syrum somnio nocturno.* Apparuisse Deus narratur in somniis et falsorum deorum cultoribus, ut supra XX, 3. Abimelecho (ubi eadem plane, quae hic, phrasis usurpata), et infra XLI, 23. 28. Pharaoni. Quod Laban hic iterum, ut supra Vs. 20., *Syrus* appellatur, Clericus ideo fieri observat, ut intelligeret lector, Deum, ut Jacobum tueretur, homini iniquo et avaro, quales erant Syri, sese patefacere dedignatum non esse. הִשָּׁמֶר לְךָ פֶּן־תְּדַבֵּר עִם־יַעֲקֹב מִטּוֹב עַד־רָע *Cave tibi, ne* forte *loquaris cum Jacobo a bono usque ad malum*, i. e. ne verbum cum eo faxis. Eadem phrasi supra XXIV, 50. utuntur propinqui Rebeccae ad Eliezerem. Hic vero his verbis monetur Laban, ne acrius Jacobum increpet. LXX. et Vulgatus sensum bene expresserunt; *Μήποτε λαλήσεις κατὰ Ἰακὼβ πονηρὰ, ne quidquam aspere loquaris contra Jacobum.*

25. וְיַעֲקֹב תָּקַע אֶת־אָהֳלוֹ בָּהָר *Et Jacobus fixerat tabernacula sua in monte illo*, Gilead, qui supra Vs. 21.

memoratus erat. וְלָבָן תָּקַע אֶת־אֶחָיו בְּהַר הַגִּלְעָד *Et Laban* quoque *fixerat*, repete: tabernacula sua *cum fratribus suis in monte Gilead*, in eodem monte, licet alio montis loco, ne diversis montibus putes utrumque tabernacula fixisse, nisi forsan hic in uno, alter in altero colle aut clivo fixerit. אֶת ante אֶחָיו cum Hieronymo ut Praepositionem capimus, sed reliqui veteres pro Accusativi ceperunt. LXX. Ἔστησε τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ. Onkelos et Syrus: אַשְׁרֵי יַת־אֲחוּהִי *collocavit fratres suos.* Eodemque modo Arabs uterque (أَنْزَلَ أُخْوَتَهُ), quae metonymia esset non aliena.

26. מֶה עָשִׂיתָ וַתִּגְנֹב אֶת־לְבָבִי *Quid fecisti ut furatus sis cor meum?* quod me inscio abieris; cf. not. supra ad Vs. 20. Alii עָשִׂיתָ וַתִּגְנֹב pro simplici תִּגְנֹב poni volunt, ut 1 Reg. VIII, 32. וְעָשִׂית וְשָׁפַטְתָּ *et fecisti et judicasti*, i. e. judicasti. Vid. et Jud. IX, 16. Dan. VIII, 12., ad quem locum in *Animadverss. philologg.* A. Schultens similem usum pleonasticum Arabici جَعَلَ *fecit* observavit. וַתְּנַהֵג אֶת־בְּנֹתַי כִּשְׁבֻיוֹת חָרֶב *Et duxisti*, seu *duxeris filias meas tanquam captivas gladio*, bello captas, quae a victore pro arbitrio, invitis parentibus, abducuntur. Jarchi: כל חיל הבא למלחמה קרוי חרב *omnis exercitus, qui venit ad bellum, appellatur gladius.*

27. לָמָּה נַחְבֵּאתָ לִבְרֹחַ *Cur abscondisti te, ut fugeres?* clam fugisti? Discessum exaggerat voce *fugae*, quasi turpiter, ut fur aut latro, fugerit. וַתִּגְנֹב אֹתִי *Furatus es me*, i. e. לְבָבִי *cor meum*, ut Vs. 26., me fefellisti. Moses Mendelii filius haec verba vernacule sic reddidit: *und hast mich also bestohlen*, clam me spoliasti idolis meis, uti mox Vs. 30. diserte declarat. Sed dubitamus, Hebraeis גָּנַב significatione teutonici, *einen bestehlen*, usurpari. וָאֲשַׁלֵּחֲךָ בְּשִׂמְחָה וּבְשִׁירִים בְּתֹף וּבְכִנּוֹר *Et dimisissem te cum gaudio et cum canticis, cum tympanis et cum citharis.* Iter longinquum ingressuros in ipso discessu amici in Orientis terris etiamnum cantionibus et musico-

rum instrumentorum concentu honorare solent; vid. *das alte und neue Morgenland* P. I. No. 106. p. 153. Nomen תֹּף onomatopoïeticon, sonitum tympani manu pulsi exprimit. Ea tympana, hodienum in illis oris usitata, minora sunt, atque ex altera tantum parte, aut etiam utraque clausa, qualia sunt, quae *tambours de Basque* a Gallis vocantur. Iis saltando utebantur feminae, vid. Exod. XV, 20. 1 Sam. XVIII, 7. Jerem. XXXI, 4. Cf. libr. laudat. P. II. No. 229. p. 22. et not. ad citat. Exodi loc.

28. וְלֹא נְטַשְׁתַּנִי לְנַשֵּׁק לְבָנַי וְלִבְנֹתָי *Nec dimisisti, permisisti me osculari filios meos,* i. e. nepotes (לִבְנֵי בְרָתַּי *filios filiarum mearum*, ut Jonathan reddidit), et *filias meas.* עַתָּה הִסְכַּלְתָּ עֲשׂוֹ *Nunc imprudenter fuisti agendo*, imprudenter et temere egisti. Aben-Esra: הסכלת לעשות זאת *imprudenter egisti facere hoc*, seu: *ita faciendo.* Sed observat Salomo Dubnensis, Infinitivum passim valere tempus finitum, quocum conjungitur, sive Praeteritum sit, sive Futurum; unde et haec verba ita capi posse: הִסְכַּלְתָּ מַה שֶׁעָשִׂיתָ, uti vertit Jonathan: אַסְכֵּלְתְּ מַה דַעֲבַדְתְּ *stulte egisti, quod fecisti.*

29. יֶשׁ־לְאֵל יָדִי *Est in potestate manus meae.* אֵל hic non est adjectivum, sed substantivum, *robur, fortitudinem* denotans, ut Prov. III, 27. et לְאֵל idem quod בְּכֹחַ, vid. not. ad Mich. II, 1. — ו ante אֱלֹהֵי אֲבִיכֶם valet אֲבָל *sed.* De *Deo patrio* vid. not. infra ad Vs. 42.

30. וְעַתָּה הָלֹךְ הָלַכְתָּ *Ac nunc*, nunc sane, *eundo ivisses*, concedentis est, כִּי־נִכְסֹף נִכְסַפְתָּה לְבֵית אָבִיךָ *quia desiderando desiderabas domum patris tui*, incredibili desiderio tenebaris domus patriae revisendae; sed לָמָּה גָנַבְתָּ אֶת־אֱלֹהָי *cur furatus es deos meos?* Justa tibi causa fuerit discedendi, hoc facile tibi concesserim, quod arderes patris revisendi cupiditate. Sed quae tandem tibi causa justa esse potuit meos penates suffurandi?

31. Ad primum, quod Laban Jacobo objecit, eum se inscio fugisse et filias secum abduxisse, respondet pri-

mo; hoc Versu, ad alterum, illum Deos sibi furatum esse, Versu proximo.

32. עִם אֲשֶׁר תִּמְצָא אֶת־אֱלֹהֶיךָ לֹא יִחְיֶה *Apud quem inveneris deos tuos, non vivat*, occidendi eum tibi potestatem facio, vel: interimat eum Deus, et ita factum detegat. Aben-Esra enunciative exponit: *non vivet*, sed manu mea eum ipse occidam. Verba quae sequuntur, נֶגֶד אַחֵינוּ *coram fratribus nostris*, i. e. propinquis, quos secum Laban adduxerat, plures jungunt iis, quae praecedunt, hoc sensu: ille pereat coram fratribus, i. e. palam. Cui interpretationi tamen adversatur, quod voci יִחְיֶה appositus accentus *Segolta*, distinctionis majoris signum, verba quae praecedunt vetat cum נֶגֶד אַחֵינוּ et quae sequuntur connectere. Quare hoc potius modo locus erit exponendus: נֶגֶד אַחֵינוּ הַכֶּר־לְךָ מָה עִמָּדִי *coram fratribus nostris*, propinquis nostris omnibus praesentibus et testibus, *agnosce tibi quid sit apud me*, de rebus videlicet tuis. Hunc esse genuinum verborum sensum, probat Vs. 37., ubi facta a Labane perquisitione Jacobus eum ita alloquitur: *quid invenisti de omnibus vasis domus tuae? pone hic coram fratribus meis et fratribus tuis, ut judicent*, rel. וְקַח־לָךְ *Et cape tibi*, aufer, si quid tuorum utensilium apud me deprehenderis.

33. Pro וַיָּבֹא לָבָן בְּאֹהֶל־יַעֲקֹב *venitque Laban in tabernaculum Jacobi*, in codice Samaritano est: ויבא לבן ויחבש באהל יעקב *venitque Laban et scrutatus est in tabernaculo Jacobi* (nam ויחבש significatu non differre a וַיְחַפֵּשׂ, quod Vs. 35. in codice Hebraeo exstat, non est dubium, atque in pluribus codicibus Samaritanis, quos contulit Blayney, hic ויחפש scriptum reperitur). LXX. quoque ἠρεύνησε post λάβαν inserunt, quanquam tabernaculorum ordinem turbarunt. וַיֵּצֵא מֵאֹהֶל לֵאָה וַיָּבֹא בְּאֹהֶל רָחֵל *Exiitque e tabernaculo Leae ac egressus est Rachelae tabernaculum.* Sed modo dixerat, post Leae tabernaculum Labanem intrasse in ancillarum tabernacula, quae illae aeque, ut dominae, distincta habuerunt, quasi an-

tea cetera excusserit tentoria, quam in Rachelae venerit. Verum haud raro negligi ordinem in ejusmodi circumstantiis commemorandis constat. Videtur Laban omnino e Leae tentorio egressus statim Rachelae intrasse, postremo ancillarum tabernacula. Sed voluit scriptor prius reliqua tabernacula commemorare, in quibus Theraphim non erant, et his subjungere Rachelae tentorium, ut in eo immoraretur, et doceret, quid in eo actum sit.

34. וַתְּשִׂמֵם בְּכַר הַגָּמָל *Posuerat eos in sella camelina.* כַּר enim, cui concinit Arabicum كُورٌ, significat sellam camelinam opertam et rebus necessariis instructam, quales plerumque domunculas mulieribus parare solent Arabes, cum ob equitandi minorem peritiam, tum ne ab omnibus cernantur. Nomina harum sellarum quam plurima inter Arabes celebrantur, in quibus frequentissimum cum nostro כַּר conveniens كُورٌ et مَكْوَرٌ, quod a Lexicographis exponitur الرحل باداته *sella camelina cum omni suo apparatu. Kaempfer, Amoenitt. Exott.* Fasc. IV. Rel. VII. §. 3. p. 724. *Abducendis aegris et nobiliorum feminis arculae serviunt* (apud Persas), *singula ad ephippii latera affigendae. Ad caveae normam fabricatae sunt, pannoque obductae, ut in iis latitare singuli insidentes possint. Has invenit magnatum luxus et zelotypia, ut gynaecea sua in iis circumducenda occultare ab hominum intuitu possent.* Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 107. p. 154. Uni harum sellarum, qua vehi solebat, quaeque per noctem in tentorium ejus reposita fuerat, Rachela insedit, tanquam in sedile aliquod aut lectulum commodiorem; pulvinaribus enim aliisque utensilibus instrui solent hae sellae. Ceterum penatium statuae parvae erant, uti patet in fugientis Aenaeae descriptione Virgiliana *Aen.* II, 716., unde facile in istiusmodi sella camelina abscondi potuere.

35. כִּי־דֶרֶךְ נָשִׁים לִי *Quia via mulierum* est *mihi*, patior quae solent mulieres, mensibus laboro; idem quod

supra XVIII, 11. אֹרַח כַּנָּשִׁים, unde nomine אֹרַח Hebraei passim utuntur ad significandum menses muliebres. LXX. ὅτι τὰ κατ᾽ ἐθισμὸν τῶν γυναικῶν μοι ἐστίν. Videtur menstruis jam tum vis polluendi adscripta fuisse. Cavet igitur hoc modo Rachela, ne pater propius accederet, quia pollutio ei timenda erat, et ne suspicaretur quidem, filiam menstruatam super Diis sancte colendis sedere.

36. וַיַּעַן יַעֲקֹב *Et respondit Jacobus* iis quae dixit Laban Vs. 26. seqq.

37. שִׂים כֹּה נֶגֶד אַחַי וְאַחֶיךָ *Pone hic*, profer, *coram fratribus meis et fatribus tuis*, i. e. cognatis et comitibus utriusque nostrum, ut supra Vs. 32. וְיוֹכִיחוּ בֵּין שְׁנֵינוּ *Et arguant inter nos ambos*, sint arbitri, uter alteri injurius sit.

38. זֶה עֶשְׂרִים שָׁנָה *Hoc*, scilicet זְמַן *tempus viginti annorum*. Ita זֶה jungitur numeris ubi tempus significatur (ut infra Vs. 41.), q. d. jam agitur annus vicesimus, ex quo tecum sum. Cf. et not. supra ad XXVII, 36. רְחֵלֶיךָ וְעִזֶּיךָ שִׁכֵּלוּ *Oves tuae feminae et caprae tuae non orbarunt* scil. foetum, non abortierunt, dum impedivi, quae abortum afferre possunt. וְאֵילֵי צֹאנְךָ לֹא אָכָלְתִּי *Et arietes gregis tui non comedi*, quod tamen interdum facere coguntur pastores, ut habeant, quod edant. *Arietum* nomine Hebraei observant eum etiam *agnos* complecti, quia parum esset, arietes majores non comedere et iis parcere, interim agnis vesci.

39. טְרֵפָה *Laceratum*, i. e. discerptum pecus a feris, לֹא הֵבֵאתִי אֵלֶיךָ *non attuli ad te*, quod subinde faciunt pastores dominis gregum, quia talia non tenentur praestare, nisi eorum negligentia sit commissum. אֲחַטֶּנָּה contracte pro אֲחַטְּאֶנָּה, more quiescentium tertia radicali ה, ob affinitatem utriusque ordinis quiescentium ל"ה et ל"א. Verbum חָטָא in Piel alias significat *expiare* a peccato, ut Ps. LI, 9.; hic vicinam habet notionem, *luebam illud*, corrigebam, noxam in me suscipiendo et damnum praestando, uti subjungit, מִיָּדִי תְּבַקְשֶׁנָּה *de manu mea requi-*

rebas illud. In quo ejus injustitiam ostendit, quod pendere teneretur, quae fere non solent pastores. certe Jacobus de suo restituebat, ut suam vigilantiam diligentiam Labani probaret. Quod quum ita sit, pe lium aliquod Jacobo fuisse oportet. גְּנֻבְתִי יוֹם וּגְנֻבְתִי לָיְלָה *Furtum diei et furtum noctis*, si quid furto violatu surreptum, aut abactum esset de pecore, vel interdiu nocte, scil. a me requirebas, quod ex antecedente est petendum. In גְּנֻבְתִי est י paragogicum, non Pronon affixum, ut recentiorum quidam putant, quasi affixi passive sumatur, hoc sensu: si quid mihi surrepti esset. Nam si primae personae suffixum esset, fo גְּנַבְתִּי scriptum. Exempli י paragogici habes et אַתִי Jes. I, 24., et רַבָּתִי Thren. I, 1. Sunt igitur haec ver capienda ac si essent: גְּנֻבַת יוֹם וּגְנֻבַת לָיְלָה.

40. הָיִיתִי בַיּוֹם אֲכָלַנִי חֹרֶב וְקֶרַח בַּלָּיְלָה *Fui* scil. hoc statu, *interdiu consumsit me aestus et glacies noc* Quam ardens enim in Oriente interdiu est aestus, ta vehemens et periculosum est frigus nocturnum, quod ar auroram rore cadente oriri solet; id quod omnes testa tur, qui in illas regiones itinera instituerunt, e. c. ***Rau wolf*** *Itiner.* p. 189. *Thevenot*, P. II. p. 52. *Ole rius*, Lib. V. Cap. VII. p. 565. Cf. *das alte und ne Morgenl.* P. I. No. 108. p. 155. Similis mentio occur aestus diei et frigoris nocturni Jerem. XXXVI, 30.

41. וָשֵׁשׁ שָׁנִים בְּצֹאנֶךָ *Et sex annis* scil. עֲבַדְתִּיךָ: *servii tibi*, quod ex antecedentibus est repetendum, *p ovibus tuis*, foetibus scilicet, quos ex pacta mercede co sequerer ex tuis ovibus. וַתַּחֲלֵף אֶת־מַשְׂכֻּרְתִּי עֲשֶׂרֶת מֹנִים vid. not. supra ad Vs. 7.

42. לוּלֵי אֱלֹהֵי אָבִי אֱלֹהֵי אַבְרָהָם וּפַחַד יִצְחָק הָיָה לִי *Nisi Deus patris mei*, quod declarat, *Deus* scilic *Abrahami, et pavor Isaaci fuisset*, affuisset *mihi*. „Quu Abrahamus in sua familia veri dei instituisset cultun quem Isaacus ab eo doctus servarat, Jacobus πατρῷον Θε hoc est, avi et patris, creatorem coeli et terrae voca

Ita et falsorum numinum cultores loquebantur, qui non modo familiae suae proprios Deos seu Lares domesticos esse opinabantur; sed et aliquando eos majorum suorum norant, qui primum coeperunt illos colere: unde fiebat, ut Penates illos *eorum deos* vocitarent. Lar familiaris ita apud Plautum in *Aulularia* προλογίζει:

Ego Lar sum familiaris, ex hac familia
Unde exeuntem me adspexistis, hanc domum
Jam multos annos est, eam possideo et colo,
Patrique avoque jam hujus, qui nunc hic habet.

Alioqui *patrii dii* frequentius commenticii Dii erant, quam veri, quum tunc temporis perpaucorum patrius Deus verus esset." *Cleric.* פַּחַד יִצְחָק Onkelos bene reddidit דִּדְחִיל לֵיהּ יִצְחָק *ille quem timet*, singulari reverentia prosequitur *Isaacus.* Ita et Jesaj. VIII, 13. *Jovam sanctum habeatis*, וְהוּא מוֹרַאֲכֶם וְהוּא מַעֲרִיצְכֶם *is timor vester, is terror vester sit.* Falsi etiam dei simulacrum, quod in luco erat, vocatur 1 Reg. XV, 13. מִפְלַצְתָּהּ *terriculamentum ejus*, quod illius cultores lucum subeuntes id revererentur. Quod autem Deus hic Isaaci potius quam Abrahami פַּחַד vocatur, Jarchi rationem comminiscitur hanc, quod Isaacus adhuc tum viveret, et viventibus proprium nomen suum non tribuat, sive adjungat Deus, licet supra XXVIII, 13. se *Deum Isaaci, patris sui*, vocasset, quod ejus caligarent oculi, et ei caecutienti adesset, quum caecus mortui instar habeatur. Quod frivolum videtur, uti et illud quod alii Hebraeorum appellationem illam referunt ad pavorem, quo Isaacus ad mactationem a patre ligatus correptus est. Ratio videtur nulla alia fuisse, nisi quod Isaacus ipse ita loqui soleret, unde et infra Vs. 53. Jacobus jurat *per pavorem Isaaci patris sui.* כִּי ante עַתָּה valet hic *sane, utique.* Ad postrema hujus Versus verba, וַיּוֹכַח אָמֶשׁ *arguitque*, sive *monuit te heri*, nocte superiore, te scilicet, ut dixisti (Vs. 29.), ne mihi noceres, Jarchi notat, יוֹכַח hic significatum תוכחה *reprehensionis* obtinere, non vero הוכחה *probationis, declarationis.* Attamen posteriore significatione

sumendum esse ait Moses Ben-Nachman (vulgo Ramb dictus), quasi dicat: evidenter ostendit Deus, rem ita l bere ut dico, cum tibi apparens vetuit, ne me dur alloquerere, aut aspere acciperes; ideo non expri Pronomen *te.* Vult igitur יוֹכַח eodem modo hic sui quo supra Vs. 37., ut sensus sit: hoc palam argu quam sis injustus, et meam causam esse justam. Res men, utro modo יוֹכִיחַ capias, eodem recidit.

43. וְלִבְנֹתַי מָה־אֶעֱשֶׂה לָאֵלֶּה הַיּוֹם *Sed filias me quod attinet* (ita enim ל hic est capiendum, ut 1 Sa IX, 20., et saepius), *quid* tandem *hodie*, nunc, *iis j ciam?* Inique facis, inquit, quod putes me eo animo insectatum, ut illis nocerem, qui mei sunt liberi. M enim quomodo noceam?

44. וְעַתָּה לְכָה *Et nunc ito!* age! est hortantis, supra XIX, 32. — וְהָיָה לְעֵד *Et sit in testem*, scili Deus, ut vult Jarchi, cujus in extremo suo sermone Jac bus mentionem fecerat, Vs. 42. Sed malumus per sy thesin ad בְּרִית *foedus, pactionem*, referri (alioqui si בְּרִית referretur, quod femineum est, dicendum fuer הָיְתָה); hoc modo: הָיָה זֶה לְעֵד *sit hoc*, scilicet pactior inter nos initae signum, acervus mox erigendus, *testim nio*, quod non nocebimus deinceps invicem.

45. וַיִּקַּח יַעֲקֹב אָבֶן וַיְרִימֶהָ מַצֵּבָה *Sumsit igitur J cobus lapidem et erexit eum cippum*, cf. supra ad XXVI 18. Erexit lapidem columnae instar in perpetuam r memoriam. Similiter Josua erexit lapidem in memoria foederis Jovam inter et populum Hebraeum sanciti, Jo XXIV, 27.

46. וַיֹּאמֶר יַעֲקֹב לְאֶחָיו *Dixitque Jacobus fratrib suis*, i. e. cognatis Labanis, quos is secum adduxera uti Hebraeorum nonnulli volunt, comparantes locum ir fra XLVII, 3. וַיֹּאמֶר פַּרְעֹה אֶל־אֶחָיו *dixit Pharao fr tribus suis*, scil. Josephi. Qui Suffixum hic ad Jacobu referunt, uxores ejus cum filiis et comitibus intelligun uti supra Vs. 32. Sed videntur tam hi, quam quos L

ban secum adduxerat, qui adfines erant Jacobi, intelligendi. Nam et hos communi consensu adhortari potuit, ut simul cum suis lapides ad excitandum tumulum, foederis testem et indicem, congererent. Cf. infra Vs. 51. — וַיִּקְחוּ אֲבָנִים וַיַּעֲשׂוּ־גָל *Sumserunt igitur lapides et fecerunt acervum.* Jacobus unum lapidem magnum primus erexit, illi alios minores congesserunt ad illum, ut circumquaque illi minores lapides circumponerentur ad eum stabiliendum. וַיֹּאכְלוּ שָׁם עַל־הַגָּל *Et comederunt ibi ad hunc acervum.* Quod per prolepsin dicitur (cf. Vs. 54.); prius enim est foedus initum, postea in signum confirmationis ejus simul illic omnes cibum sumpserunt.

47. יְגַר שָׂהֲדוּתָא sunt Syriacae aut Chaldaicae voces, quae *acervum testimonii* denotant; unde intelligimus jam illo tempore in Mesopotamia alium fuisse sermonem, quam in Cananaea. גַּלְעֵד, quo nomine Jacobus illum acervum nuncupavit, Kimchius et alii interpretantur *tumulum testis;* nam tumulus *testimonii* Hebraice esset גַּל עֵדוּת Attamen עֵד, neutraliter sumtum pro *eo quod testatur*, ut Substantivum usurpatur et Exod. XX, 13. Deut. V, 17. XXXI, 21. Atque ita et hic capere praestat, ut cum nomine Syriaco pressius conveniat.

48. קָרָא־שְׁמוֹ *Vocat nomen* scil. קֹרֵא *vocans*, i. e. vocatur, impersonali loquendi modo Hebraeis recepto. Vid. *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 797. No. 3.

49. Initium hujus Versus cohaeret cum eo, qui praecedit, e quo repetendum est קָרָא שְׁמוֹ, hoc sensu: *vocavitque nomen ejus et* מִצְפָּה, *speculam*, אֲשֶׁר, i. e. כִּי, *quia*, אָמַר *dixit*, scilicet uterque: יִצֶף יְהוָה בֵּינִי וּבֵינֶךָ *speculetur Jova inter me et te*, כִּי נִסָּתֵר אִישׁ מֵרֵעֵהוּ *si*, i. e. cum, quando, *absconditi erimus vir a socio suo*, i. e. quando discesserimus alter ab altero. Judicio Dei vindicandum permittit Laban quicquid alter in alterum absentem injuriae moliatur, quasi dicat: quamvis ad me usque non pervenerit injuriae notitia, quia procul abero, Deum tamen oro, ut speculetur et animadvertat etiam in te, si pa-

ctum, postquam invicem discesserimus, fregeris. Quai sententiam clarius Versu proximo declarat. מִצְפָּה Jarcl putat loci nomen esse in summo monte. Sed malumı cum Mose-Ben-Nachman, eundem illum tumulum utroqu nomine ab illis dictum, et גַּלְעֵד et מִצְפָּה. Postea urt eodem nomine non procul ab illo tumulo condita i monte et terra Gilead ultra Jordanem, in agro, qui tribı Gadi fuit, cujus fit mentio Jos. XI, 3. 18. XIII, 26. Ali urbs מִצְפָּה dicta fuit in tribu Benjamin, Jud. XX, ı XXI, 1. al.

50. אֵין אִישׁ עִמָּנוּ *Non est vir*, quisquam, *nobis cum*, i. e. tum, cum a nobis invicem discesserimus, ‹ nullus ex his, qui hic sunt nobiscum erit, qui injuriaı videat, quam tu mihi meisve filiabus facies, aut quam eg tibi faciam, רְאֵה אֱלֹהִים עֵד בֵּינִי וּבֵינֶךָ *vide*, Jacob‹ *Deus* est *testis inter me et te*, et injuriae mihi illata vindex existet.

51. הַמַּצֵּבָה אֲשֶׁר יָרִיתִי *Haec statua, quam projec.* i. e. conjectis in unum lapidibus erexi, uti LXX. ἔστησα et Onkelos, אֲקֵימִית *statui.* Sententia absolvitur Vers proximo.

52. אִם־אָנִי לֹא־אֶעֱבֹר *Si ego non transibo*, i. ‹ quod non transibo. אִם, Jarchio monente, pro אֲשֶׁר, ı supra XXIV, 33. עַד אִם־דִּבַּרְתִּי pro עַד אֲשֶׁר et alias. Sı tis erat אִם, si transibo, ut in jurejurando Hebraice poı solet: si hoc aut illud fecero, mihi sic aut sic accida licet imprecatio soleat omitti. Ita לֹא abundaret. Veruı utrumque hic conjungitur, conditionale et negativur quasi diceret: si transiero, sed non transibo. Ad ind candum autem hic simul, jusjurandum esse et negationeı cum asseveratione conjunctam, in אָנִי est distinctio (Rt hia), ut suspendatur sententia: *si ego*, scilicet foedus hc violaro, dispeream; ut seorsim sequatur: *non transib* אֵלֶיךָ *Ad te*, i. e. ut ad te veniam, nempe לְרָעָה *in mc lum*, malo animo, nocendi causa, quod ex fine Versı est repetendum. Metuisse videtur, ne Jacobus aliquand reversus ab eo vindictam sumeret.

53. אֱלֹהֵי אַבְרָהָם וֵאלֹהֵי נָחוֹר *Deus Abrahami et dii Nachoris*, ita enim verba interpretanda ex mente Hebraeorum, qui observant, אֱלֹהֵי אַבְרָהָם esse קדש *sanctum*, i. e. de uno et vero Deo, אֱלֹהֵי נָחוֹר vero חול *profanum*, i. e. de diis falsis capiendum. Erant certe diversi; nam trans Euphratem Abrahami majores deos alienos coluisse, diserte dicitur Jos. XXIV, 2. — יִשְׁפְּטוּ בֵינֵינוּ *Judicent inter nos*, ultores sint fidem fallentis; cf. supra ad XVI, 5. Verbis אֱלֹהֵי אֲבִיהֶם Jarchi iterum adnotat חול, esse deos falsos intelligendos. Ita et Clericus, qui *eorum patris*, i. e. Therachi, interpretatur. „Post proprios," addit, „invocatos deos superstitiosus Laban iis conjungit communis parentis numen, quasi utrique reverendum." Nobis recte observasse videtur Aben-Esra, verba אֱלֹהֵי אֲבִיהֶם esse Mosis, adeoque per parenthesin a reliquo sermone secludenda, quasi diceret: suum quisque numen violati foederis ultorem invocavit. LXX. illa non expresserunt, quos sequitur Aegyptius interpres, teste de Rossio. Desunt et in duobus codicibus Kennicotti. Hic existimans, haec verba sensum turbare, conjecit, ea primitus in textu non extitisse, sed scribam oscitanter primum scripsisse iterato verba אלהי אברהם, in אלהי אביהם leviori facta mutatione temporis successu *Dissertat. I. de ratione Text. Hebr.* p. 353. Illa cum LXX. omittenda esse vult quoque Houbigantius. Cod. Samaritanus legit אלהי אברהם, cui lectioni adstipulantur tres Kennicottiani et totidem de Rossiani codices. Vix dubium ex vitio scribarum, quum nomen אברהם praecedat. Syrus in plurali legit et cum affixo primae personae: *Deus patrum nostrorum.* Quod non ineptum foret, modo pluribus testibus firmatum esset. Plura in hunc locum disputavit *Hensleru*s in *den Bemerkungen*, p. 396. seqq. וַיִּשָּׁבַע יַעֲקֹב בְּפַחַד אָבִיו יִצְחָק *Juravit autem Jacob per pavorem patris sui Isaac*, i. e. per Deum, quem pater summopere colebat et reverebatur. Cf. supra ad Vs. 42.

54. Verba וַיִּזְבַּח יַעֲקֹב זֶבַח Jarchi ita explicat: שחט בהמות למשתה *mactavit animalia ad convivium*,

quod mox disertius dicitur, et jam supra Vs. 46. per prolepsin dictum erat. Sane verbum זָבַח in universum *mactare* denotat, 1 Sam. XXVIII, 24. 1 Reg. XIX, 21., et זֶבַח *epulum*, ut Prov. XVII, 1. Ezech. XXXIX, 17. Neque enim de *sacrificio* verba illa capienda esse Hebraei observant inde intelligi, quod Jacobus invitasse dicitur Labanem et ejus comites ad comedendum secum, quod non facere potuisset, si convivium hoc cum sacrificio Deo Jacobi oblato conjunctum fuisset. Post foedera sancita convivia esse celebrata, vidimus supra XXVI, 30.

10. *Jacobus ad Esavum accedere veritus, visione mirifica recreatur; munera praemittit ad ejus animum placandum; luctatur cum angelo, a quo superato Israelis nomen accipit. Cap. XXXII.*

Cap. XXXII, 2. וַיִּפְגְּעוּ־בוֹ מַלְאֲכֵי אֱלֹהִים *Occurrerunt ei in via angeli Dei.* Abarbenel putat, eos, qui hic *angeli Dei* vocantur, fuisse viatores, ejus regionis viros, mercatores, qui eum praetereuntes narraverint, Esavum in procinctu esse, ut hostili exercitu occurreret Jacobo. Vocari autem ideo angelos Dei, quia fuissent in oculis ejus instar angelorum Dei, quippe qui ipsi indicassent rem ipsi admodum necessariam scitu. Aliam sententiam proferunt *Josephus* et *Chrysostomus.* Ille enim in *Antiqq.* Lib. I. c. 20. §. 1. Ἰακώβῳ δὲ εἰς Χαναναίαν προσιόντι φαντάσματα συνετυγχάνον ἀγαθὰς ἐλπίδας ὑπαγορεύοντα περὶ τῶν ἐς ὕστερον. *Jacobo in Cananaeam terram proficiscenti visiones occurrerunt, in bonam spem eum erigentes de iis, quae in posterum ei essent obventura.* Hic in Homil. Lib. VIII. in Genesin: Ἐπειδὴ γὰρ παυσαμένου τοῦ φόβου τοῦ Λάβαν καὶ τέλος εἰληφότος, διεδέχετο λοιπὸν ὁ φόβος τοῦ ἀδελφοῦ, διὰ τοῦτο ὁ φιλάνθρωπος δεσπότης παραθαῤῥῆναι τὸν δίκαιον βουλόμενος καὶ πᾶσαν αὐτοῦ τὴν δειλίαν ἀποσκεδάσας, παρεσκεύασεν αὐτὸν τῶν Ἀγγέλων τὴν παρεμβολὴν ἰδεῖν. *Sublato jam et finito metu, quem ob Labanem conceperat, successit metus fratris. Propterea*

Deus ille humanissimus securo animo esse Jacobum omnemque metum ipsi exuere volens Angelorum haec castra ut videret, curavit. „Quemadmodum abeunti ex patria Jacobo Deus ostendit plures angelos per scalam adscendentes et descendentes, quasi ministros ad eum tutandum paratos: sic nunc redeunti in patriam et anxio iidem obviam eunt, ut intelligat nihil esse cur timeat, nam Deum, qui perpetuo se ipsi adfuturum spoponderat, adesse reduci.“ *Cleric.* Pro mytho etymologico, quo nominis urbis מַחֲנָיִם, in confinio tribuum Gadi et Manassis, trans Jordanem sitae (Jos. XXI, 38. 2 Sam. XVII, 24.), ratio redderetur, hanc narrationem habet *de Wette, Kritik der Jsraelit. Gesch.* p. 132.

3. מַחֲנֵה אֱלֹהִים *Castra Dei,* quod multos simul videret angelos, in unum locum congregatos, quasi una iter facerent. מַחֲנָיִם *gemina castra,* „non quod duplicia Angelorum fuerint castra, sed quod praeter angelica essent etiam Jacobi ipsius castra, hoc est, familia cum pecoribus.“ *Cleric.* Quae ipsa et Aben-Esra est sententia. Sed alii Hebraeorum duali numero hic indicari putant, Jacobum castra angelorum a dextris et sinistris conspexisse, quasi illis undique cinctus esset et stipatus, praesidii causa. Jarchi dualem numerum refert ad duplex angelorum agmen, illorum, qui extra terram Cananaeam Jacobum deduxerint illuc usque, et angelorum terrae Canaan, qui nunc ei obviam venerint, ut eum per terram illam deducerent.

4. אַרְצָה שֵׂעִיר *In terram Seir,* vid. supra XIV, 6. et ibi not. — שְׂדֵה אֱדוֹם *Agrum,* ditionem *Edomi,* i. e. Esavi, coll. infra XXXVI, 1.

5. כֹּה תֹאמְרוּן לַאדֹנִי לְעֵשָׂו *Ita dicetis domino meo Esavo. Dominum* eum alloqui jubet, honoris et civilitatis causa, cf. supra ad XXIII, 6.

6. וָאֶשְׁלְחָה לְהַגִּיד לַאדֹנִי *Ac misi ad renunciandum haec domino meo.* „Videtur hoc dici a Jacobo, ut intelligeret Esavus, se non esse opum egenum, neque redire

in Cananaeam eo animo, ut, primogeniti sibi olim vei dito jure, haereditatis paternae bessem sibi vindicare qua testificatione sine dubio ei Esavi conciliabatur ar mus." *Cleric.*

7. וְאַרְבַּע־מֵאוֹת אִישׁ עִמּוֹ *Et quadringenti viri cu eo*, sine dubio servi armati, conf. Genes. XIV, 14. N videntur prolixe egisse cum Esavo legati. Proinde r sponsum afferunt nullum, sed Esavum duntaxat comitib quadringentis viris properare obviam Jacobo referu Hinc Jacobus fratrem suum hostili animo ei occurrere p tat, qui tamen sine dubio legatione fratris et donis ej permotus, fraterno animo ei obviam ivit, ut event docuit.

9. Innuitur consilium Jacobi copias dividentis. N voluit vim vi armata repellere, sed potius eam cautione servare, ut, si omnino Esavus hostilia meditaretur, n omnes internecione delerentur, sed caesa una acie, fu saluti suae consulere posset altera. Ceterum cf. *das a und neue Morgenl.* P. I. No. 110, p. 157.

11. קָטֹנְתִּי מִכֹּל הַחֲסָדִים וּמִכָּל־הָאֱמֶת *Minor sum*, i par, indignus, *omnibus beneficiis et omni veritate*, est, explicante Jarchio, ומה דבריך ששמרת לי כל ההבטחות שהבטחתני *fide verborum tuorum, dum mihi serva omnia promissa, quae mihi promisisti.* בְמַקְלִי עָבַרְתִּי אֶת־הַיַּרְדֵּן הַזֶּה *Cum baculo enim meo hunc Jordanem trai ivi*, i. e. nihil praeter baculum possedi, cum Jordane transierim. Onkelos: יְחִידַי *solus transii hunc Jordane* וְעַתָּה הָיִיתִי לִשְׁנֵי מַחֲנוֹת *Nunc vero in duo castra eva* i. e. duo agmina duco. Pecus meum in duo agmina di pescere possum, quorum utrumque satis magnum sit.

12. הַצִּילֵנִי נָא מִיַּד אָחִי מִיַּד עֵשָׂו *Libera me, qua so, e manu fratris mei, e manu Esavi.* Quod n simpliciter dicit: *e manu fratris mei, Esavi*, sed dist butive, *de manu*, inquam, *Esavi*, in eo, Jarchio obse vante, est emphasis, quasi dicat: e manu ejus, qui n tam mihi frater nunc est, quam Esavus, saevus et in

stus. כִּי־יָרֵא אָנֹכִי אֹתוֹ פֶּן־יָבוֹא וְהִכַּנִי אֵם עַל־בָּנִים *Vereor enim, ne me aggrediatur, matremque cum liberis occidat.* Proverbialis locutio, et Hos. X, 14. obvia, qua et crudelitas summa et occisio omnium eorum, de quibus sermo est, significatur. Desumta esse videtur ex eo, quod fit interdum in urbibus obsidione captis et occidioni damnatis, ubi non omnes modo mares sed saepe etiam parentes post liberos trucidantur.

13. וְשַׂמְתִּי אֶת־זַרְעֲךָ כְּחוֹל הַיָּם *Et ponam*, faciam, *posteritatem tuam sicut arenam maris.* Quibus ipsis verbis quidem promissio Jacobo facta supra XXVIII, 14. legitur; est enim ibi: וְהָיָה זַרְעֲךָ כַּעֲפַר הָאָרֶץ *erit semen tuum sicut pulvis terrae.* De *arena maris* reperies promissum Abrahamo supra XXII, 17., quo vult Jarchi referri, quod hic loco dicitur, quia promissiones factae patribus intelligantur et filiis factae. Sed non est ita verbis insistendum, dum sensus sit idem.

14. וַיִּקַּח מִן־הַבָּא בְיָדוֹ *Cepit ex iis, quae in manu erant*, i. e. *ἐκ τῶν παρόντων*, ut Graeci loquuntur, ex iis, quae in promptu ipsi erant.

16. גְּמַלִּים מֵינִיקוֹת *Camelos lactantes.* Camelitides enim lac praebentes pretiosiores sunt reliquis, quum Arabes camelinum lac etiamnum bibant. *Aristoteles Hist. Animal.* Lib. V. c. 26. Ἔχει δὲ καὶ τὰ κρέα, καὶ τὸ γάλα, μέχρις οὗ ἂν ἐν γαστρὶ λαβῇ, ἥδιστα πάντων. *Carnem habet, et lac camelus donec concipiat, omnium suavissima. Plinius Hist. Nat.* Lib. XI. c. 94. *Cameli lac habent, donec iterum gravescant; suavissimum hoc existimatur, ad unam mensuram tribus aquae additis.* Et Lib. XXVIII. c. 33. *Dulcissimum ad hominis usum lac camelinum. Diodorus Siculus*, Lib. II. p. 96. Αἱ μὲν γάλα παρεχόμεναι, καὶ κρεοφαγούμεναι πολλὴν παρέχονται τοῖς ἐγχωρίοις δαψίλειαν. *Camelorum aliae lac praebentes, et caro earum comesa, lautum incolis cibum suppeditant.* Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 111. p. 159. Ceterum observant Hebraei, in hoc mu-

nere additos esse mares pro necessitate foeminarum. Nempe in capris et ovibus servata est proportio decupla. Eandem *Varro de re rustica*, Lib. II. c. 3. commendat suo exemplo. *De maribus*, inquit, *et feminis idem fere discrimen, ut alii ad denas capras singulos parent hircos, ut ego.* Similis proportio observata est 2 Paralip. XVII, 11. Ceterum hoc munus divitias Jacobi haud mediocres arguit.

20. De industria Jacobus greges, quos Esavo dabat, instar longae pompae, interpositis intervallis, agi jusserat ut Clericus observat in h. l. Nam praeterquam quod major erat munerum species, tempus ipsum ad iram sedandam multum conducere poterat, atque iterata munera, quae ejus ad fratrem iter morabantur, erant veluti iteratae Jacobi preces, quibus veniam ab eo petebat et fraternae caritatis admonebat.

21. אֲכַפְּרָה פָּנָיו Jarchi recte exponit אבטל רוגזו *cessare faciam*, abolebo iram ejus, quo eodem *abolendi* significatu verbum כִּפֵּר et Jesaj. XXVIII, 18. XLVII, 11. usurpari ait (cf. quae nos ad ea loca notavimus). Addit, esse verbum Aramaeis *abstergendi* significatu frequens, quo saepe in Gemara occurrat (vid. *Buxtorfii Lexic. Chald.* p. 1076.), hinc 1 Chron. XXVIII, 17. *crateres* appellari כְּפוֹרִים, quod sacerdotes in iis manus abstersissent. אוּלַי יִשָּׂא פָנָי *Forsan feret vultum meum*, i. e. mei rationem habebit, me amice excipiet.

22. עַל־פָּנָיו *Ante eum*, „id est, priusquam ex eo loco, in quo erat, proficisceretur, jussit eos, qui munus Esavo agebant Jabbocum trajicere. Igitur עַל־פְּנֵי hic est Adverbium loci et temporis simul, quod non male expresserunt LXX. his verbis: *προεπορεύετο τὰ δῶρα κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ*, et Vulgatus *praecesserunt munera ante eum.*" *Cleric.* וְהוּא לָן בַּלַּיְלָה־הַהוּא בַּמַּחֲנֶה *Ipse vero pernoctavit ea nocte in castris.* Quum soleret in tentorio suo seorsim a gregibus aliquantum, et suo comitatu non permixtim cubare; nunc impendente periculo non

secubat a reliquo agmine, ut simul omnes sint tutiores, et hostem, si advenerit, communi consensu facilius conjunctis viribus repellant.

23. וַיָּקָם בַּלַּיְלָה הוּא *Surrexit autem nocte illa.* הוּא positum pro הַהוּא, ut supra XXX, 16. Sunt, qui הוּא ad Jacobum referant, ut verba ita sint reddenda: *surrexit nocte ipse,* refragantibus Accentis, qui voces בַּלַּיְלָה הוּא arctissime conjungunt. וַיַּעֲבֹר אֵת מַעֲבַר יַבֹּק *Et trajecit trajectum,* vadum, *Jabboci,* qui amnis fuit terminus septentrionalis regionis Ammonitarum, quem non transgressi sunt Israelitae Cananaeam occupantes; vid. Deut. II, 37. III, 16. Est fluvius, Jordane vix minor, qui in Basanitidis montibus ortus, et circiter XII. milliarium germanicorum iter emensus, in Jordanem paulo infra lacum Tiberiae influit; Arabibus يَرْمُوك, *Jarmuc,* indeque Graecis Latinisque *Hieromiax* sive *Hieromiaces* dicitur. Cf. *Michaelis Supplemm.* p. 1049. seqq.

25. וַיִּוָּתֵר יַעֲקֹב לְבַדּוֹ *Jacobus autem ipse solus remansit,* in ulteriore ripa fluminis Jabboc, jam trajectis suis omnibus ab ea parte, quae est versus montem Gilead. וַיֵּאָבֵק אִישׁ עִמּוֹ *Et luctatus est vir cum eo.* Is vero quum infra Vs. 29. 31., nec non Hos. XII, 4. אֱלֹהִים *Deus,* et ab eodem Hosea Vs. 5. מַלְאָךְ *angelus* appelletur; nostri Theologi fere statuunt, fuisse hunc Angelum increatum, id est, Dei filium, Patris personam, tanquam ejus *Legatus,* sustinentem, insignem nomine *Angeli, Jovae, Angeli foederis, Faciei Jovae,* iisque titulis distinctum ab angelis gregariis, vid. supra XVI, 7. XXI, 11. 13. Exod. XXXIII, 2. 4. coll. Vs. 14. Id quod pluribus adstruere conati sunt *Campeg. Vitringa,* Fil., in Dissertat. *de lucta Jacobi cum Angelo,* inserta *Biblioth. Bremensi,* Cl. I. Fasc. 6. p. 773. seqq., *Jerem. Friderici* in Dissert. *Deus Patriarchae Jacobi colluctator ex Genes. XXXII, 26. seqq., Cap. XLVIII, 15. seqq. et Hos. XII, 4. seqq. assertus et exceptionibus Jo. Clerici vindicatus,* Lips. 1729. 4., *Car. Gottl. Hofmann*

in Progr. *de lucta Jacobi cum Angelo increato*, Vit
1751., et *Joach. Ehrenfr. Pfeiffer* in Dissert.
lucta Jacobi cum viro Domino, futurae manifestatio
Dei in carne indice, Erlang. 1760. 4. Cf. *Henkii M*
gazin P. III. p. 113. 128. seqq. 162. seqq. Verb
נֶאֱבַק, in Niphal tantum obvium, *luctari*, ab אָבָק *pul*
re ductum, quem luctantes attollunt et excitant, quasi p
verizari, seu pulvere conspergi dicas, quemadmodum
Latini dicunt, *in arenam descendere*. Minus placet, qu
alii post Jarchium volunt, א pro ח sumi, ut אָבַק ide
sit, quod חָבַק, *complecti*, quod de *lucta* usurpetur, q
membra invicem complectuntur, et arcto nexu colliga
qui colluctantur. Sunt, qui, quae hic narrantur, Jaco
non vigilanti, sed in somnio contigisse putent; sine arg
mento idoneo, quum scriptor ne verbulo quidem in
at, re somnium referre. Vestigium hujus narrationis
prehendere licet in mytho Graecorum de Jove cum H
cule certante, cui quum praevalere non posset, se i
agnoscendum praebuit; vid. Tzetzem ad Lycophron
Vs. 41. Qua de causa Angelus cum Jacobo luctat
fuerit, ostenditur infra Vs. 29.

26. וַיַּרְא כִּי לֹא יָכֹל לוֹ *Et vidit, quod non praev*
leret ei, i. e. quum autem videret luctator ille, se Jac
bo non praevalere in illa virium corporis contentio
וַיִּגַּע בְּכַף־יְרֵכוֹ *tetigit volam femoris ejus*. Hoc ad l
ctantium artificia referendum est, quae adhiberi sole
ubi se impares aut inferiores viribus vident eo, cu
quo colluctantur, ut arte aliqua membrum corporis co
torqueant, ut vel dejiciatur, vel offendatur adversari
ut succumbat, aut saltem non sit omni ex parte superi
Ex eo artificio hic est *tactus femoris*, quae est laes
nervi ejus, ut liberum femoris motum, nervo ejus lae
non haberet Jacobus. כַּף *vola*, metaphorice hic est co
cavitas ischii et vertebra, qua femoris pars et inferi
cum superiori jungitur et colligitur, ac velut in illud i
seritur, Latini *acetabulum femoris* dicunt (vid. *Plin*
Hist. Nat. L. XXVIII. Cap. 2.), Graeci *κοτύλην*, q

nomine, auct. Aristotele *Hist. Animal.* L. I. C. 13. indicatur *ἐν ᾧ στρέφεται ὁ μηρός, in quo vertitur coxa,* hoc est, ea cavitas quam os femoris subit, a qua si vel tantillum amoveatur, sequitur claudicatio. Jarchi quoque כַּף dici ait קולית הירך התקועה בקליבוסת *partem inferiorem coxae quae infixa est superioris coxendici parti;* causam denominationis addit hanc, quod caro, quae supra illam est, speciem habeat ansae in olla. וַתֵּקַע כַּף־יֶרֶךְ יַעֲקֹב *Atque ita luxata est acetabulum femoris Jacobi.* Verbum יָקַע a quo וַתֵּקַע, ab Hebraeis exponitur סרה ממקומו, *recessit a loco suo,* qui significatus convenit et huic loco, et Jerem. VI, 8., convenitque Arabicum وَقَعَ *recidit, excidit ab* (مِنْ) aliqua re, *avulsus fuit ab ea.*

27. שַׁלְּחֵנִי כִּי עָלָה הַשָּׁחַר *Dimitte me, oritur enim aurora.* Ex veterum opinione Deus post aurorae ortum mortalibus apparere non solet, sed duntaxat per noctem et somnium. Jacobi igitur adversarius innuit, se superiorem esse, a quo Jacobus sibi prospera quaeque expetere debeat.

28. מַה־שְּׁמֶךָ *Quod est nomen tuum?* Sciebat sane; sed interrogat de eo, ut ex ejus confessione sumat occasionem mutandi ejus nominis.

29. לֹא יַעֲקֹב יֵאָמֵר עוֹד שִׁמְךָ כִּי אִם־יִשְׂרָאֵל *Non Jacob dicetur nomen tuum, sed Israel,* non quod nomine Jacob ultra vocatus non fuerit; sed quod eo longe insignius et augustius esset hoc, Israel, ad commendandam hujus luctae et victoriae de Deo relatae, memoriam. Verba כִּי שָׂרִיתָ עִם־אֱלֹהִים LXX. *ἐνισχύσας κατὰ Θεοῦ* reddiderunt, et hinc Hieronymus: *contra Deum fortis fuisti.* Sed שָׂרָה nusquam aut *fortitudinis* aut *victoriae* notionem habet. Onkelos: רַב־אַתְּ קֳדָם יְיָ *princeps tu coram Jova.* Recentiorum plures: *quia dominatus es cum Deo,* i. e. principem tete gessisti in Deum, lucta et certamine eum vincens. Verum recte Ed. Bernardus ad Jo-

Ant. L. I. C. 20. §. 2. observat, nomen יִשְׂרָאֵל significare potius *θεομαχεῖ*, sive *ἀγγελομαχεῖ*, etsi minus recte priorem Hebraici partem, ישר, ad Verbum שׂוּר referat, quod comparandum dicit cum Arabico سار *congredi, conflictari*, et cum Hebraico סוּר *aversari.* Verum Arabicum سار in Conjugatione III. valet *insilivit in aliquem, eum aggressus est*, neque ישר in nomine יִשְׂרָאֵל est ad שׂוּר, sed ad שָׂרָה referendum, idque conferendum cum Arabico شَرَا, quod in Conjunct. III. *contendit* cum aliquo denotat. Sunt itaque verba כִּי שָׂרִיתָ עִם־אֱלֹהִים ita vertenda: *quia contendisti*, certasti *cum Deo.* וְעִם־אֲנָשִׁים וַתּוּכָל *Et hominibus quanto magis praevalueris?* ו ante תּוּכָל *δυνητικῶς* videtur exponendum esse, q. d. וְלַאֲנָשִׁים אַף כִּי תּוּכָל. Deinceps non erit tibi quispiam hominum timendus, postquam tam feliciter tete cum Deo pugnans gessisti; non est ergo, quod fratrem timeas. Quia שָׂרָה construitur cum עִם, eandem constructionem et יָכֹל propter similitudinem recipit cum עִם, pro ל.

30. לָמָּה זֶּה תִּשְׁאַל לִשְׁמִי *Cur hoc*, cur ita *rogas nomen meum?* Innuit, Jacobum ex ipso Israelis nomine ei a se imposito posse intelligere, non cum homine sibi rem esse. Similiter Manoacho angelus ab eo de nomine suo interrogatus respondet Jud. XIII, 18. לָמָּה זֶּה תִּשְׁאַל לִשְׁמִי וְהוּא פֶלִאי *quare nomen meum percontaris, quod mirabile est?*

31. פְּנִיאֵל *Facies Dei.* LXX. *εἶδος τοῦ Θεοῦ.* Aquila, *πρόσωπον ἰσχυροῦ.* Pro פְּנִיאֵל mox Vs. 32. legitur פְּנוּאֵל, uti habet utrobique codex Samaritanus et Hieronymus; eodem modo scribitur Jud. VIII, 8. 9. 17. Remansit enim nomen illud huic loco, postea tribui Gad assignato ad confluentem Jordanis et Jabboci. Ejusdem nominis locum, Libano monti ad austrum, memorat *Strabo Geogr.* LXVI. Cap. 2. §. 15. *Τῇ δὲ Τριπόλει συνεχές ἐστι τὸ τοῦ Θεοῦ πρόσωπον, εἰς ὃ τελευτᾷ ὁ Λίβανος τὸ ὄρος.* *Tripoli continua est ea regio, quae Dei - facies appellatur,*

in quam Libanus mons desinit. Et paulo inferius §. 18. Berytum jacere ait μεταξὺ Σιδόνος καὶ τοῦ Θεοῦ προσώπου, *Sidonem inter et Dei-faciem.* כִּי־רָאִיתִי אֱלֹהִים *Quia vidi Deum*, subaudi: dixit, cogitavit: sic vocabo hunc locum, quod in eo Deum viderim פָּנִים אֶל־פָּנִים *facie ad faciem*, praesens praesentem, וַתִּנָּצֵל נַפְשִׁי *et erepta est anima mea*, et tamen evasi salvus. Nam insita fuit veteribus opinio, non posse conspici Deum citra praesentissimum periculum vitae, vid. supra XVI, 13. Jud. XIII, 22. 23.

33. עַל־כֵּן לֹא־יֹאכְלוּ בְנֵי־יִשְׂרָאֵל אֶת־גִּיד הַנָּשֶׁה *Propterea Israelitae vesci non solent nervo ischiatico.* נָשֶׁה convenit cum Arabico نَسًا *nervus* seu *tendo, qui per femur et crus ad talos defertur*, nostris Anatomicis *tendo Achillis* dictus, vid. *Michaelis Supplemm.* p. 303. et p. 1689. sequ. Futurum יֹאכְלוּ hic vertendum *comedere non solent.* At Rabbini nolunt hoc sumi על דרך ספור *modo narrationis*, sed quasi hic praeciperet Moses, non esse comedendum hunc nervum. Verum additum עַד הַיּוֹם הַזֶּה *usque ad hunc diem* ostendit de consuetudine ab aevo Jacobi ad Mosis aetatem perdurante agi. Judaei hanc consuetudinem ita anxii observant, ut ab omnibus nervis in posterioribus animantium abstineant, imo et a posterioribus animantium saltem donec nervi omnes sint amoti. Praecepta Talmudicorum de illo nervo leguntur in Tractatu חולין, id est, de profanis sive illicitis animantibus, Cap. 7.

11. *Jacobi et Esavi amicus congressus et per Canaaeam iter. Cap. XXXIII.*

Cap. XXXIII, 1. וַיַּחַץ אֶת־הַיְלָדִים עַל־לֵאָה וְעַל־רָחֵל *Et divisit pueros super*, i. e. apud, juxta *Leam*, Leae relinquens, *et juxta Rachelam*, q. d. suos cuique distribuit et assignavit natos.

2. Ancillas earumque liberos praemisit, post eas

vero Leam cum liberis, extremam Rachelam cum Josepho ire jussit. Ad quae Jarchi recte notat: אחרון אחרון חביב *quo quicquam charius habuit eo posterius collocavit*, ut, si saeviret Esavus, saltem posteriores reliqui fierent et evaderent. Praeterea cum matribus liberos prudenter collocavit, ut misericordia ductus Esavus utriusque parceret.

3. וְהוּא עָבַר לִפְנֵיהֶם *Ipse autem transiit*, progressus est, *ante illos*, paratus primam aciem subire, et vitam pro illis exponere. וַיִּשְׁתַּחוּ אַרְצָה שֶׁבַע פְּעָמִים *Et prostravit se ad terram septies*, honoris causa, ut intelligeret Esavus, multum abesse, ut sibi primogeniti jura adripere velit, qui tam submisse ad eum accederet. De illo reverentiae signo cf. not. supra ad XVIII, 2. XXIII, 7. Quod *septies* ad terram se inclinasse dicitur Jacobus, sunt, qui finitum numerum pro infinito pone velint. Sed potuit hic mos in istis regionibus tum fuisse, ut hoc numero quis aliquem magnum principem aut superiorem saluturus procederet. Davides ter procumbens Jonathanen servatorem suum veneratur 1 Sam. XX, 41.

4. Puncta extraordinaria voci וַיִּשָּׁקֵהוּ *et osculatus est eum* superne appicta, indicant, illam a codicibus quibusdam olim afuisse; cf. not. supra ad XIX, 33. Neque Origenem illam suis in codicibus Hebraicis reperisse, inde patet, quod ἐφίλησεν, quod pro וַיִּשָּׁקֵהוּ posuerunt LXX., obelo notavit, tanquam cui in Hebraeo nihil respondeat.

7. וְאַחַר נִגַּשׁ יוֹסֵף וְרָחֵל *Postea vero accessit Josephus et Rachela.* Ut inter triarios positi fuerunt Josephus et Rachela, sic ultimi accedunt ad Esavum. Quod autem, quum in ceteris matres filiis praeponantur, hic Josephus matri praeponitur, Jarchi rationem comminiscitur hanc, Josephum timuisse, ne profanus homo Esavus, oculis in matrem ob formae elegantiam avidius conjectis, eam appeteret, aut ei injuriam faceret, ideo se illi praeposuisse, ut Esavo resisteret, aut saltem impediret eum,

si quid in matrem moliretur. Nugae. Ἀκρίβεια illa parvi apud Hebraeos fiebat.

8. מִי לְךָ כָּל־הַמַּחֲנֶה הַזֶּה אֲשֶׁר פָּגָשְׁתִּי *Quaenam est tibi turma ista, cui occurri?* quam praemisisti. מַחֲנֶה *castra* hic pastores, qui munera ducebant, quinque, cum aliis, qui iis adjuncti fuerant, una cum gregibus ad eos comitandos, designat. לְךָ Dativus redundans ut supra Vs. 5. Sive: unde est, quod tota haec tibi sit turma? quod tantam turmam habeas? Alienius est, quod Aben-Esra exponit: quis ille est tantus, cui hanc totam turmam et tantam mittas? מַחֲנֶה nunc locum castrorum, nunc *exercitum*, et *turmam*, seu *catervam* significat, ut et *castrorum* nomine Latine utrumque significatur. וַיֹּאמֶר לִמְצֹא־חֵן בְּעֵינֵי אֲדֹנִי *Et dixit* Jacobus: *ut invenirem gratiam in oculis domini mei*, ut a te gratiam inirem hoc munere. Loquitur Jacobus ut inferior cum superiore, cujus favorem praemissis muneribus conciliare sibi studet, quod etiamnum in Oriente moris est. Nemini inferiorum sine praemissis muneribus superiorem adire licet; et pro signo maximi contemtus habetur, si hic munera ipsi oblata repudiat. Vid. *Paulsen von der Regierung der Morgenländer*, p. 159—163. et p. 175. §. 34. Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 115. p. 165.

9. יֶשׁ־לִי רָב *Est mihi multum*, satis multa habeo, tuis non egeo.

10. כִּי עַל־כֵּן רָאִיתִי פָנֶיךָ כִּרְאֹת פְּנֵי אֱלֹהִים *Nam propterea vidi vultum tuum, quasi viderim faciem Dei*, eo nomine te salutare omnino statui, ut hoc ex me munus susciperes, et ideo mihi aeque gratum fuit, te coram videre, ac si Dei faciem adspicerem, Dei videlicet mihi faventis. וַתִּרְצֵנִי *Et gratum me habuisti*, i. e. et quod mihi propitius factus sis.

11. קַח־נָא בִּרְכָתִי *Sume*, accipe, *quaeso*, *benedictionem meam*, qua non passive significatur, quod Deo benedicente divitiarum sit consequutus, sed munus, quod quis ei, quem salutandi causa adit, offert, a *salutando*, quod

Verbum בֵּרֵךְ nonnumquam valet, veluti 2 Reg. IV, 29., quia, qui salutant, alteri fausta apprecantur. Sic et 1 Sam. XXV, 27. בְּרָכָה dicitur munus ad placandum Davidis iram oblatum, et XXX, 26. בְּרָכָה מִשְּׁלַל אֹיְבִים est munus e spoliis hostium oblatum. אֲשֶׁר הֻבָאת לָךְ *Quod adducitur tibi.* הֻבָאת more Aramaico pro הֻבָאָה.

12. וְאֵלְכָה לְנֶגְדֶּךָ *Et ibo ad conspectum tui*, id est, Jarchio exponente, בשוה לך *aequali tecum itinere et gressu*, ut, licet armatorum turmam habeam mecum, quae celeriori cursu graditur, me tibi tamen attemperem. Bene Symmachus: *πορευθῶμεν, ἵνα συνοδεύσω σοι.*

13. וְהַצֹּאן וְהַבָּקָר עָלוֹת עָלָי *Et oves et vaccas lactantes* (scit dominus meus) esse *super me*, i. e. mihi, meae curae incumbere, ut illis provideam, ne quid concitatiore gressu detrimenti capiant. De עָלוֹת *lactantes* vid. not. ad Jesaj. XL, 11. Ante עָלוֹת deest ה articuli, ut Num. XXVIII, 4. הַכֶּבֶשׂ אֶחָד, et 2 Sam. VI, 3. הָעֲגָלָה חֲדָשָׁה. Cf. *Gesenii ausführl. Lehrg.* p. 659. וּדְפָקוּם pro וְאִם־יִדְפָּקוּם הָרֹעִים *et si pulsarint*, impulerint *eos pastores.* Ita ו et alias pro וְאִם ut Jesaj. XXX, 20. וְנָתַן לָכֶם pro וְאִם נָתַן לָכֶם, vid. not. ad eum loc. Verbum דָּפַק duobus reliquis locis, quibus in V. T. occurrit, Jud. XIX, 22. Cant. V, 2. *ostium pulsare* denotat. Sed proprie in universum pulsare quoquo modo videtur significare. Arabibus نَفَقَ in Conjug. VII. est *celeriter incessit.* Sed Hebraicum verbum magis convenit cum Arabum نَفَعَ *trusit, pepulit, impulit*, literis ע et ק alternantibus. וָמֵתוּ pro אָז וָמוּתוּ *tunc morituræ essent*, כָּל־הַצֹּאן *omnes oves*, de iis specialiter dicit, quod infirmiores sunt; boves enim, ut Moses Nachmani fil. observat, facilius resistunt, nec moriuntur, sed tantum infirmantur, si celerius agantur; quod et de pueris valet. Sed ovium et caprarum, quae nomine צֹאן continentur, rationem habet maxime, quod pulsentur virga, ut celerius gradiantur.

14. יַעֲבָר־נָא אֲדֹנִי לִפְנֵי עַבְדּוֹ *Transeat, quaeso, dominus ante servum suum*, comiter, me praecedat; וַאֲנִי אֶתְנַהֲלָה לְאִטִּי *ego vero ducam me*, incedam, sequar, *ad quietem meam*, pro commoditate mea, *à mon aise*, ut Galli dicunt. Alii: sensim, pedetentim, ut Jod sit paragogicum. Sed Jarchi recte Suffixum esse ait, et לְאִטִּי exponit לאט־שלי *lentitudine mea;* nam ל in לְאִטִּי non servile sed radicale esse putat, atque לָאַט notionem נחת *quietis* habere, ut 2 Sam. XVIII, 5. Jesaj. VIII, 6. Sed Dagesch in ט radicem אָטַט arguere videtur. לְרֶגֶל הַמְּלָאכָה אֲשֶׁר־לְפָנַי *Ad pedem*, ad gressum, *operis, quod est ante me*, i. e. quantum ferre potest gressus gregum, qui me anteunt. מְלָאכָה, quod proprie *opus, functionem* notare constat, aliquando designat rem et substantiam omnem, quam sibi quis opera et industria acquirit, ut 1 Sam. XX, 9. et hic. Est, ut observat Kimchi, nomen formae מַמְלָכָה pro מַלְאָכָה, quod ostendat Plurale constructum מַלְאֲכוֹת 1 Chron. XXVIII, 19. Clericus מְלָאכָה non ad radicem לָאַךְ, sed ad מָלַךְ referendum putat, quod Arabibus *possidere* valet, ut א sit epentheticum, ut Hos. X, 14. קָאם pro קָם, Prov. X, 4. רָאשׁ pro רָשׁ *pauper*, cujusmodi exempla plura collegit *Ludov. Cappellus de Punctor. Hebr. antiquit.* L. I. Cap. 18. §. 12. Hinc מְלָכָה vult denotare *possessionem*, seu *rem possessam*, tum in specie *pecus*, plane ut מִקְנֶה a קָנָה. Verum quum nomen מְלָאכָה locis aliis compluribus *operae, functionis* notionem indubie obtineat, radicem מָלַךְ vero Hebraeis *possidendi* significatu in usu fuisse, plane sit incertum, a recepta nominis illius interpretatione, supra posita, haud arbitramur recedendum. עַד אֲשֶׁר־אָבֹא אֶל־אֲדֹנִי שֵׂעִירָה *Donec venero ad dominum meum Seirem*. „Videtur Esavus invitasse Jacobum, ut in ditionis suae agros veniret, nec negavit Jacobus, quamvis forsan numquam eo iverit. Nusquam saltem ejus itineriis meminit Moses." *Cleric.*

16. Esavus, quia videt recusare fratrem itineris consortium, offert ei aliud: אַצִּיגָה־נָּא עִמְּךָ מִן־הָעָם אֲשֶׁר אִתִּי

constituam, quaeso, tecum de populo, qui mecum est, i. e. saltem de meo comitatu aliquos tecum sine relinquam, qui te honoris causa, vel tuendi ergo contra latrones, deducant itineris comites. Recusat tamen Jacobus et hoc, לָמָּה זֶּה *quare hoc,* inquiens, scil. facies? quorsum hoc? hac re non egeo; est mihi sat magnus comitatus. Forsan suspectum hoc habuit Jacobus, ne forte pro praesidio custodes, qui se observarent, invitumque deducerent, quo nollet ire, acciperet. אֶמְצָא־חֵן בְּעֵינֵי אֲדֹנִי *Inveniam gratiam in oculis domini mei,* „id est, sine te, quaeso, exorari etiam hac in re, ne invito praesidium des; vid. infra XXXIV, 11. XLVII, 25. Formula est, qua utebantur Hebraei, si quidpiam peterent, quod se impetraturos confidebant; quam non sunt assequuti LXX., qui habent: ἱκανὸν ὅτι εὗρον χάριν ἐναντίον σου, κύριε. Vulgatus similiter: *hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo.*" *Cleric.*

17. וְיַעֲקֹב נָסַע סֻכֹּתָה *Jacobus vero profectus est ad Succoth,* i. e. in locum, quem postea ita appellavit, uti mox sequitur. Situs erat trans Jordanem, assignatus postea tribui Gad, vid. Jos. XIII, 27. Jud. VIII, 15., alius ab eo, qui Exod. XII, 37. Num. XXXIII, 5. memoratur, ubi prima statio erat Israelitarum, postquam Aegypto exiissent. וַיִּבֶן לוֹ בָּיִת *Ac aedificavit sibi domum,* illic videlicet, tabulis et trabibus, uti videtur, quod diutius ibi mansurus esset. וּלְמִקְנֵהוּ עָשָׂה סֻכֹּת *Pecori autem suo fecit tabernacula,* quod nondum assidua migratione ei facere licuerat. Tabernacula vero ramis et foliis arborum facta, qualia aliis V. T. nomine סֻכּוֹת indicantur, ut Levit. XXIII, 42. Jesaj. IV, 6. Jon. IV, 5., hoc loco, recte monente J. D. Michaele in *Supplemm.* p. 1745., vix intelligi possunt. „Tam calido in climate quis tuguria ovibus conderet? maxime quum lana sub dio semper degentium multo sit melior, quam quae aestu et sudore stabuli corrumpitur. Terrarum, quas pererrabant, vastatores fuissent immanissimi Nomades, si ubique ex arborum ramis gregibus suis inutilia et noxia fecissent tuguria."

Quam difficultatem *J. E. Faber* quidem in *Archaeol. Hebraeor.* p. 148. seq. hac observatione tolli existimavit, מִקְנֶה hic non *pecus* indicare, sed *familiam* Jacobi, pastores et servos ejus, adversante tamen linguae usu, quo מִקְנֶה constanter de *pecore* dicitur. Satis verisimilis Michaelis est conjectura l. c., significari hic per סֻכּוֹת *mandras*, similes quodammodo illis, quae גְּדֵרוֹת dicuntur (vid. not. ad Num. XXXII, 16.), nec tamen muro circumseptas, sed spinis, adeoque ab iis nomen habere, collato Arabico شَوْكَى *spina.* „Ex spinis fidissimae fieri mandrae possunt, quas inter noctu tuti greges, maxime, accedente artificio, quale apud Belgas Caesar descripsit *de bello Gall.* L. II. Cap. 17., *ut sepes instar muri munimentum ponebant, quo non modo non intrari, sed ne quidem perspici possit.*"

18. Verba וַיָּבֹא יַעֲקֹב שָׁלֵם עִיר שְׁכֶם LXX. ita reddidere: *καὶ ἦλθεν Ἰακὼβ εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων*, quod sequutus Hieronymus: *transivitque in Salem, urbem Sichimorum.* Nec aliter Syrus. In *Quaestt. Hebrr.* Hieronymus ad h. l. haec tradit: „Error oboritur, quomodo Salem, Sichem civitas appelletur, quum Jerusalem, in qua regnavit Melchisedech, Salem ante sit dicta [cf. tamen Not. supra ad XIV, 18. p. 285.]. Aut igitur utraque urbs unius nominis est, quod etiam de pluribus Judaeae locis possumus invenire, ut idem urbis et loci nomen in alia atque alia tribu sit; aut certe istam Salem, quae nunc pro Sichem nominatur, dicimus hic interpretari *consummatam* atque *perfectam*, et illam, quae postea Jerusalem dicta est, *pacificam* nostro sermone transferri." Sed malumus cum Onkeloso et Saadia שָׁלֵם pro Adjectivo *incolumis* habere, quomodo et Jarchi cepit, qui ad vocem illam haec notat: „[Venit Sichemum] integer, salvus et incolumis, corpore suo, quod ejus claudicatio sanata est; item integer facultatibus suis, quod nihil imminutus esset dono Esavo collato; integer denique religione sua et pietate [בתורתו], qui tot annis cum Labane agens non esset corruptus." Nos simpliciter capimus ita: sine de-

trimento ullo, aut calamitate e Succoth venit Sichemum. In codice Samaritano pro שלם est שלום, quod potest verti *incolumis*, ut sit pro בְּשָׁלוֹם, supra XXVIII, 21. עִיר, Jarchio observante, pro לְעִיר, ut Ruth. I, 19. כְּבֹאָנָה בֵּית לֶחֶם pro לְבֵית לֶחֶם. *Sichem* urbs erat inter montes *Garizim* et *Ebal*, postea instaurata Neapolis (نَابُلُس, ut hic habet Saadias) dicta est; hodie sedes Samariticarum reliquiarum. וַיִּחַן אֶת־פְּנֵי הָעִיר *Castra posuit in conspectu urbis*, ex adverso ejus, extra eam.

19. קְשִׂיטָה quid sit, incertum. Pecunia signata non esse videtur, cujus antiquitas tanta non est. Michaelis putat, pondus fuisse veterum, nobis ignotum. *Faber* ad *Harmeri Beobachtungen über den Orient*, P. II. p. 18. et seqq. opinatur, Kesita fuisse vas argenteum aut aureum fabricatum; cujus generis vasa antiquissimis temporibus in negotiis loco pecuniae, et sic quoque in muneribus in usu fuerint. LXX., quos secuti sunt omnes veteres interpretes, vertunt ἑκατὸν ἀμνῶν. Intellexerunt fortasse nummos, agni imagine signatos. *A. Schultensius* in *Commentar. ad Job. XLII*, 11. P. II. p. 1229. קְשִׂיטָה *massulam auri ad stateram exacti* significare putat, collato Arabico قِسْطٌ, cujus vocabuli interpretationem e Lexico, cui *Camus* nomen, adducit. Plura de hac voce vid. in *Bocharti Hieroz.* P. I. Lib. II. Cap. XLIII. T. I. p. 473. seqq. edit. Lips. et not. nostr. p. 478., nec non *J. D. Michaelis* Commentat. *de Siclo Hebraeor. ante exilium Babylonic*, in *Commentarr. Societ. scientiar. Reg. Gotting.* T. II. ad ann. 1752. p. 40. seqq., et in *Supplemm.* p. 2207. Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 116. p. 167. Stephanus, protomartyr, in oratione, quae Act. VII. legitur, Vs. 16. hujus rei mentionem faciens Abrahamo tribuit, quod hic et Jos. XXIV, 32. de Jacobo narratur. Sed confudisse hoc videtur errore memoriae cum eo, quod supra XXIII, 9. 17. 18. legimus. Varia interpretum tentamina, illum Acto-

rum locum cum nostro conciliandi, hic referre non attinet.

20. וַיַּצֶּב שָׁם מִזְבֵּחַ וַיִּקְרָא לוֹ אֵל אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל *Statuitque illic altare, et vocavit illud: Deus, Deus Israelis.* Posteriorem Versus partem LXX. ita vertunt; ἐπεκαλέσατο τὸν θεὸν Ἰσραήλ, et Vulgatus: *invocavit super illud fortissimum Deum Israelis.* Similiter Onkelos: וּפְלַח עֲלוֹהִי *et coluit*, i. e. sacra fecit, *super eo coram Deo, Deo Israelis.* Verum וַיִּקְרָא לוֹ nusquam significat, *invocavit super eo*, sed ex perpetuo linguae Hebraicae usu, *vocavit eum.* Videtur haec loquutio elliptica esse, ut ante אֵל repetendum sit מִזְבֵּחַ, hoc sensu: vocavit altare illud *altare Dei*, et *Dei* quidem *Israelis*, sive, non cujusvis Dei, sed illius, quem Israel colit. Simili modo Exod. XVII, 15. legitur: *Moses aedificavit altare*, וַיִּקְרָא שְׁמוֹ יְהוָֹה נִסִּי *et vocavit nomen ejus: Jova vexillum meum*, i. e. altare Jovae, qui est vexillum meum. Sic et instauratae Hierosolymae dicitur nomen futurum Ezech. XLVIII, 35. יְהוָֹה שָׁמָּה *Deus illic*, i. e. urbs in qua Deus est. Vid. et infra XXXV, 7. Similiter hodie templa memoriae Sanctorum consecrata appellamus, brevitatis causa, eorum nominibus, ut *S. Paulus*, *S. Petrus*.

12. *Dina a Sichemo rapitur; Jacobi filii cum eo et Sichemensibus foedus feriunt, quod perfide, occisis per insidias omnibus oppidi viris, eoque direpto, violant. Cap. XXXIV.*

Cap. XXXIV, 1. לִרְאוֹת בִּבְנוֹת הָאָרֶץ *Ut spectaret filias terrae.* Quibus verbis innuitur, Dinae nullam cum viris suspectam consuetudinem fuisse, sed ideo solum egressam esse, ut cum tractus illius puellis amicitiam contraheret. *Josephus Antiqq.* L. I. c. 21. Τῶν δὲ Σικιμιτῶν ἑορτὴν ἀγόντων, Δεῖνα, ἡ θυγάτηρ ἦν Ἰακώβου μόνη, παρῆλθεν εἰς τὴν πόλιν, ὀψομένη τὸν κόσμον τῶν ἐπιχωρίων γυναικῶν. *Sicemitis vero solennem diem agentibus, Dina,*

quae Jacobi fuit filia unica, urbem adiit ad visendum cultum mulierum istius regionis. In pluribus Codicis Samaritani exemplis manuscriptis pro לראות legitur להראות, ut sensus sit, exiisse Dinam, ut sese terrae filiabus conspiciendam praeberet, quod pluribus commendare studuit *J. M. Lobstein* in *Observatt. critt. in Pentateuch. loca illustr.* Giess. 1787. p. 8. seqq.

2. שְׁכֶם *Sichem*, a quo urbi nomen forsan, uti conjiciunt interpretes, factum est, בֶּן־חֲמוֹר הַחִוִּי *Filius Chamoris Chivvaei*, quod nomen unius ex decem Canaaeorum familiis, quae tamen tempore Josuae alia insederat loca, vid. not. supra ad X, 17. — נְשִׂיא הָאָרֶץ *Princeps*, vel *principis terrae.* Nam נְשִׂיא utroque potest referri. Hebraeorum plures ad filium referunt, cui pater principatum concessisset, unde et urbs de nomine filii dicta sit. וַיִּקַּח אֹתָהּ וַיִּשְׁכַּב אֹתָהּ וַיְעַנֶּהָ *Cepitque*, i. e. rapuit *eam*, *cubuitque cum ea, ac oppressit eam*, vim ei, seu stuprum intulit, quod verbo עִנָּה indicatur. אֹתָהּ prius cum וַיִּקַּח conjunctum, est Accusativus, *eam*, posterius vero Praepositio אֵת *cum*, cui suffixum tertiae femininae junctum, *cum ea* vertendum, pro אִתָּהּ. Neque enim Hebraeum שָׁכַב de concubitu cum femina construitur cum Accusativo personae (uti nos dicimus: *eine beschlafen*), sed cum עִם seu אֵת. Legitur quidem Deut. XXVIII, 30, ad marginem (קרי) יִשְׁכָּבֶנָּה (pro יִשְׁגָּלֶנָּה), sed per ellipsin pro יִשְׁכַּב עִמָּהּ.

3. וַתִּדְבַּק נַפְשׁוֹ בְּדִינָה *Adhaesitque anima ejus in Dina*, i. e. non ut scortum eam habuit, postquam constuprasset, sed perseveravit eam deperire, וַיְדַבֵּר עַל־לֵב הַנַּעֲרָ *Et loquutus est ad cor puellae*, solatus est eam, amoris omnia ei praebuit indicia, pollicitusque est eam se uxorem ducturum. De phrasi *ad cor alicujus loqui* vid. not. ad Jesaj. XL, 2.

7. וְכֵן לֹא יֵעָשֶׂה *Et ita non fieri debebat*, i. e. factum est hoc nullo modo excusandum, contra omne ho-

spitii jus ac morem est, puellam, quae inter sui generis socias tutam se credat, ita vitiari.

8. חָשְׁקָה נַפְשׁוֹ בְּבִתְּכֶם *Defixa est anima ejus in filia vestra*, i. e. vehementer amat filiam vestram. Verbi חָשַׁק, Arabici خسق, primam et propriam significationem esse *fixit*, *defixit*, unde ad amorem intensissimum transfertur, ut h. l. et Deut. VII, 7. XXI, 10. 1 Regg. IX, 19., ostendit *Everard. Scheidius* in *Dissertat. in Cantic. Hiskiae*, p. 198. seqq. *Filiam vestram* dicit Chamor, fratres, Dinae alloquendo. Videtur בַּת sensu latiore de *puella* usurpatum fuisse, ut Gallis *fille*.

9. וְהִתְחַתְּנוּ אֹתָנוּ *Sponsalia nobiscum facite*, i. e. affinitatem cum nobis contrahite. LXX. voce Hellenistica usi, ἐπιγαμβρεύσασθε ἡμῖν.

10. אִתָּנוּ תֵּשֵׁבוּ *Nobiscum habitate*, in unum populum nobiscum coalescite. וְהָאָרֶץ תִּהְיֶה לִפְנֵיכֶם *Et terra erit ante oculos vestros*, tota regio vobis patet. וּסְחָרוּהָ *Et circumite eam*, scil. cum gregibus vestris Nomadum more. וְהֵאָחֲזוּ בָּהּ *Et possessores vos constituite in ea*; hinc אֲחֻזָּה *possessio*, quae Graecis κατοχή, quia quae a nobis possidentur ea in nostra tenemus potestate, אָחַז enim i. q. κατέχω.

11. אֶמְצָא־חֵן בְּעֵינֵיכֶם *Inveniam gratiam in oculis vestris*, impetrem hanc a vobis gratiam; cf. not. ad XXXIII, 15.

12. הַרְבּוּ עָלַי מְאֹד מֹהַר וּמַתָּן *Multiplicate super me admodum dotem et munus*, imperate, imponite mihi quantumcunque volueritis, quantamvis dotem et munera, quae sponsae dantur. Illis enim temporibus, ut notatum est supra ad XXIX, 18., sponsi virginibus desponsatis dotem dabant, quod ex hisce verbis clarius liquet. Cujus moris et Homerus meminit. Ita Ulysses beatum fore ait, qui Nausicaam ἐέδνοισι βρίσας οἶκονδ᾽ ἀγάγηται, *dote praeponderans domum duxerit*, Odyss. VI, 159. Polymelam duxit Echecleus ἐπεὶ πόρε μυρία ἕδνα, *postquam dederat in-*

finita sponsalia, Iliad. XVI, 190. *Hesychius* ad vocem ἔδνα: Ἔδνα, φερνὴ τὰ ὑπὸ τῶν μνηστήρων ταῖς μνηστευομέναις διδόμενα, *dos, quam sponsi virginibus desponsatis dederunt.* Apud Germanos etiam veteres *dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert*, teste *Tacito* de *moribus Germanorum*, Cap. XVII. Patri vero dotem tradere, sicuti apud Hebraeos, ita etiam apud Graecos erat moris; ut apparet ex Odyss. VIII, 318. Sic species quaedam emptionis ac venditionis in nuptiis fuit; id quod etiamnum apud plures Orientales moris est.

13. וַיַּעֲנוּ בְנֵי־יַעֲקֹב אֶת־שְׁכֶם וְאֶת־חֲמוֹר אָבִיו בְּמִרְמָה *Responderunt filii Jacobi Sichemo et Chamori, patri ejus cum dolo*, pro quo Onkelos בְּחוּכְמְתָא *prudenter* posuit, quum tamen מִרְמָה ubique de dolo modo dicatur. Sichemus hic patri praeponitur, quod illius res maxime agebatur, uti Laban Bethueli, supra XXIV, 50., ubi frater in causa sororis, tacente patre, loquitur, uti hic Dinae fratres; cf. not. ad eum loc. וַיְדַבֵּרוּ *Et loquuti sunt*, videlicet quod proximus Versus subjungit. Neque igitur est opus, Verbum דִּבֵּר hic cum *A. Schultensio*, in *Animadv.* in h. l. pag. 124. *Operum minor.* ut Arabicum دبر, quod in Conjug. II. est *dolos struere, machinari*, significatu *dolose agendi* capere, quum proxime commemoratum esset, dolose illos cum Sichemo et patre ejus loquutos esse. Priusquam vero verba eorum adducuntur, causa fraudis, quam cogitarunt, praemittitur. אֲשֶׁר טִמֵּא אֵת־דִּינָה אֲחֹתָם *propterea quod* (pro בַּעֲבוּר אֲשֶׁר, ut supra XXXI, 49.) *polluisset Dinam, sororem ipsorum*. Pro טִמֵּא in codice Samaritano est טמאו, consentientibus LXX., qui ἐμίαναν habent, patrem socium facientes criminis a filio commissi, ut infra Vs. 31. Hujus responsi auctores praecipuos fuisse Simeonem et Levi, germanos Dinae fratres, patet ex Vs. 25.

15. אַךְ־בְּזֹאת נֵאוֹת לָכֶם *Tantum in hoc*, hac lege, *acquiescamus vobis.* נֵאוֹת Hebraei fere Niphal Verbi יָאַת faciunt; sed simplicius est ad radicem אות referre, ut infra

Vs. 22. יֵאֹתוּ, et Vs. 23. נֵאוֹתָה, nec non 2 Reg. XII, 9. וַיֵּאֹתוּ *consenserunt.* „Vocis נֵאוֹת hic est duplex apud LXX. translatio, quarum altera ex glossemate orta videtur, ὁμοιωθησόμεθα ὑμῖν *similes fiemus vobis*, voluntate nimirum, ut in unum populum coeamus, quo sensu futurum est Verbi יָאֵת, aut אוּת, altera, καὶ κατοικήσομεν ἐν ὑμῖν *et habitabimus inter vos*, quod significaret vox נאוה, si a נָוָה deduceretur, quod non fieret hic sine anomalia. Posset enim Infinitivus duntaxat esse, cui locus in hisce verbis non est. Vulgatus divinando: *valebimus foederari.*" Cleric. Onkelos reddidit נִתְּטַפַּס לְכוֹן, de qua interpretatione erudite disseruit *Fullerus* in *Miscell. SS.* L. V. Cap. 4., ostenditque, esse נִתְטַפַּס Ithpeal a nomine טוּפְסָא τύπος factum, et valere Onkelosi verba proprie hoc: *formabimus* s. *conformabimus nos vobis*, quomodo haec interpretatio cum Alexandrini interpretis ὁμοιωθησόμεθα ὑμῖν convenit; utrumque vero interpretem Hebraeum נֵאוֹת retulisse ad אוֹת *signum.* „Ac perinde ut ab אוֹר *lumen*, fit in Niphal נֵאוֹר *illuminabimur*, sic ab אוֹת, in eodem illo Futuro, נֵאוֹת formatum existimarunt. Igitur hac ratione נֵאוֹת לָכֶם notabit ad verbum: *consignabimur vobis*, q. d. tanquam signo utrisque communiter expresse similes efficiemur vobis. Poterit etiam reddi: *consignabimur*, aut *obsignabimus nos vobis*, i. e. firmissimum assensum pollicemur, tanquam pactionis signi vel sigilli impressione corroboratae. Unde factum opinor, ut LXX. 2 Reg. XII, 8. וַיֵּאֹתוּ καὶ συνεφώνησαν interpretati sint."

17. וְלָקַחְנוּ אֶת־בִּתֵּנוּ *Tum capiemus filiam nostram*, ut supra Vs. 8., ubi cf. not. Vel loquuntur Jacobi filii parentum nomine.

19. וְהוּא נִכְבָּד מִכֹּל בֵּית אָבִיו *Et ipse honoratus erat ex* s. *prae omni domo patris sui*, quem pater omnium liberorum maximi faciebat.

20. וַיָּבֹא חֲמוֹר וּשְׁכֶם בְּנוֹ אֶל־שַׁעַר עִירָם *Venit ergo*, i. e. venerunt, per ζεῦγμα, *Chamor et Sichem, filius ejus, ad portam urbis suae*, ubi, tanquam in foro,

negotia publica tractabantur (cf. not. supra ad XIX, 1.), ut hoc ad populum referrent.

21. הָאֲנָשִׁים הָאֵלֶּה שְׁלֵמִים הֵם אִתָּנוּ *Homines hi pacati sunt nobiscum.* שְׁלֵמִים Jarchi exponit בשלום ובלב שלם *in pace et animo integro sunt erga nos,* non oppugnare nos volunt ob Dinam corruptam. וְהָאָרֶץ הִנֵּה רַחֲבַת־יָדַיִם לִפְנֵיהֶם *Et terra, vide! est ampla manu utraque coram iis,* q. d. non est, quod objiciatis, angustos esse fines nostros, ut utrisque sufficere nequeat, satis ampla et spatiosa est terra nostra et utrinque capax. יָד haud raro *latus,* tum *locum, spatium* notare constat. Ita Ps. CIV, 25. mare dicitur רְחַב יָדַיִם *spatiosum manibus,* i. e. satis superque amplum ad magnos parvosque pisces continendos. לִפְנֵיהֶם *Coram iis* scil. patet, ut supra Vs. 10.

22. בְּהִמּוֹל לָנוּ כָּל־זָכָר *Eo quod circumcisus sit nobis,* i. e. inter nos *omnis mas.* בְּהִמּוֹל Jarchi exponit בִּהְיוֹת נִמּוֹל, est enim Infinitivus Niphal verbi מוּל.

23. מִקְנֵהֶם וְקִנְיָנָם וְכָל־בְּהֶמְתָּם הֲלוֹא לָנוּ הֵם *Pecora eorum, opes et omnia eorum jumenta nonne nostra sunt?* erunt? Fient opes populi et oppidi, quae familiae separatae erat. Interrogatio magis asseverat.

24. כָּל־יֹצְאֵי שַׁעַר עִירוֹ *Omnes exeuntes porta urbis ejus,* i. e. omnes cives, qui forum frequentare solebant. Cf. not. supra ad XXIII, 10. Videntur, ut observat Clericus, non magno numero aut opulentissimi fuisse, qui propter unius familiae opes eo adducti fuerunt, ut circumcisionem susciperent. Sed si tunc temporis in usu erat is ritus apud Aegyptios, ut videtur, potuit magnae gentis exemplum apud Sichemitas alicujus esse efficaciae.

25. וַיְהִי בַיּוֹם הַשְּׁלִישִׁי בִּהְיוֹתָם כֹּאֲבִים *Factum est autem die tertio, quum essent dolentes,* ex circumcisione, et ideo infirmi, ut resistere non possent. Ajunt Hebraei, circumcisos die tertio gravissime dolere, uti omnino in omnibus morbis et vulneribus diem tertium graviorem esse constat. Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 118. p. 169. וַיִּקְחוּ שְׁנֵי־בְנֵי־יַעֲקֹב שִׁמְעוֹן וְלֵוִי אֲחֵי

דִינָה אִישׁ חַרְבּוֹ *Et ceperunt duo filii Jacobi, Simeon et Levi, fratres Dinae, quisque gladium suum.* Quae verba non sunt ita intelligenda, quasi soli Simeon et Levi sine ullo auxilio hoc facinus exsequuti fuerint. Hi duo soli nomine appellari videntur, quia duces fuerunt hujus coepti, nec alios fratres in re gerenda adhibuerunt, sed tantum servorum numerum secum habuerunt. Quod vero Simeon et Levi hic *fratres Dinae* appellantur, quum tamen et ceteri Jacobi filii illius fratres essent, Jarchi rationem affert hanc, quod ii soli stuprum Dinae sunt ulti non sine vitae periculo. Sed *Josephus Antiqq.* L. I. Cap. 21. §. 1. hanc adducit rationem, quod fuerint *ὁμομήτριοι τῆς κόρης ἀδελφοὶ uterini puellae fratres.* וַיָּבֹאוּ עַל־הָעִיר בֶּטַח *Et venerunt adversus urbem,* invaserunt eam, confidenter, audacter, vel, בֶּטַח ad urbem secure agentem relato, ut Onkelos, דְּיָתְבָא לְרוֹחֲצָן *quae sedebat,* agebat: *confidenter,* nihil sibi metuebat a foederatis. Ita et Josephus l. l.: *Οὔσης ἑορτῆς, καὶ τῶν Σικιμιτῶν εἰς ἄνεσιν καὶ εὐωχίαν τετραμμένων, νύκτωρ πρώτοις ἐπιβαλόντες τοῖς φύλαξι κτείνουσι κοιμωμένους. Cum festiva esset celebritas, et Sicimitae sese darent animorum remissioni et epulis, invadunt noctu primos custodes, et consopitos trucidant.* Hoc Jacobi filiorum factum maximopere detestandum pater ipse graviter et tunc (vid. infra Vs. 30.) et moriens, infra XLIX, 5. 6., reprehendit, Sed vindictae cupiditatem, apud Orientis populos omnino multo vehementiorem, quam apud alios, apud Jacobi filios auxit opinio, quae etiamnum Arabibus insidet, fratrem stupro sorori illato gravius offendi, quam maritum uxoris perfidia. Vid. *Arvieux* in *Relatt.* P. III. p. 263. vers. germ., *Niebuhr Beschreibung von Arabien,* p. 39., et *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 119. p. 170.

27. בְּנֵי יַעֲקֹב *Jacobi filii,* scil. reliqui, praedandi caussa advenerunt, audito felici facinoris eventu. Voci בְּנֵי in codice Samaritano praemissum est ו, quod et LXX. legisse verisimile, quum vertant: *οἱ δὲ υἱοὶ,* et sane styli Hebraei consuetudini convenientius est. אֲשֶׁר טִמְּאוּ אֲחוֹתָם

Propterea quod (pro בַּעֲבוּר אֲשֶׁר ut supra Vs. 13.) *violassent sororem suam*. Urbem videlicet diripuerunt, cujus cives, quia se non opposuerunt Sichemo, visi erant illius factum probare.

30. עֲכַרְתֶּם אֹתִי *Turbastis me*, ducta ab aquis metaphora, quum essem jam hac in regione tranquillus, meas omnes res atque animum turbastis. LXX. *μισητόν με πεποιήκατε*. לְהַבְאִישֵׁנִי בְּיֹשֵׁב הָאָרֶץ *Foetidum*, i. e. detestandum, exosum *me reddendo inter incolam*, i. e. collective *incolas terrae*, quos statim nominat, *inter Canaaneos et Pherezaeos*, qui vel tum potentissimi erant, vel Jacobo vicini, et in suos irruere poterant ad facinus vindicandum. וַאֲנִי מְתֵי מִסְפָּר *Et me* meamque familiam quod attinet, *viri numeri*, i. e. paucissimi sumus; nam qui pauci sunt facile numerantur, et vicissim. Cf. Jesaj. X, 19. et ad eum loc. not.

13. *Jacobus, Deo jubente, Bethelem proficiscitur, et aram Deo exstruit. Debora, Rebeccae nutrix, moritur.*
Cap. XXXV. 1—8.

Cap. XXXV, 2. הָסִרוּ אֶת־אֱלֹהֵי הַנֵּכָר *Amovete Deos peregrini* scil. populi, deos externos, alienos. Iis vix dubium Teraphim et alia idola intelligi, quae Rahela et servi Jacobi ex Mesopotamia secum duxerant, et quae abjecta esse, nusquam in superioribus legitur. הִטַּהֲרוּ *Mundamini*, i. e. abluite vos aqua. Bene Aben-Esra verbum הִטַּהֲרוּ interpretatus est per שירחצו הגוף, *ut lavent corpus*. Hac corporis lotione indicare debuerunt uxor et servi Jacobi, se et idolorum immunditie contaminatos esse, et hoc ritu ab ea purificari. Nonnulli interpretes, quibus et Michaelis adstipulatur in notis ad h. l. et in *Supplemm*. p. 1000., hunc ritum signum transitus ad veram religionem, adeoque genus quoddam bapitsmi fuisse putant. וְהַחֲלִיפוּ שִׂמְלֹתֵיכֶם *Et vestes vestras mutate*. Vestes enim quoque idolorum cultu contaminatae putabantur.

4. וַיִּתְּנוּ אֶל־יַעֲקֹב אֵת כָּל־אֱלֹהֵי הַנֵּכָר *Dederunt Jacobo omnes Deos alienos.* Videntur plures fuisse; non enim credibile est, scriptorem voce כֹּל usum fuisse ad unam aut alteram statuam significandam. וְאֶת־הַנְּזָמִים אֲשֶׁר בְּאָזְנֵיהֶם *Et inaures quae erant in auribus eorum.* „Duplex,“ inquit Clericus ad h. l., „fuit inaurium genus, quorum alterum ornamenti causa a mulieribus potissimum gestabatur, de quo hic sermo non est; alterum quod sacrum habebatur, et amuleti instar, ad malum quodpiam averruncandum, etiam a viris solebat geri. Fortasse *Talismanorum* ritu sub certo sidere figuris quibusdam erant sculptae, quibus eam vim inesse idololatrae existimabant. Eam superstitionem Augustini adhuc aevo inter Christianos quosdam Afros viguisse ex his ejus verbis in Epistola CCXLV. patet: *Exsecranda autem superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in summis ex una parte auriculis suspensae deputantur, non ad placendum hominibus, sed ad serviendum daemonibus adhibetur.* Hos annulos in *Quaestionibus* ad h. l. *idolorum phylacteria* vocat. Similes annulos auribus gestasse videtur Jacobi familia, quos hic amoveri, ut alienis Diis consecratos, voluit. Hinc et Judaei talia servare illicitum putant, ut docet *Maimonides* in libro *de cultu peregrino*, Cap. VII. §. 10. *Si inveniantur, ait, vasa imagine solis, lunae, vel Draconis signata, aut insculpta sint in fibulis aut annulis, prohibita sunt.*“ וַיִּטְמֹן אֹתָם יַעֲקֹב תַּחַת הָאֵלָה אֲשֶׁר עִם־שְׁכֶם *Et abdidit Jacobus haec omnia sub terebintho illa, quae est propter Sichem.* אֵלָה idem est quod אֵלוֹן *terebinthus,* supra XII. 6. Ita et hic LXX. *τερέβινθον*, quos sequitur Vulgatus. Arborem illam notam tum fuisse et insignem, ostendit praemissum ה demonstrativum. LXX. haec addunt: *Καὶ ἀπώλεσεν αὐτὰ ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας*, id quod neque in Judaicis neque in Samariticis codicibus legitur. Glossema esse videtur, quod in textum irrepsit. Nonnulli eundem locum, qui hic nominatur, etiam Jos. XXIV, 26. signari volunt, nec certe ab eo remotus esse potuit, quum ad

candem urbem fuerit. Ceterum simulacra illa deorum atque annulos ritibus magicis consecratos, haud dubie Chaldaei servi, quos Jacobus secum habebat, et qui adhuc superstitione gentis suae infecti erant, in illius familiam intulerunt.

5. Timendum erat Jacobo, ne Cananaei Sichemensibus vicini, audita eorum caede, a Jacobi filiis patrata, illi insidias struerent, aut extremum ejus agmen invaderent; quod tamen non fecerunt propter חִתַּת אֱלֹהִים *Dei terrorem*, qui eos invasit. Hic autem Dei terror, ut recte Clericus monet, non ita est intelligendus, quasi illae gentes Deum timuerint, sed est *terror a Deo immissus*, ut Exod. XXIII, 27. Alii *vehementem terrorem* intelligunt, ob rationem ad Cap. XXIII, 6. XXX, 8. allatam. Alii ejusmodi timorem, qui a Graecis πανικὸς dicitur, et qui, quum nulla conspicua esset caussa, a Numine immissus credebatur. Ac sane non erat, cur Cananaei Jacobum timerent, ut ipse Capite superiore Vs. 30. dicit.

6. וַיָּבֹא יַעֲקֹב לוּזָה אֲשֶׁר בְּאֶרֶץ כְּנַעַן הִוא בֵּית־אֵל *Venit ergo Jacobus Luzam, quae est in terra Canaan, ea est Bethel;* sic enim vocarat Jacobus, ut commemoratur supra XXVIII, 19.

7. וַיִּקְרָא לַמָּקוֹם אֵל בֵּית־אֵל *Vocavit locum Deus Bethelis*, i. e. Deo Bethelis, s. qui in Bethele apparuit, sacrum, cf. not. supra ad XXXIII, 20. Nulla est causa, cum J. D. Michaele legere לִמְקוֹם, ut vertendum sit: *vocavit locum Dei*, i. e. locum Deo sacrum, *Bethel*. Vid. *Supplemm.* p. 2174. Neque ejus conjecturae, Hebraeum מָקוֹם nonnumquam esse *locum sanctum*, ut Arabum مَقَام proprie, locum, ubi statur, i. e. preces ad Deum mittuntur (vid. *C. B. Michaelis Diss. ritualia codicis sacri ex Corano illustrans*, §. 14.), quidquam tribuendum videtur. כִּי שָׁם נִגְלוּ אֵלָיו אֱלֹהִים *Quoniam ibi sese ei apparuisset Deus.* Jungitur nomini אֱלֹהִים (quod Masorethae ad marginem hic notant esse קָדוֹשׁ *sanctum*, i.

e. Deum eo indicari, non angelos) verbo plurali נִגְלוּ, uti supra XX, 13., ad quem loc. cf. not. Onkelos tamen מַלְאֲכַיָּא *angelos* reddidit, quos et intelligit J. D. Michaelis in versione germanica et in *Supplemm.* p. 89., quod re ipsa vidit Jacobus in somnio illo Cap. XXVIII. narrato, angelos ascendentes et descendentes, Dei vero vocem tantum audivit. Verum *angelos* אֱלֹהִים dici, nullo exemplo certo probari poterit; etsi nomen בְּנֵי אֱלֹהִים *filiorum Dei* iis tribuatur Job. I, 6. II, 1. Praeterea hoc loco אֱלֹהִים *Deum* indicare, ostendit ipsa loci appellatio, אֵל בֵּית־אֵל, vid. supra hujus Versus initio. Hinc ut omnis dubitatio tollatur, in codice Samaritano verbum singulare, נגלה, ponitur, et LXX. quoque reddiderunt ἐφάνη.

8. וַתָּמָת דְּבֹרָה מֵינֶקֶת רִבְקָה *Mortua autem est Debora, nutrix Rebeccae* eadem, haud dubie, quae supra XXIV, 59., omisso tamen ejus nomine, est memorata. וַתִּקָּבֵר מִתַּחַת לְבֵית־אֵל *Et sepulta est subter Bethel,* qui locus in monte aut colle videtur situs fuisse, unde et supra Vs. 1. Jacobus jubetur *ascendere ad Bethel.* Hieronymus hic vertit: *ad radices Bethel.* תַּחַת הָאַלּוֹן *Sub terebintho illa,* scil. nota aut celebri, quod praepositum ה demonstrativum indicat, uti supra Vs. 4. אֵלָה. Onkelos pro תַּחַת הָאַלּוֹן dedit בְּשִׁפּוּלֵי מֵישְׁרָא *in declivitatibus planitiei.* Cepit אַלּוֹן *planitiei* significatu, ut אֵלוֹן supra XII, 6. XIII, 18., ubi cf. not. Sed arboris nomen esse, patet ex Ezech. XXVII, 6., ubi Tyrii ex אַלּוֹנִים *Basanicis* remiges fecisse dicuntur; vid. not. ad eum loc. LXX. hic βάλανον *glandem* pro arbore posuerunt, unde Hieronymus *subter quercum* vertit. Quaerunt Hebraei, qui factum sit, ut Debora, nutrix matris Jacobi, in ejus comitatu esset? Respondet Jarchi, se e verbis Mosis Haddarschan (concionatoris) didicisse, Rebeccam juxta promissum suum supra XXVII, 45. memoratum misisse Deboram ad Jacobum e Mesopotamia accersendum, eamque revertentem in itinere obiisse. Sed vix videtur Rebecca jam vetulam, etiam cum comitibus, tam procul missura fuisse, nec post multos demum annos. Alii volunt, Deboram

obviam Jacobo venisse in Bethelem, vel in Sichem usque, a Rebecca praemissam; id quod non magis est verisimile, etsi alii existiment, Mosen voluisse mentione mortis Deborae tacite innuere mortem Rebeccae, cujus mortis alias non fiat mentio, nisi infra XLIX, 31. Alioquin infra Vs. 27. cum ad patrem Isaacum venisse dicitur Jacobus, meminisset et Rebeccae, si tunc vixisset. Memoratur autem, ut animadvertit Clericus, Deborae mors, non quod per se iis, quae omissa sunt, ut adventus Jacobi ad parentes, mors Rebeccae etc., majoris sit momenti, et dignior, quae litterarum monumentis servaretur, sed quia originem nominis querceti, quod ejus aevo perdurabat, indicare obiter voluit; id quod et alias facere solet, ut in nomine Tsoharis, supra XIX, 22., Bethelis, XXVIII, 9. et aliis in locis. וַיִּקְרָא שְׁמוֹ אַלּוֹן בָּכוּת *Vocavitque nomen ejus terebinthum fletus*, propter luctum, quo funus Deborae celebrarunt. Quod justorum nutrici persolutus honos hic commemoratur, ne cui historiae gravitate minus dignam videatur, cogitandum est, nutricis in vetere vita ut educandis pueris praecipuam operam, ita magnam fuisse reverentiam, ut parentali pietate coleretur. Res inprimis in Graecorum Tragicis obvia. Hinc in ipso Libri VII. Aeneidos initio haec legimus:

Tu quoque litoribus nostris, Aeneïa nutrix,
Aeternam moriens famam, Cajeta, dedisti;
Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.

Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 76. p. 113.

14, *Deus apparet Jacobo, eique nomen tribuit Israël. Cap. XXXV, 9—15.*

9. וַיֵּרָא אֱלֹהִים אֶל־יַעֲקֹב עוֹד בְּבֹאוֹ מִפַּדַּן אֲרָם *Apparuit autem Deus Jacobo iterum, cum reverteretur e Mesopotamia.* Primum ei apparuerat, cum Bethele Mesopotamiam proficiscebatur, supra XXVIII, 16. seqq.

10. לֹא יִקָּרֵא שִׁמְךָ עוֹד יַעֲקֹב כִּי אִם־יִשְׂרָאֵל יִהְיֶה שְׁמֶךָ

Non vocabitur nomen tuum ultra Jacobus; sed Israel erit nomen tuum. Id supra XXXII. 28. seqq. pluribus expositum. Cur autem hic repetatur, Hieronymus in *Quaestt.* ad h. l. post Hebraeos causam comminiscitur hanc, quod supra angelus, quocum luctatus est Jacobus, nondum ei nomen mutarit, sed tantum praedixerit, mutandum esse in Bethele; itaque hic jam quod ab angelo praedictum esset, a Deo ipso impleri. Sed verius alii videntur observare, confirmari hic quod supra dictum fuerat, ut magis magisque, insigni et magnifico nomine *Israelis* corroboretur ejus animus ad ea, quae ipsi restarent perferenda. Quum autem hic Jacobus non amplius eo nomine nuncupandus dicatur, et tamen non solum Moses passim deinceps, et alii V. T. scriptores nomine illo priori eum appellent; Aben-Esra et alii Hebraeorum Dei verba hoc Versu relata ajunt ita esse intelligenda, *non solo* Jacobi, verum et multo praestantiore Israelis nomine appellandum illum esse. Hinc Saadias Hebraea sic reddidit: لَا يُسَمَّى أَبَدًا يَعْقُوبُ فَقَطْ بَلْ إِسْرَئِيل *non vocabitur* nomen tuum *semper Jacobus tantum, verum Israel* quoque. Jarchi: *Non vocaberis amplius* לשון אדם הבא במארב ועקבה אלא לשון שר ונגיד *nomine eo quod designat hominem insidiis et fraude utentem, sed eo nomine, quod dominum et principem sonat.*

11. De nomine שַׁדַּי cf. not. supra ad XVII, 1. — גּוֹי וּקְהַל גּוֹיִם יִהְיֶה מִמֶּךָּ וּמְלָכִים מֵחֲלָצֶיךָ יֵצֵאוּ *Gens et congregatio gentium erit*, nascetur *ex te, et reges e lumbis tuis prodibunt.* גּוֹי Jarchi aliique Hebraeorum gentem, seu tribum Benjaminis, qui nondum natus erat, licet eo gravida esset Rachela, קְהַל גּוֹיִם autem Ephraimum et Manassen, nascendos ex Josepho, מְלָכִים denique Saulem et Isboseth, e tribu Benjaminis oriundos, intelligunt. Sed vix dubium, propagationem e patribus undecim tribuum jam natis et Benjamine mox nascituro indicari. קְהַל גּוֹיִם Onkelos bene reddidit כְּנִשַׁת שִׁבְטִין *congregationem tri-*

buum. „Non modo totus Israel, sed quoque unaquaeque tribus *gens* haberi potuit. Observandum, eo tempore גּוֹיִם *gentes* non fuisse numerosas, ut postea fuerunt. Singulae familiae initio in colonias sparsae *gentes* conficiebant, et quum ex Jacobo orituraе essent duodecim familiae, *nationes* eae, pro more ejus aevi, vocari potuerunt.“ *Cleric.*

12. וְאֶת־הָאָרֶץ אֲשֶׁר נָתַתִּי לְאַבְרָהָם וּלְיִצְחָק *Et terram quam dedi Abrahamo et Isaaco*, i. e. quam promisi eorum posteris me daturum. Ita apud Virgilium *Aeneid.* I. 279. Jupiter inter promissa de futura Romanorum potentia: *imperium sine fine dedi*, i. e. iis dabo. Pollicetur ergo Deus Jacobo eum haeredem futurum promissionum, quae patribus essent datae.

13. וַיַּעַל מֵעָלָיו אֱלֹהִים *Et ascendit Deus ab eo*, i. e. signum sive symbolum praesentiae divinae ascendit. Onkelos: וְאִסְתַּלַּק מֵעִלָּוֹהִי יְקָרָא דַיְיָ *et ascendit ab eo gloria Domini.* בַּמָּקוֹם אֲשֶׁר־דִּבֶּר אִתּוֹ *In* eo ipso *loco*, *quo loquutus cum eo fuerat.* LXX. posuerunt ἐκ τοῦ τόπου, quo sensus spectat. Cur vero hoc adjectum sit, et bis quoque repetatur Versu 14. et 15., Jarchi ingenue fatetur se ignorare. Hebraei recentiores varii varia afferunt. Sed causa videtur haec esse, ut loci illius praestantiam et celebritatem indicet, quod eodem illo loco, ubi jam bis Jacobo Deus apparuerat et cum ipso loquutus fuerat, haec omnia, quae hic dicit, acta sint, ut non immerito locum hunc tantopere honorarit, in eo statuam erigendo, uti sequitur.

14. וַיַּצֵּב יַעֲקֹב מַצֵּבָה בַּמָּקוֹם וגו׳ *Erexitque Jacobus statuam*, memoriae causa et testandae piae gratitudinis etiam aliis de tam insigni visione et promissione. וַיַּסֵּךְ עָלֶיהָ נֶסֶךְ *Et fudit super eam* statuam *libamen*, quod quale fuerit (ne quis putet fuisse e vino, ut praeceptum in Lege Num. XV, 5.), ut intelligatur, subjungit: וַיִּצֹק עָלֶיהָ שָׁמֶן *fuditque super eam oleum*, quod et supra XXVIII, 18. memoratum est (ad quem loc. cf. not.), unde sunt, ut

Aben-Esra, qui hic putent tantum repeti, quae illic narrata leguntur, ut omnino per Plusquamperfectum sint reddenda hoc modo: *ubi loquutus fuerat, statuam erexerat, libamen libarat, illamque oleo adsperserat, et eum locum Bethel vocarat.* Recentiores causam repetitiónis fere quaerunt hanc, quod ejusdem rei duplex narratio e duobus diversis monumentis vetustioribus utroque loco, et hic, et supra Cap. XXVIII., inserta sit. Nos quidem haud intelligimus, quid impediat, quo minus statuamus, referri hic, Jacobum idem hoc loco fecisse quod ante viginti annos, cum e terra Canaan discederet. Nam statua, quam tunc a fratre fugiens erexerat, nunc potuit aut injuria temporum, aut etiam incolarum, magna ex parte dissecta esse, aut tota, ut nulla ejus vestigia remanserint, ideoque renovanda fuerit. Cf. not. ad Vs. sequ.

15. Locum hunc, quem ante plures annos *Bethel*, i. e. domum Dei, appellarat (vid. supra XXVIII, 19), nunc denuo ita vocat, quia quondam sic voverat, se hanc statuam in reditu, si eum sibi concessurus sit Deus, habiturum pro aede Dei (XXVIII, 20.); ideo nunc ut votum persolvat, id nomen confirmat, quod tunc indiderat. Itaque ter jam eundem locum Jacobus appellat Bethel, primum in discessu e terra Canaan, supra XXVIII, 19., deinde in reditu, proprie altare ipsum, supra Vs. 7., et nunc tertio totum locum.

15. *Rachela, Jacobi uxor, Benjaminem enixa, moritur. Rubenis flagitium. Cap. XXXV, 16—22. dimid.*

16. וַיְהִי עוֹד כִּבְרַת־הָאָרֶץ לָבוֹא אֶפְרָתָה *Et factum est cum aliquod terrae spatium superesset, ut Ephratam pervenirent.* כִּבְרַת־הָאָרֶץ esse viae mensuram, res ipsa videtur flagitare et agnoscunt interpretes plerique, etsi quanta mensura intelligenda sit, vix definiri queat. Hebraeorum alii כִּבְרַת a כָּבִיר *magnum, multum, validum*, dictum arbitrantur, et amplum terrae spatium denotari putant. Alii, quibus כ praefixa particula est, *circa, fere*

denotans, a בָּרָה *comedere* id intervallum significari existimant, quod confici potest a diluculo ad tempus usque prandii sumendi. Sed haec intervalla longiora sunt, quam ut huic loco congruant. Etenim sepulchrum Rahelae non amplius fere milliari uno germanico a Bethlehemo distasse, ostendit *Bachiene* in *Geograph. Palaest.*, Tom. II. P. II. p. 3. ex Abulfeda et Beniamine Tudelensi. LXX. h. l. et infra XLVIII, 7. hebraicum nomen retinuerunt, sed cum Syriaca terminatione תָּא. Et hoc quidem loco verterunt: ἤγγισεν χαβραθὰ εἰς γῆν, posteriore loco cum interpretatione adjecta: κατὰ τὸν ἱππόδρομον χαβραθὰ τῆς γῆς. *Equi* vero *cursus*, mensura viae Arabibus usitata, proxime accedit ad milliare Gallicum commune, quorum 25 in uno gradu, ex J. D. Michaelis computatione, in nota 21. ad Abulfedae Aegyptum a se editum. Idem in *Supplemm.* p. 1206. seqq. putat כִּבְרַת־הָאָרֶץ proxime abesse a parasanga Arabum sive milliari Hispanico, quorum $17\frac{1}{2}$ unum gradum faciant, et quae fortasse ex parasangis Arabicis orta sint. فرسخ *parasanga* vertit et Persa. Saadias et Arabs Erpenii: ميل *milliare.* Onkelos כְּרוּב אַרְעָא, tanquam per metathesin a כְּרַב deductum, quod Aramaeis *arare* est, unde כְּרָבָא *aratio*, *ager aratus*, quasi כִּרְבָה, et, per literarum trajectionem, כִּבְרָה, certum sit terrae spatium arando, sive arandi labore descriptum, atque idem fere, quod Graecorum ἄρουρα pro terrae mensura acceptum. Eadem et Jonathanis Ben Uziel videtur mens fuisse, qui sic reddidit: סוּגְעֵי אַשְׁווּן עֲלַלְתָּא דְאַרְעָא *multum spatii proventus terrae.* Hieronymus in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l. postquam alias interpretationes adduxisset sic pergit: „Sed melius est si transferatur: *in electo terrae tempore, cum introiret Ephrata.* Porro *vernum tempus* significat, cum in florem cuncta rumpuntur, et anni tempus electum est. Vel cum transeuntes per viam carpunt et eligunt e vicinis agris quodcunque ad manus venerit diversis floribus invitati.“ Habuit itaque ב ante ברה pro Praefixo, et nomen ad radi-

eem בָּרַר *elegit* retulit. Atque res ipsa clamat, non temporis, sed loci aut spatii notationem his verbis contineri. Pro litera servili כ habuit et Aquila, qui, Hieronymo referente, „hoc ita transtulit: *et factum est* καθ' ὁδὸν τῆς γῆς, id est, *in itinere terrae introiens in Ephrata.*" Quam interpretationem sibi commendandam sumsit **Fullerus** in *Miscell. SS.* L. II. Cap. 15. A *mundum reddendi, purgandi* significatu, quem verbo בָּרָה communem cum בָּרַר autumat, nomen ברה *viam puram* ac *patentem*, patefactam, liberam vult denotare. Attamen mensuram potius viae indicari suadet contextus. Clericus, cui et ipsi כ est conjecturale, ut Graecorum ὡς, ברה olim certam terrae mensuram, eamque non magnam significasse suspicatur, collato Syriaco ܒܪܘܬܐ *longinquitas, distantia*, cui adfine sit Arabicum بُرْهَة *spatium* temporis. — וַתְּקַשׁ בְּלִדְתָּהּ *Induravitque in pariendo ipsius*, i. e. laboravit, difficultatem in pariendo passa est.

17. אַל־תִּירְאִי כִּי־גַם־זֶה לָךְ בֵּן *Ne timeas, quia etiam hic tibi filius* erit. Solatur eam, quod alterum filium ultra priorem, Josephum, sit habitura.

18. בֶּן־אוֹנִי *Filius doloris mei*, LXX. υἱὸς ὀδύνης μου. אָוֶן passim *luctum, dolorem* denotat, ut Hos. IX, 4. Hab. III, 7. Jacobus vero, ne sibi perpetuo refricetur dolor de carissima uxore amissa, isto nomine laetiori id commutavit, בִּנְיָמִין filium recens natum appellando, id est, *filium dextrae*, i. e. roboris, quod in dextra situm est, quasi ominaretur robustum eum et potentem inter fratres futurum. Clericus conjicit, allusisse Jacobum ad significationem nominis און *robur*. Aliis יָמִין est pluralis Chaldaicus pro Hebraeo יָמִים *dies*, ut בֶּן־יָמִים esset *filius dierum*, i. e. senectutis, τηλυγέτης, seu τηλύγετος, coll. infra XLIV, 20. Ita et textus Samaritanus et versio Samaritana habent. Pro vero tamen cum Ravio (*Exercitt. in Hubigantii Prolegg.* p. 120.) hoc interpretamentum non haberi posse observat **Gesenius** *de Pentat. Sama-*

rit. p. 32., quod ferme flagitet contextus, ut יָמִין oppo-natur τῷ אוֹנִי, et sensus hic sit: *filius felicitatis*, i. e. parentibus acceptissimus, collato Arabico يُمْن *felicitas*, et يَامِن *felix, fortunatus*. Sed Jarchi יָמִין hic de *dextra coeli plaga*, i. e. austro capiendum censet, quod innuatur plena vocis scriptura, quum alias בִּנְיָמִן sine י scribatur. Indidisse vero Jacobum filio recens nato illud nominis, quod unicus esset, qui in Cananaea, Mesopotamiae ad austrum sita, ipsi natus esset.

20. וַיַּצֵּב יַעֲקֹב מַצֵּבָה עַל־קְבֻרָתָהּ *Erexitque Jacobus columnam super ejus sepulchrum.* „Antiquissimi Graeci, qui sepeliebant etiam cadavera, sepulchra insignire στήλαις similiter solebant. Iliad. Λ. 371. Paris sagittam in Diomedem jaculatur,

Στήλῃ κεκλιμένος, ἀνδροκμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ
Ἴλου Δαρδανίδαο,

Columna innixus, in monumento, mortui causa facto. Vid. et Il. P. 434." *Cleric.* Ostendunt etiamnunc Arabes Rachelae sepulchrum Hierosolymam inter et Bethlehem, teste Pocockio Tom. II. p. 57. vers. germ. Cf. *Aegid. Strauchii* Dissertat. *de Sepulchro Rachelae ad Gen.* XXXV, 16. Viteb. 1661. in quat., repet. in *Thesauro philolog. theolog. novo.* T. I. p. 207. seqq.

21. וַיֵּט אָהֳלֹה מֵהָלְאָה לְמִגְדַּל־עֵדֶר *Posuit tentoria sua ad turrim Eder*, i. e. gregis, quia inde greges observari tutique a periculis (latronibus et bestiis in primis) praestari poterant. Fuit aut Hierosolymis aut non procul ab ea urbe turris ejus nominis, ut patet ex Mich. IV, 8. Hieronymus, ex incolarum sui aevi traditione, non procul Bethlehemo hanc turrim collocat, in *Epitaphio Paulae*, ubi eam celebria Judaeae loca peragrantem inducit, postquam Bethlehemum invisisse eam dicit: *Haud procul inde*, inquit, *descendit ad turrim Ader, id est, gregis, juxta quam Jacob pavit greges suos, et pasto-*

res nocte vigilantes audire meruerunt: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Cf. *J. E. Faber Archaeol. Hebraeor.* p. 185., ubi plura de turribus ad greges tuendos exstructis leguntur.

22. Post verba וַיִּשְׁמַע יִשְׂרָאֵל *audivit Jacobus* scil. hoc, Masorethae in margine notant פסקא באמצע פסוק, *lacuna in medio Versu,* seu: deesse aliquid h. l. LXX. haec addunt: καὶ πονηρὸν ἐφάνη ἐναντίον αὐτοῦ, quasi in Hebraeo sic legissent: וַיֵּרַע בְּעֵינָיו, cf. supra XXI, 11. Attamen in codice Samaritano nil amplius legimus, quam in nostris. *J. D. Michaelis* (*Oriental. Bibl.* P. IX. p. 200.) conjicit, deesse aliquid de partu a Bilha edito ejusque nomine et fatis. Sed Hebraei volunt, hic in medio Versu distinctionem esse, ut partim sit finitus Versiculus, partim continuetur cum sequenti catalogo filiorum Jacobi, ne quis putet, esse Rubenem ob flagitium a se commissum e numero patriarcharum exclusum. Patrem tamen illum hoc nomine privasse jure primogeniti idque Josepho tribuisse, ita tamen, ut in tabulis genealogicis Ruben ut primogenitus recensendus esset, uti dicitur 1 Paral. V, 1. Graviter notavit Rubenem ob detestandum, quod hoc memoratur, facinus pater in ultimis votis infra XLIX, 3. 4. Hoc vero loco dicitur tantum, intellexisse Jacobum turpitudinem filii, nec vero, quomodo affectus fuerit, subjungitur. Quod aestimandum quum relinquat scriptor, rem magis exaggerare videtur.

16. *Recensentur Jacobi filii. Jacobus ad Isaacum, patrem, proficiscitur, qui moritur; Vs. 22. dimid. usque ad Capit. fin.*

Cap. XXXV, 23. *dimid.* Quum supra XXIX et XXX. Jacobi filii singuli sparsim, prouti nati essent, commemorati fuerint, nunc simul et in unum collecti ex matrum ordine recensentur, lectoris memoriae juvandae causa; ut uno in loco duodecim omnium nomina, et quibus matribus editi essent, conspici possint.

26. אֲשֶׁר יֻלַּד־לוֹ *Quod natum est ei*, quicquid natum est liberorum. Sic יֻלַּד de multis dicitur et supra X, 21. ubi cf. not., et infra XLVI, 22. Codex Samaritanus habet ילדו ex emendatione. Dicuntur hic duodecim illi filii nati בְּפַדַּן אֲרָם *in Mesopotamia*, quum tamen Benjamin in terra Canaan sit natus; vid. supra Vs. 17. 18. Recte vero observavit *Augustinus* in *Quaest. CXVII. in Genes.*, „nullam esse faciliorem solutionem quaestionis hujus, quam ut per synecdochen dictum accipiatur. Ubi enim pars major est aut potior, solet ejus nomine etiam illud comprehendi, quod ad ipsum nomen non pertinet. Sicut ad duodecim Apostolos jam non pertinebat Judas, qui etiam mortuus fuit, cum Dominus resurrexit a mortuis, et tamen ipsius duodenarii numeri nomen Apostolus in epistola sua [1 Cor. XV, 5.] tenuit, ubi ait *eum apparuisse illis duodecim*. Cum articulo enim hoc Graeci codices habent, ut non possint intelligi quicunque duodecim, sed illi in illo numero insignes."

27. De מַמְרֵא et קִרְיַת הָאַרְבַּע vid. not. supra ad XIII, 18. XXIII, 2. Ceterum nomini אַרְבַּע hic ἀνωμάλως ה articuli praeponi observat Jarchi, quod non solet nominibus propriis praemitti, quale est אַרְבַּע, vid. Jos. XIV, 15. Putat debuisse dici הַקִּרְיַת אַרְבַּע, ut ה priori praeponeretur, sed de more linguae fieri, ut ubi nomen aliquod proprium duabus vocibus effertur, et ei debuerat ה praeponi, posteriori voci praeponatur, ut בֵּית־הַלַּחְמִי *Bethlehemita*, 1 Sam. XVI, 1., et בֵּית הָאֱלִי *Bethelensis*, 1 Reg. XVI, 34. Cf. *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 515.

29. וַיֵּאָסֶף אֶל־עַמָּיו *Et collectus est ad populos suos*, i. e. ad majorum sepulchra aggregatus; cf. not. supra ad XV, 15. Eaedem, quae hic, phrases usurpantur in mentione mortis Abrahami supra XXV, 8. Quod ad historiae ordinem, notat Jarchi, esse ὕστερον πρότερον quod Isaaci mors commemoretur ante venditio-

nem Josephi, quae Isaaci obitum annis duodecim praecesserit. Sunt tamen in annorum, qua id ostendere satagit, supputatione nonnulla sine idoneo argumento posita ut cum ex mera traditione sumit, Jacobum, postquam patris benedictionem accepisset, latuisse quatuordecim annis in domo Semi aut Heberis; aut Josephum, cum est venditus et in Aegyptum ductus, fuisse septendecim annos natum.

VIII. *De Esavi familia et posteris; de Seiritis eorumque phylarchis, atque de regibus Edomitarum.* Cap. XXXVI.

Cap. XXXVI, 1. De nomine תּוֹלְדוֹת vid. not. supra ad II, 4. VI. 9. Iis vero locis quum *historiam* magis, quam *genealogiam* indicare nomen viderimus, hic propriam suam *tabulae genealogicae* significationem servat; pauca enim historica inspersa sunt. Quemadmodum supra XXV, 12. seqq. absoluta Abrahami historia subjungitur Ismaëlis genealogia; ita hic absolutis iis, quae ad Isaacum pertinerent, et filiis Jacobi recensitis, videbatur et Esavi genealogia recensenda, de qua nihil huc usque dictum fuerat. Simul vero hoc Capite ponitur genealogia Seiris, Choraei, cujus terram, ipso inde ejecto, occupavit Esavus, uti dicitur Deut. II, 12.

2. Primo loco affert Esavi uxores, ut doceat, quos ex quibus filios susceperit. עֵשָׂו לָקַח אֶת־נָשָׁיו מִבְּנוֹת כְּנָעַן *Esavus ceperat uxores suas e filiabus Canaan*, i. e. אַנְשֵׁי vel יֹשְׁבֵי, *viris* vel *incolis Canaan*, duas videlicet, *Adam, filiam Elonis, Chittaei, et Oholibamam, filiam Zibonis, Chevai.* Hae aliis nominibus sunt supra XXVI, 34. appellatae, quin et earum parentes. Quae hic memoratur עָדָה vix dubium est esse eandem, quae XXVI, 34. בָּשְׂמַת appellatur, nomine ab *aromatibus*, בְּשָׂמִים ducto, quum idem pater utrobique ponatur, Elon Chitthaeus; oportetque eam binominem, instar mariti, fuisse. Clericus conjicit, nomine עָדָה illam appellatam esse ab Isaaco et Rebecca, quod esset *superba* et *contumax*, quae est nominis illius significatio collato Arabico عَدَا, quo forsan factum, ut soceris intoleranda esset, ut supra

XXVI, 35. diserte dicitur. Altera Esavi uxor, quae hic אָהֳלִיבָמָה, i. e. *tentorium excelsi*, supra XXVI, 34. יְהוּדִית, i. e. *laudabilis* appellatur. Eam Jarchi vult ita initio vocatam ab Esavo, ut patrem falleret, quasi idolis abnegatis verum Deum coleret. Sed R. Mose Ben-Nachman putat has alias esse a superioribus, quasi illis mortuis sine prole Esavus alias duas superduxerit, unam, sororem Basemathae, filiae Elonis, et alteram Oholibamam, filiam Anae, ut in universum quinque uxores habuerit Esavus. Veruntamen uti in superioribus, XXVI, 34. et XXVIII, 9., ita et hic, tres tantum Esavi uxores commemorantur, et utrobique duae Cananaeae et una Ismaelis filia. Sed alia hic est difficultas, quod Oholibama filia Anae, עֲנָה, eademque filia Zibeonis, צִבְעוֹן, Chitthaei, dicitur, atque sic duobus patribus assignatur. Sunt, qui עֲנָה nomen muliebre existiment, et Anam uxorem Beeri Chitthaei (XXVI, 34.), qui hic Zibeon dicatur, ut hic et socrus quoque Esavi commemoretur, illic socer tantum. Nec obstat quod infra Vs. 24. reperimus Anam, filium Zibeonis, memoratum, et Vs. 29. phylarchum Choraeorum ejusdem nominis. Potuit enim *Ana* et muliebre et virile nomen esse, quale מַעֲכָה habuimus supra XXII, 24. ubi not. vid., et plura hoc ipso Capite occurrunt, ut *Oholibama* infra Vs. 41. viro principi Idumaeorum tribuitur, quum hoc Versu sit nomen uxoris Esavi; item *Thimna*, quod infra Vs. 12. et 22. nomen femininum est, masculinum vero Vs. 40. Cf. *G. B. Michaelis* Dissertatt. *de nominibus propriis sacris*, Hal. 1729. §. XVIII. p. 33. et in Dissertat. *de nominibus propriis sexui suo restitutis* §. XXI. (legitur in *Sylloge Commentatt.* a D. S. Pott edit. P. VII. p. 121.). Pro בַּת צִבְעוֹן legendum esse בֶּן־צִבְעוֹן, tam Vs. 20. et 24., ubi diserte dicitur, Anam filium fuisse Sibeonis, non filiam; quam textus Samaritanus et versiones antiquae, LXX. scilicet et Syrus, suadere possint. Hanc legendi rationem sequuti sunt J. D. Michaelis in versione vernacula et in *Biblioth. Orient.* P. IX. p. 202. nec non in Commentat. *de Troglody-*

tis Seiritis et Themud. in *Syntagm. Commentatt.* P. I. p. 194. §. 2. et Dathius in versione et in nota ad h. l. Mutavit tamen Michaelis sententiam in *Supplemm.* p. 191. et judicavit, receptum בַּת־צִבְעוֹן esse genuinum. Primum enim non magnae sunt auctoritates, Samaritanus et LXX. corrigere soliti, si quae displicebant, et Syrus octavo seculo ex LXX. correctus. Deinde in eodem hoc Capite Vs. 14. eadem, quae hic verba leguntur, et Vs. 39. eodem quo hic modo מְהֵיטַבְאֵל בַּת־מַטְרֵד בַּת מֵי זָהָב legitur, et ibi quidem non in Hebraeis solum, sed et in Samaritanis codicibus, licet et hic LXX. et Syrus in בֵּן correxérint. Accedit magna in his tribus Versibus codicum Judaicorum constantia. Ex quibus omnibus Michaelis colligit, tria in uno Capite exempla vix posse errore librariorum constitisse, sed בַּת secundo loco positum, ante עֲנָה, *neptem* significare, et quum hic genealogia Edomitica intexta sit, cujus maxima pars haud dubie ex monumentis Idumaeorum desumta sit, hunc neptes quoque recensendi morem, Hebraeis insolentem, Idumaeis fortasse usitatum fuisse. In eandem cogitationem incidit et Aben-Esra, cui tamen opposuit R. Levi, tunc simpliciter positum esse בֶּן־צִבְעוֹן. Sed hoc ipsum, quod בַּת, non בֵּן, ponitur, proprium esse potuit Idumaeis genealogiis. De ratione autem, cur h. l. uxoribus Esavi earumque patribus alia nomina data sint, quam supra XXVI, 34., vid. not. ad eum locum. Praeterea quod Oholibamae pater aut avus hic הַחִוִּי, *Chivaeus*, vocatur, contrarium videtur illi quod supra XXVI, 34. dicitur, utrasque Cananaeas uxores Esavi gente *Chitthaeas* fuisse. Si igitur utrarumque patres Chittaei fuerunt, unus eorum non Chivaeus fuisse potest. Quem nodum *J. D. Michaelis* in Commentat. *de Troglodytis* §. 3., in *Biblioth. Orient.* P. IX. p. 202. et in notis ad versionem germanicam ita solvi putat, ut pro חִוִּי legendum sit חֹרִי *troglodyta* (cf. not. supra ad XIV, 6.), quum duo haec nomina uno tantum litterae apice distent, ideoque facile commutari possint. Zibeon vero Chorita fuit, ut ex Vs. 20—24.

patet, ut vix sit dubitandum, et h. l. Mosen eum Choritam vocare. Qua conjectura admissa hic locus superiori XXVI, 34. non contradicit. Quum enim Phoenices, in quibus et Chivaei et Chitthaei sunt, a mari rubro venerint, sedesque antiquissimas ad intimos ejus sinus in Arabia habuerint; non contrarium est, troglodytam in Seiritide esse, et tamen sive Chivaeum sive Chitthaeum. *C. B. Michaelis* in Dissertat. *de nominibus muliebribus in virilia versis* §. XXI. (p. 123. *Syll. Commentatt.* P. VII.) monet, gente diversum esse nostrum Zibeonem, avum uxoris Esavia, a Zibeone Troglodyta (inf. Vs. 24.), quamvis uterque Anam genuerit, filiam noster, alter filium; illum enim Zibeonem Troglodytam, sive Choraeum fuisse, nostrum hic Chivaeum dici.

3. Tertia Esavi uxor, Ismaelis filia, quae hic בָּשְׂמַת, supra XXVIII, 9. מָחֲלַת appellatur, et hic quoque in codice Samaritano. R. Mose Ben-Nachman conjicit, prius illius nomen, מָחֲלַת, quod male sonabat, *aegram* videlicet, et *valetudinariam*, a חָלָה, ab Esavo mutatum esse in melius, בָּשְׂמַת, quod *aromatum* odor gratus sit, et ipsa marito grata fuerit. Similiter filiarum Jobi una (XLII, 14.) קְצִיעָה *Casia* dicta est.

4. 5. Sequuntur filii ex his tribus uxoribus suscepti. Basemath autem, tertia supra posita uxor, hic secundo loco, et Oholibama, supra secunda, hic tertia ponitur. Mutati ordinis ratio forsan haec, ut duas conjungeret, ex quarum singulis singulos suscepit filios; nam secunda, Oholibama, tres filios peperit. Tertio filiorum Oholibamae, Coracho (קֹרַח), cognominis memoratur infra Vs. 16. inter duces ex Eliphaso Adae filio, descendentes, quem non dubium est ab eo, qui hic memoratur, diversum fuisse. אֲשֶׁר יֻלְּדוּ־לוֹ בְּאֶרֶץ כְּנָעַן *Qui nati ei sunt in terra Canaan,* antequam se conferret in montana Seir, de quo mox Vs. 6. „Quae circumstantia non otiosa est, uti quidem videri possit, sed certo consilio ab auctore sacro adjecta; nempe cum respectu ad *Seiritidem,* in quam

deinceps cum familia et opibus suis Esavus concessit, Vs. 6.7., et in qua nepotes ab his filiis demum geniti, familiam ejus amplificarunt; Vs. 9. seqq. Innuitur ergo, Idumaicae quidem gentis incunabula in Cananaea quaerenda esse, adolescentem vero aetatem ac robur in Sehiritide." C. B. *Michaelis* in Dissertat. *qua Cap. XXXVI. Genes. Mos. de antiquissima Idumaeor. historia* etc., *auctori suo non minus, quam genuino et historico sensui restituitur* (Hal. 1733., repet. in *Sylloge Commentatt.* a D. J. Pott. edit. P. VI. p. 203. seqq.) §. VI. (*Syll.* p. 211.).

6. Omnia commemorat, quae in bonis aut potestate hominis sita sunt, vel in prole et familia, vel in opibus, omnia haec suam sumsit, וַיֵּלֶךְ *et abiit*, q. d. his omnibus assumtis, ita ut nihil in terra Canaan suarum rerum reliquum fecerit, abiit אֶל־אֶרֶץ *ad terram*, seu regionem, videlicet אָחוֹרִי *aliam*, uti Onkelos et Saadias addiderunt; sive *alteram*, uti Hieronymus habet, a Cananaea, cui haec opponitur, diversam. Hanc vero non esse aliam, quam *montanam Seiritidem*, a Seiro Choraeo ejusque filiis, ceu priscis incolis sic appellatam, quae postea et *Idumaeae* nomen, ab Idumaeis, Esavi posteris, indepta est, id clarum fit e Vss. 8. 9. 20. 31. cum hoc Versu collatis. Unde et Syrus pro *terra* definite posuit *terram Seir*. In codice Samaritano pro אֶל־אֶרֶץ legitur מארץ כנען, consentientibus LXX.: καὶ ἐπορεύθη Ἡσαῦ ἐκ τῆς γῆς Χαναάν, quod planum quidem et facilem parit sensum, sed emendationem ex ingenio sapit. Additur vero, Jacobum alio migrasse מִפְּנֵי יַעֲקֹב אָחִיו *a conspectu Jacobi, fratris sui*, seu, *propter fratrem suum*, ut ei cederet, ut mox Vs. 7. dicitur. Ceterum Esavum Canaane migrasse prius quam frater e Mesopotamia in Palaestinam revertisset, ac adeo dudum ante mortem Isaaci patris, inde colligitur, quod Jacobus XXXII, 4. e Mahanaimis, ultra Jordanem in Peraea sitis, ad fratrem nuncios praemisisse dicitur, et XXXIII, 14. Jacobus promittit fratri, se ad eum Seiritidem venturum esse, atque ibid. Vs. 16. Esavus eadem

via, qua fratri obviam iverat, narratur *in Seiritidem reversus esse.*

7. וְלֹא יָכְלָה אֶרֶץ מְגוּרֵיהֶם לָשֵׂאת אֹתָם מִפְּנֵי מִקְנֵיהֶם *Nec poterat terra peregrinationum eorum*, regio, in qua peregrinabantur, *eos ferre*, capere, *propter eorum pecora*, scilicet multa. Idem igitur his fratribus evenit, quod olim Abrahamo et Loto, vid. supra XIII. 5—12., ubi ex parte eodem, quae hic, verba usurpantur. „Duo autem hic oboriuntur scrupuli, unus, quomodo dici potuerit Cananaea *non tulisse* par fratrum propter copiam pecoris ipsorum, quae tamen postmodum toti sufficit populo Israelitico ex Aegypto reducto? alter, qui dici potuerit Esavus Cananaea cessisse *propter fratrem suum*, qui tamen eo tempore in Mesopotamiis egit, et capitale odium Esavi incurrerat, coll. XXVII, 41. seqq. Sed quod ad priorem attinet scrupulum, facile is quidem tolletur, dummodo reputaverimus, quantum inter haec discrimen sit, regionem aliquam proprietario tenere jure, ejusque dominum esse, ita ut illa uti possis pro lubitu; et e contrario, in ea nonnisi hospitem ac advenam esse, precariisque tantum et commodatis uti pascuis: illa conditione Palaestinam olim tenuerunt Cananaei, et postmodum Israelitae; hac vero demum Patriarchae, Abrahamus, Isaacus, Jacobus. Atque dominis ubique regionis usus liber est, hospitibus vero nonnisi restrictus et determinatus conceditur. Eam ob causam notanter hoc Versu dicitur non *regio* simpliciter, sed, quod emphasin habet, cum adjecto, *regio, in qua peregrinabantur*, non tulit eos. Quod vero ad alterum scrupulum, facile intellexerit Esavus, fore, ut frater Jacobus, quam primum id ei per res suas liceret, ex Mesopotamia reverteretur, haeres futurus Cananaeae, quam Deus Abrahamo promisisset, et cujus obtinendae veluti chirographum aliquod Jacobus accepisset ex votis illis paternis supra XXVII. 27. seqq. descriptis. Sensit Esavus haud dubie, fratrem promissiones, tam patribus tum ipsimet factas, firma tenere fide, nec illarum consequendarum spem umquam esse abdicaturum; imo

haud aliter fore animatum, quam fuerat avus Abrahamus, qui gravi usus obtestatione, vetuerat filium Isaacum in Mesopotamiam, ad constituendam illic fixam sedem, reduci, supra XXIV, 6. seqq. Ideoque Esavus, considerans, non satis pascuorum sibi et fratri esse futurum, ab iis locis abiit, in quibus Jacobum, simul ac revertisset, sedes habiturum esse praesensit." *C. B. Michaelis* in Dissertat. supra ad Vs. 4. 5. laud. §. IX. R. Mose Ben Nachman nodum illum ita solvi putat, si sumamus, esse ante Jacobi reditum Esavum in terram Seir profectum explorandae illius causa, dum eam adhuc tenerent duces Choraei, relictis interim rebus magna ex parte suis in Cananaea, donec certas alicubi sedes delegisset, et tunc, cum nondum se parem illis esse videret, in campestribus Seiritidis, non in montanis, egisse, quae munitiora essent, quam ut tunc eo posset accedere; ideo supra XXXII, 4. אֶרֶץ שֵׂעִיר שְׂדֵה אֱדוֹם *terram Seir, campum Edom*, et XXXIII, 14. 16. שֵׂעִיר simpliciter dici, hoc vero Capite Vs. 8. 9. הַר שֵׂעִיר *montem Seir*. Postea, cum Jacobus ad patrem rediisset, rediisse et ipsum, et tunc sane, cum terra amborum gregibus sufficere non posset, sponte sua cessisse fratri, cui a patre assignata fuisset Cananaea, et in Seiritidem rediisse, ubi pugna cum Choraeis commissa, et ejus regionis montana occupaverit, expulsis Choraeis; cf. Deut. II, 12.

8. וַיֵּשֶׁב עֵשָׂו בְּהַר שֵׂעִיר *Consedítque*, habitavit *Esavit in monte Seir*, dicto a Seire, de quo infra Vs. 20., aut, ut alii censent, ab ipso Esavo, qui erat שָׂעִיר, id est, *villosus*. *Hieronymus* in *Locis Hebraicis*: „*Seir*, mons in terra Edom, in qua habitavit Esau in regione Gebalena, quae ex eo, quod Esau pilosus esset et hispidus, *Seir*, id est, *pilosi*, nomen accepit. In quibus locis prius habitavit Choraeus, quem interfecit Chedorlaomor." Vid supra XIV, 6. In versione Samaritana atque in paraphrasi Chaldaica Jonathanis et Hierosolymitana pro שֵׂעִיר ponitur גַּבְלָה, id est, *montosa* regio, a جَبَل

mons, unde Graecis Γεβαληνή, de qua vid. *Relandi Palaest.* L. I. Cap. 15. p. 82. seqq. Saadias pro שֵׂעִיר habet شراة, de quo vid. *Koehleri* Not. 31. ad Abilfedae *Tabul. Syriae* a se edit. p. 8.

9. וְאֵלֶּה תֹּלְדוֹת עֵשָׂו אֲבִי אֱדוֹם *Hae autem sunt generationes Esavi patris Edomi*, i. e. Idumaeorum. Similis inscriptio supra Vs. 1. habetur; sed illa speciatim ad Esavi filios pertinet, de quibus hactenus dictum est. Haec vero inscriptio referenda est ad nepotes ex filiis jam positis Esavo natis, qui protinus recensentur usque ad Vs. 14.

01. אֵלֶּה שְׁמוֹת בְּנֵי־עֵשָׂו *Haec sunt nomina filiorum Esavi.* Aben Esra בְּנֵי hic בני בניו *nepotes* exponit. Sine necessitate; nam est ἀνακεφαλαίωσις, qualis haud infrequens in hoc libro. Singulos filios Esavi repetit, ut singulis suos liberos, Esavi nepotes, subjungat. Primum quidem *Eliphas*, Esavi primogenitus, *filius Adae*, uxoris Esavi, primo loco supra Vs. 3. 4. positae; tum *Rehuel*, alter Esavi filius, *filius Basemathae*, filiae Ismaelis, tertio loco supra positae. Singulis filiis matres iterum addere voluit, commodioris distinctionis gratia.

11. תֵּימָן regioni nomen dedit, cujus mentio fit Jerem. XLIX, 7. 20. Obad. 9. Ezech. XXV, 13. Pro צְפוֹ tertii filii nomine, 1 Chron. I, 36. legitur צְפִי, quemadmodum qui infra Vs. 23. שְׁפוֹ idem 1 Chron. I. 40. שְׁפִי appellatur. Similiter urbis nomen infra Vs. 39. פָּעוּ, 1. Chr. I, 50. פָּעִי scribitur.

12. *Thimnae*, תִּמְנַע, concubinae Esavi, matris Amaleki, Hebraei, Jarchio referente, mentionem subjici volunt ad ostendendam magnitudinem et splendorem Abrahami, cum cujus posteris passim et gentes celeberrimae et potentissimae affinitatem ambierint, ut Choraei, ex quorum genere Thimnaa infra Vs. 22. dicitur. Aliis videtur ejus mentio potius ideo fieri, ut origo Amalekitarum ostendatur, quibuscum Israelitis perpetuae erant inimicitiae. Ut ergo scirent Israelitae, quo loco essent habendi

inter Esavi posteros Amalekitae, hoc loco demonstrat, eos non e legitima Esavi uxore, sed ancilla, seu concubina oriundos esse. De concubinis vid. not. supra ad XXII, 24. In hujus genealogiae compendio, quod 1 Chron. I. exhibetur, תִּמְנַע inter Eliphasi filios numeratur. Conjicit Clericus, eo Chronicorum loco excidisse haec verba: היתה פילגש לאליפז בן עשו ותלד לאליפז אחו *fuit pellex Eliphasi, filii Esavi, et peperit Eliphaso*, quae quum deessent praefixum esse illo loco ו nomini עֲמָלֵק, quasi is frater Thimnae fuisset. „Eandem suspicionem fovit Arabicus libri Chronicorum interpres, utpote qui eadem verba, quae Clericus, eodem in loco interposuit, omissa copula *et* ante *Amalek*, nulla vel codicum vel aliarum versionum auctoritate fultus (vertit enim libros Paralipomenon, non ex Ebraeo fonte, sed ex versione Syriaca, in qua vero illud additamentum frustra quaeritur), ex mera conjectura, quod putavit, id additamenti requiri per locum, ut videbatur, parallelum. Manet igitur, 1 Chron. I, 36. nomine תִּמְנַע non *pellicem*, sed *filium* Eliphasi notari, eum nempe, qui hoc Geneseos Capite Vs. 40. et illic Vs. 51. in phylarchis Idumaeorum connumeratur. Pellex Eliphasi תִּמְנַע ea demum esse videtur, quae 1 Chr. I, 39. memoratur.“ *C. B. Michaelis* in Dissertat. *de nominibus proprr. sexui suo restitutis*, §. XVI. in *Syll. Commentt.* P. VII. p. 113. Aliis tamen et 1 Chr. I, 36. תִּמְנַע est concubinae Esavi nomen, quod filio ex ea suscepto, Amaleko, praeponatur, ut indicetur, priores filios e domina et libera, vel, si plures fuerint, ex liberis uxoribus, susceptos (nam incertum est, ex unane, an ex pluribus quinque Eliphasi filii Vs. 11. commemorati sint editi), Amalekum autem e concubina, ut igitur matris nomen distinctionis causa filio praeponatur. Arabes Amalekum (عمليق) tradunt filium Laudsi (لاوذ), filii Semi (سام) fuisse. Vid. Appendicem ad *Ed. Pocockii Specim. Hist. Arab.* edit. Oxon. 1806., sive *Excerpta ex Abulfeda de reb. Arab. ante Mohammed.* ab Ill. de Sacy edit. p. 464. Cf. *Herbelotii Bibl. Ori-*

ent. sub voc. *Amlak.* Vid. et not. supra ad XIV, 7. Additur hoc loco tanquam epilogus filiorum Adae: אֵלֶּה בְּנֵי עָדָה אֵשֶׁת עֵשָׂו *hi sunt filii Adae, uxoris Esavi,* primae videlicet. *Filiis* intelliguntur hic nepotes et liberi ex ea descendentes per Eliphasum filium. Atqui Amalek non Adae, sed Thimnae filius est; verum tribuitur Adae, ut dominae, filius ancillae seu concubinae, ut supra XXX, 6. 8. Dan et Naphtali, quos Bilha pepererat, filii Rachelae dicuntur. Vel respicitur in his verbis major filiorum, seu nepotum Adae pars, ut excipiendus sit Amalek. Cf. not. supra ad XXXV, 26.

14. Trium Esavi filiorum ex Oholibama susceptorum nulla hic soboles memoratur. Cujus rei rationem Abarbenel reddit hanc, quod nullos illi filios genuerint, aut quod filias tantum procrearint. „Fuisse tamen his quoque filios, Moses ipse non obscure innuit, dum *principes* seu *familias* eis adscribit infra Vs. 18. Si quid conjectando assequimur, familiae trium istorum filiorum Esavi primis temporibus non tam numerosae fuisse videntur, quam Eliphasi et Rehuelis; tandem vero et ipsae in plures excreverunt ac subdivisae sunt ramos, infra demum Vs. 40. seqq. exponendos. Quae familiarum Jehuschi, Jahelami et Corachi subdivisio, quia probabiliter non prius facta est, quam regnante sequentium illorum octo regum Idumaicorum ultimo, eoque Mose coaevo, Hadaro, Vs. 39., igitur narrationi huic de octo Idumaeorum regibus demum subjecta est. Firmare hanc conjecturam videtur, quod auctor Chronicorum hanc ipsam subdivisionem familiarum Esavi ex tribus hisce filiis ejus cum historia octo illorum regum, ac nominatim ultimi, ita 1 Paral. I, 51. connexuit: *Cumque moreretur Hadadus* (idem qui apud Mosen *Hadarus* appellatur), *erant principes* Idumaeorum, *princeps Thimna,* cetera." C. B. *Michaelis* in Dissertat. *de antiquiss. Idumaeor. histor.* §. XIV. in *Syll. Commentatt.* P. VI. p. 224.

15. Enumeratis filiis et nepotibus Esavi recensentur

phylarchi illis orti. אַלּוּפִים Jarchi recte ראשי משפחות *capita familiarum*, exponit, quod non adversatur sententiae eorum, qui *principes* interpretantur, tum enim familiarum capita principes erant. Videntur Idumaei hac voce usi esse hoc sensu magis quam Hebraei, apud quos tamen אֶלֶף *mille*, unde אַלּוּף, et *familiam* significat Jud. VI, 15. 1 Sam. XXIII, 23. Mich. V, 1. Hinc אַלּוּף pariter vel *chiliarchum* notare potest, qui alias שַׂר אֶלֶף *praefectus mille hominum* appellatur, ut Exod. XVIII, 21., vel *phylarchum*, hoc est, tribus majorisve familiae caput. „Observandum est porro, אַלּוּף, si posteriori modo capiatur, aliquando non solum *phylarchum*, sed cum familia vel tribu, cui praeest, ac adeo metonymice ipsam significare *tribum* seu *familiam*, ut Zach. IX, 7. de Philistaeorum populo, ad Deum convertendo: *erit* כְּאַלֻּף *sicut phylarchus*, i. e. sicut familia major *in Juda* [cf. not. nostr. ad h. l.], item XII, 5. 6. Et sic vocem istam in praesenti Geneseos loco capi, eo minus dubium esse potest, quo magis reputaveris de singulis Esavi nepotibus, nullo eorum excepto, eam dici. Atqui pro numero nepotum Esavi familiae Edomitici populi distributae sunt, suosque postmodum, singulae singulos consequutae phylarchos; non vero Esavi nepotes omnes ac singuli duces aut phylarchi exstiterunt. Ut adeo sensus verborum אֵלֶּה אַלּוּפֵי בְנֵי־עֵשָׂו hic sit: *hae sunt familiae, in quas posteri Esavi distributae sunt*, quae, ubi numero hominum creverunt, suos singulae habuerunt אַלּוּפִים *phylarchos*, sive hi fuerint seniores in singulis familiis, sive alii quicunque, plurimorum forsan suffragiis delecti. Plane ut Ismaëlis genealogia post enumeratos XII. ejus filios supra XXV, 12. seqq. hac clauditur formula Vs. 16. *Hi sunt filii Ismaëlis, et haec nomina eorum, in vicis et castellis ipsorum, duodecim* נְשִׂיאִים לְאֻמֹּתָם *principes*, id est, familiae, suos singulae habentes principes, *secundum gentes suas.* Quae verba respiciunt ad antegressam illam de Ismaele promissionem divinam XVII, 20. *Duodecim principes*, familiae majores, a principibus seu phylarchis suis

distinguendas, *procreabit, et faciam eum in gentem magnam.* Hinc vero porro liquet, *principes* illos, de quibus in genealogiis tum Ismaelis, tum Esavi sermo est, non *successivos* intelligi, quorum alii alios in regenda utraque gente excepissent, sed *simultaneos*, hoc est, qui eodem tempore suis singuli familiis praefuerint; et simultaneos quidem ita, ut non soli, sed cum familiis, et pro familiis suis, quorum capita fuerunt, accipiantur." *C. B. Michaelis* in Dissertat. ad Vs. 14. laud. §. XI. p. 218. seqq. Phylarchi cum suis tribubus, qui hoc Versu recensentur, *Theman, Omar, Zepho* et *Kenas*, respondent filiis Eliphasi supra Vs. 11. enumeratis.

16. Quum phylarchi duobus hisce Versibus (15. 16.) recensiti conveniant cum sex Eliphasi filiis, antea Vs. 11. 12. memoratis, hic vero, initio Versus accedat Corachus, cujus supra nulla mentio facta; quaeritur, unde ille super numerum filiorum Eliphasi allatus princeps? Sunt, qui putent, fuisse Eliphasi nepotem, qui hinc inter ejus filios recenseatur, ut passim apud Hebraeos nepotes filiorum loco sint habiti et inter eos censiti. Aliam conjecturam affert *C. B. Michaelis* in Dissert. laud. §. XIII. p. 223. „In parallelo loco 1 Par. I, 36. filiis Eliphasi, ex Genesi recensitis, pariter ultra numerum a Mose descriptum, adjicitur *Thimna*, non confundendus cum Thimna, pellice Eliphasi, de qua supra Vs. 12. Potuit ergo fieri, ut iste Thimna, licet conjugatus, tamen decesserit sine liberis, omissus idcirco in Mosaica filiorum Eliphasi tabula; potuit item fieri, ut aliquis fratrum Thimnachi, lege leviratus (quae apud patriarchas jam obtinuit, vid. XXXVIII, 8.) viduam ejus duxerit, et ex ea in defuncti Thimnachi memoriam filium genuerit, *Corachum* nomine, a quo ortum duxit princeps et familia *Corach.* Alius vero, et ab hoc diversus *Corachus* est, de quo infra Vs. 18."

17. Filiis Rehuelis quatuor, qui Vs. 13. memorantur, respondent quatuor ex iis tribus oriundae, quae hoc

Versu recensentur. Observandum, non deduci generationem Esavi nisi ad nepotes usque, quod hi generis eorum primi auctores fuerunt, familiarumque ac tribuum capita ac proceres.

18. Quum qui duobus, qui praecedunt, Versibus, recensentur phylarchi, Esavi nepotes essent; qui nunc enumerantur, Esavi ex Oholibama filii ipsi ut tribuum capita referuntur, quum supra Vs. 14. iis nulli filii assignentur, ubi vid. not.

19. אֵלֶּה בְנֵי־עֵשָׂו *Hi sunt filii Esavi,* quibus et ejus nepotes comprehenduntur, quasi dicat, hi sunt ex Esavo prognati tam filii, quam nepotes.

20. Nunc transit ad recensendam genealogiam Seiri Choraei, qui ante Esavum eam regionem, quae postea Idumaea est vocata, tenuit. חֹרִי quidam ex Hebraeis, et cum iis Hieronymus in Commentario ad Obad. Vs. 1. interpretantur *ingenuum, liberum, nobilem,* proprie *candidum*; vel quod candidis vestibus uterentur olim divites et principes, vel, ut conjectat Aben-Esra, חֹרִים dicti sunt principes a לוֹבֶן *candore* ideo, quod is color ad lucem proxime accedit, lucent autem inter alios nobiles et principes, unde Prov. XXII, 27. חֲשֻׁכִּים *tenebrosi* dicuntur obscuri et abjecti. R. Mose Ben Nachman חֹרִי putat nomen fuisse totius familiae, ut יְבוּסִי, פְּרִזִּי, et ejusmodi, quae et familiarum, et virorum, qui illis nomen dederunt, nomina fuerunt. Sed *Matth. Hillerus* in *Onomast. V. T.* p. 506. חֹרִים dictos existimat *troglodytas*, ab ingrediendis חֹרִים, id est τρώγλοις, *cavernis*, quas gens ista in petris excavavit. Quam sententiam, adoptatam quoque a *C. B. Michaelis* in Dissertat. *de antiquiss. Idumaeor. hist.* §. XV. et a filio Jo. Davide, in Commentat. *de Troglodytis* §. II., illud confirmat, quod Hieronymus dicit in Commentario ad Obad. Vs. 4.: *Omnis australis regio Idumaeorum de Eleutheropoli usque Petram et Ailam (haec est enim possessio Esau), in specubus habitatiunculas habet. Et propter nimios calores solis, quia*

meridiana provincia est, subterraneis tuguriis utitur. „Et Choraei quidem, quum Sehiritidem jam olim tempore Abrahami tenuissent, a Cedorlaomero et foederatis regibus caesi erant, Genes. XIV, 6., *Sehirus* vero quispiam, qui stragem illam evaserat, Choraeorum gentem, quae ab excidio haud procul abfuerat, ἀνεζωπύρησεν, et velut ex cineribus suscitatam refovit, propagavitque, ita ut Esavi tempore in montanis Sehiritidis amplissimis sedibus gaudens floreret. Hujus igitur Sehiris familiam, in qua gens Choraeorum propagata est, describere Moses operae pretium duxit Vs. 20—30., non tam propter ipsam, utpote quae cetera nullam cum Abrahamo et posteris ejus cognationem, nec partem ullam in promissionibus Abrahamo datis habuit; quam propter Esavum, Isaaci filium, Abrahami vero nepotem. Hunc enim Choraei in possidenda Sehiritide non solum praecesserunt, sed etiam aliquamdiu cum familia inquilinum sociumque habuerunt, adeo ut viderentur in unum tantum coalituri populum, donec simultatibus ortis, Idumaei, Esavi posteri, Choraeos debellarunt, ac regionem eorum sibi solis vidicarunt; vid. Deut. II, 5. 12. 22.“ *C. B. Michaelis* in Dissertat. laud. §. XV. p. 226. — יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *Habitatores terrae illius,* i. e. qui illam regionem ante adventum Esavi incoluerunt et possederunt. *Seir* septem filios genuit, qui hoc Versu et proximo recensentur, quibus Vss. 22—28. illorum filii subjunguntur.

22. חֹרִי hic nomen est viri proprium, filii Lotanis, sine ה articuli, ut ab avo, Seire, supra Vs. 20. distinguatur, qui הַחֹרִי *Chorita*, de nomine cognationis appellatur. וַאֲחוֹת לוֹטָן תִּמְנָע *Soror autem Lotanis erat Thimna.* Lotanis tantum, non ceterorum filiorum Seiri, alioquin post septem filios Seiri statim subjunxisset וְתִמְנָע אֲחוֹתָם, more solito, quo sorores seu filiae fratribus adjunguntur et assignantur seorsim in genealogiis, vid. supra IV, 22., et infra XLVI, 17., atque 1 Chron. II, 16. III, 19. Fuerunt igitur Lotan et Thimna frater et soror uterini ex eodem patre et matre, vel, si diversas uxores

habuerit Seir, soror tantum ex matre. Quum vero alias feminarum non haberi solet ratio in Hebraeorum genealogiis, hic tamen Thimna commemoratur, quod ea concubina est usus Eliphasus, Esavi filius, supra Vs. 12., et ex illa natus est Amalek.

24. וְאַיָּה וַעֲנָה *Et Aja et Ana.* ו ante prius nomen redundat, et omittitur 1 Chron. I, 40., ubi eadem, quae hic, repetuntur. Similiter Latini dicunt: *et* hoc *et* illud. Ut autem hanc Anam ab Ana, quarto Seiri filio, Zibeonis fratre (Vs. 20.), distinguat; subjungit: הוּא עֲנָה אֲשֶׁר מָצָא אֶת־הַיֵּמִם בַּמִּדְבָּר *is est Ana ille, qui invenit .... in deserto.* Sed quid significet vox יֵמִים, dissentiunt interpretes. Hebraei quidem plerique *mulos* volunt illa indicari, eo, uti videtur, potissimum ad hanc sententiam ducti, quod Moses addit: בִּרְעֹתוֹ אֶת־הַחֲמֹרִים לְצִבְעוֹן אָבִיו *Cum pasceret asinos Zibeonis patris sui* (ad verbum, omisso אֲשֶׁר; *qui* erant *Zibeoni patri suo*). Tunc enim commodum putant illum per occasionem asinorum, quos pascebat, invenisse et docuisse admissuram equorum ad asinos, vel asinorum ad equas, unde muli sunt procreati. Commemorat hanc sententiam, ab Hebraeo magistro haud dubie ipsi traditam, Hieronymus in *Quaestt. ad h. l.*, et tuentur eam post Jonathanem in Paraphrasi, et vetustiores Rabbinos, ex quorum scriptis plura retulit ***Bochartus*** in *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 21. T. I. p. 222. edit. Lips., Arabs uterque, Persa, Jarchi, Aben-Esra et Kimchi, atque inter Christianos ***Fullerus*** potissimum, qui in *Miscellann. SS.* L. III. Cap. 8. יֵמִים nomen Chorritis usitatum ad *mulos* significandos existimat, quum Hebraei *mulum* פֶּרֶד vocent. Verum obstat huic sententiae primum, quod nulla orientalium linguarum mulos hoc nomine vocat, ac ne etymon quidem ostendit, unde dici potuerint; deinde quod illo tempore illis in regionibus nulli equi erant, ut copiosius docuit ***J. D. Michaelis*** in epimetro Tom. III. Juris Mosaici (*Etwas von der Geschichte der Pferdezucht in Palästina*), p. 272. 273.; nec equos junctim et asinos, sed solos asinos patris sui

Ana pascebat, unde ne casu quidem muli in grege ejus gigni potuerunt. Alii pro הַיֵּמִם legunt הַיַּמִּים *maria*, ad quam lectionem *Hieronymus: et volunt illum, dum pascit asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, quae juxta idioma linguae Hebraicae maria nuncupantur; quod scilicet stagnum repererit, cujus rei inventio in eremo difficilis est.* Bochartus tamen (p. 227.) huic sententiae vere opponit, יַמִּים Hebraeis non dici quasvis aquarum congregationes, sed vel *maria* proprie dicta, vel magnos *lacus*, qualis *Tiberiadis* et *Asphaltites*. „Cujus lacus in deserto reperisse non tanti est, ut ab illorum inventione quis potuerit insigniri, quum hi nemini non pateant." Bochartus vero ipse adstipulatur iis, qui הַיֵּמִם nomen proprium gentis gigantum esse contendunt, nixi auctoritate veterum Graecorum interpretum, ad quos accedit Onkelos, יַת גִּבָּרַיָּא *gigantas* vertens. Concinit codex Samaritanus, qui אימים habet, quos Moses Deut. II, 10. 12. gigantum in numero habet, מָצָא autem hic ita capiendum esse volunt ut Ps. XXI, 9.: *inveniat manus tua omnes hostes tuos*, i. e. iis sufficiet vincendis, ut sensus sit, Anam incurrisse in gigantas, quibus ita restiterit, ut eos repelleret. Cui explicationi plura opposuit, neque levia, *Christ. Wagenseil.* in Notis ad Tractat. Talmud. *Sota* p. 218,, neque tamen, quod ipse conjicit, יֵמִים indicare herbarum speciem aliquam, solido nititur argumento, quamvis eam sententiam pluribus commendare studuerit *J. H. Mai* Fil., qui in *Observatt. SS.* P. I. p. 1. seqq. Anam recens inventas herbas ad artes magicas usurpasse opinatur, quales fuere *Aemoniae*, sive *Haemoniae*, nec sono ab יֵמִים multum diversae, et explicat haec verba: *invenit Emaeos*, i. e. irruit in eos improviso, et in deserto eos vicit. Quae explicatio durior videtur. Magis placet cum *Hieronymo aquas calidas*, sive *thermas* intelligere. Sic enim ille: *nonnulli putant aquas calidas juxta Punicae linguae viciniam, quae Hebraeae contermina est, hoc vocabulo signari.* Nisi Hieronymus, soni similitudi-

ne deceptus, *Jemim* confuderit cum *Chemim*, חַמִּים, Arabice حَمِيم *aqua calida et fervens, thermae.* Firmat tamen, quae Hieronymus de lingua Punica habet, Arabica *J. D. Michaelis* in *Supplement.* p. 1090., observans, يَمّ in Conjugatione V. significare *sese abluere*, et in II, *aegrotum lavacro utentem juvare.* Sane non unum est, quod illam interpretationem commendat. Primum enim Ana thermas invenire potuit, quum pastor esset. Saepe vere et thermas et alias aquas medicas, ab animalibus repertas esse constat, comburentibus pedes, et clamantibus, sive potum refugientibus. Deinde multae illo in tractu thermae reperiuntur, ex quibus celeberrimae Callirrhoënses, ab ortu maris mortui, de quibus vid. *Michaelis* in *Spicileg. Geograph. Hebr. exterae*, P. II. p. 63. Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 124. p. 173. seqq. et P. VI. p. 250.

25. וְאֵלֶּה בְנֵי־עֲנָה דִּשֹׁן *Hi vero sunt filii Anae: Dischon.* Praemisso plurali בְּנֵי unicus tantum filius subjungitur, quod frequens in genealogiis, ut infra XLVI, 23.: *Filii Dan*, et unus subjicitur, *Chuschim.* Nec dissensus antiquiorum interpretum probat, unum alterumve nomen scribarum errore excidisse. Vulgatus vertit: *habuitque filium Dison.* Syrus vero ex filia Oholibama facit filium. Sed Codex Samaritanus, Onkelos et Arabs uterque consentiunt in lectione recepta. De אָהֳלִיבָמָה, quae hic memoratur, eadem ne fuerit, quae supra Vs. 2. inter Esavi uxores recensetur, vid. not. ad eum Vs.

26. Recensentur filii דִּישָׁן *Dischanis*, quinti Seiri filii, qui supra Vs. 21. דִּישׁוֹן dicebatur, ut distingueretur a septimo Seiri filio ibidem memorato.

29. Nunc subjungit phylarchos Choraeorum cum suis tribubus e septem Seiri filiis propagatis, ut supra Vs. 15—19. Idumaeorum tribus cum suis phylarchis enumeraverat.

30. אֵלֶּה אַלּוּפֵי הַחֹרִי לְאַלֻּפֵיהֶם *Hi sunt duces Choraei*, i. e. Choraeorum *per duces suos*, i. e. singuli. Nisi לְאַלֻּפֵיהֶם potius vertendum sit: *secundum tribus eorum*, cf. not. supra ad Vs. 15. LXX. ἡγεμόνες ἐν ταῖς ἡγεμονίαις αὐτῶν. Hieronymus: *isti duces Horaeorum, qui imperarunt* in terra Seir.

31. Sequuntur jam הַמְּלָכִים אֲשֶׁר מָלְכוּ בְּאֶרֶץ אֱדוֹם *reges, qui regnarunt in terra Edom*, octo numero (usque ad Vs. 39.), quorum alii aliis successerunt, לִפְנֵי מְלָךְ־מֶלֶךְ לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל *antequam regnaret rex Israelitis.* Hic vero gemina oritur difficultas. Una est, quomodo, si Moses hujus pericopae auctor sit, scribere is potuerit: *antequam imperaret rex Israelitis?* Quippe quae verba aevi posterioris auctori magis, quam Mosi, convenire videntur. Altera, quomodo Moses sua aetate in texenda historia Idumaica primo integram *XIV. phylarchorum Idumaeorum* consecutionem, deinde *VIII. Regum*, sibi invicem succedentium, ordinem, tum vero rursus (infra Vs. 40—43.) XI *phylarchorum*, qui rebus Idumaeorum post reges praefuerunt, concatenatam scribere potuerit seriem? Vix enim fieri potuisse credibile est, ut ab Esavi excessu usque ad id tempus, quo Moses scripsit, quod inter et illum non multo plus quam duorum seculorum intervallum fuerit, Idumaea tot Duces, post Duces vero Reges, iterumque post Reges Duces habuerit. Quae quidem moverunt inter ipsos Judaeos Isaacum quendam, ab Aben-Esra commemoratum et refutatum, ut totum hanc pericopam (Vs. 31—39.) tempore demum Josaphati scriptam fuisse censeret. *Bened.* quoque *Spinoza* in *Tract. theolog. polit.* p. 108. a Mose haec scribi potuisse negat, sed referre hic ait Historicum, quos reges Idumaei habuerint, antequam Davides eos subegit, et praesides in ipsa Idumaea constituit, 2 Sam. VIII, 14. Inter Christianos *Richard Simon* in *Hist. Crit. V. T.* p. 55., *Jo. Clericus* in *Prolegomm.* Commentario suo in Pentat. praemissis, Dissertat. III. §. III. No. 9., atque nostra aetate plures alii hanc περιοχὴν ab aliquo, qui post-

quam regnari coeperant Israelitae vixit, insertam esse statuunt. Qui vero Mosi illam vindicare statuerunt, varii varias istas difficultates tollendi rationes excogitarunt, quod diligenter recensuit examinavitque *C. B. Michaelis* in Dissert. *de antiquiss. Idumaeor. histor.* §. XXII. seqq. in *Syll. Commentatt.* P. VI. p. 242. seqq. Atque is quidem, rejectis iis, quae minus solide ad illos nodos solvendos allata sunt, primum, verba illa: *antequam imperaret rex Israelitis*, nihil obstare observat, quo minus a Mose sint scripta, quum non ipse solum, verum etiam Israelitae omnes, qui promissa divina, Abrahamo, Isaaco atque Jacobo facta, fando acceperunt, persuasissimum habuisse credibile sit, fore ut Israelitis aliquando reges sint imperaturi; vid. supra XVII, 5. XXVI, 3. XXXV, 11. Qua persuasione motum et legem regiam Deut. XVII, 14—20. Mosen Israelitis dedisse, et Deut. XXVIII, 36. deportationem regis futuri praenunciasse. Praeterea quum verba לִפְנֵי מְלָךְ־מֶלֶךְ לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל et de futuro et de praesenti tempore recte capi possint hoc sensu: *priusquam regnaturus est*, seu: *antequam regnat rex Israelitis (ehe noch zur Zeit ein König über die Israeliten herrschet)*, quemadmodum eadem loquendi formula usus Christus Luc. XXII, 15. *Admodum*, inquit, *concupivi hocce pascha comedere vobiscum* πρὸ τοῦ με παθεῖν, *priusquam patiar* (vid. et Joa. XIII, 19. Act. XXIII, 15.); nihil habere haec verba, quod Mosen ab eorum scriptione excludat. Alterum quod attinet, quo minus hanc περιοχὴν a Mose consignatam posse judicant, quod series ducum regumque Idumaeorum hic descripta, multo sit amplior, quam quod intra angustum CCXXXVIII annorum spatium tot duces et reges, atque post eos iterum duces sibi invicem succedere potuerint; Michaelis respondet primum, sine ratione idonea sumi, apud gentem Idumaeorum tres mutati regiminis formas sese invicem excepisse, atque duces illos, tam qui reges Idumaeos antecesserunt, quam qui sequuti sunt illos, eo ordine, quo enumeratur a Mose, alios aliis successisse. Nam אַלּוּפִים non tam *principes*,

quam tribuum capita, sive *phylarchos* fuisse, non solos sumendos, sed cum suis tribubus, quibus praefuerunt, nec vero successivos, sed simultaneos intelligi, ostensum supra ad Vs. 15. Eos vero una cum regibus Idumaeorum eodem tempore Mosis aetate exstitisse, patet e locis Num. XX, 14. et Exod. XV, 15. invicem collatis. Priori enim dicitur, misisse Mosen e Cadesch nuntios ad *regem* Idumaeorum, hoc vero, consternatum iri *duces* Idumaeorum, nempe cum suis tribubus, quibus illi phylarchi praeerant. Praeterea ad recte formandum de hoc regum Idumaeorum catalogo judicium haud parum juvabit observare, illos non sibi successisse per ordinem successionis filiorum in patrum locum, ut fere apud Judaeos et Israelitas, sed vel electione, vel vi, ut quisque occupare et invadere regnum potuit. Nullus enim inter octo, qui hic recensentur, reges deprehenditur, qui filium habuerit in regno successorem, sed omnes ac singuli, ut natali solo, sic familia erant diversi. Neque peregrinos a consequendo in gentem suam imperio Idumaeos exclusisse, colligitur ex urbibus ac regionibus in tabula illorum regum commemoratis; etenim non regias eas, sed natales ac patrias fuisse, eo est certius, quo incredibilius est, octo reges sibi invicem continuo succedentes omnes ac singulos voluisse novas regni sedes eligere. Erant autem patriae horum regum urbes partim incerti situs, partim vero certi. Nam de Dinhaba (Vs. 32.), Avitha (Vs. 35.), Masreca (Vs. 36.), Pahu (Vs. 39.), ignoramus, num intra, an extra Idumaeam quaerendae sint; Themanitarum contra regio (Vs. 34.) fuit tractus, et Bozra metropolis Idumaeae, coll. Jerem. XLIX, 7. 26. Jes. LXIII, 1.; ac Rechobotha ad Euphratem (Vs. 37.) extra Idumaeam procul dubio sita fuit. Igitur utut loca illa incerti situs mittimus, tamen, quum Rechobotha Idumaeorum regum penultimi natalis urbs fuerit, hoc ipso intelligitur, Idumaeos illos veteres in legendis sibi regibus non adstrinxisse se genti suae et patriae. Inde autem, quod regnum Idumaeorum hic descriptum et alienigenas admisit,

et tale fuit, in quo reges electione creabantur, non haereditario jure sibi invicem succedebant, porro sequitur, oportere id fuisse priscum illud et ad Mosis usque tempora deductum, non vero recentius illud, Davidi ac Salomoni coaevum, utpote quod haereditarium certaeque inter Edomitas familiae adstrictum fuit, uti clarissime patet e 1 Reg. XI, 14. et 2 Reg. III, 27. Simul facilior hinc evadit conciliatio tot regum Idumaeorum cum illo temporis spatio, quod ab Esavi excessu ad mortem usque Mosis effluxit, nam intra duorum seculorum spatium potuisse octo reges imperium tenere, nemini incredibile videbitur. Ad probandam γνησιότητα hujus de Idumaeorum regibus pericopae Michaelis denique et illud facere ait, quod, uti antea est observatum, tum cum Moses scripsit, Edomitis fuerunt et *reges* et *duces*. „Hinc vero ita colligimus: si illae hujus Capitis partes, quae de Idumaeorum ducibus agunt (Vs. 15—19. et Vs. 40—43.), Mosen ipsum auctorem agnoscunt, ergo et haec ejusdem Capitis περιοχὴ, quae de Idumaeorum agit *regibus:* atqui partes illae de Idumaeorum *ducibus* Mosen ipsum auctorem habent, nemine id impugnante, saltem cum effectu; ergo et haec de regibus illorum: quia Moses horum aeque atque illorum alibi mentionem injicit. Contraria assertio involveret absurdum aliquod, sanctissimo scriptori impingendum, quasi Idumaeorum *duces* quidem atque *phylarchos* describere operae pretium duxisset, *reges* vero, qui multo majoris momenti erant, quique jam tum, cum Moses historiam et libros suos conderet, non minus, quam duces existebant, omisisset, et silentio praeteriisset.“ Cf. *J. D. Michaelis Einleit. in die Schriften des alt. Bund.* P. I. p. 161.

32. דִּנְהָבָה LXX. Δενναβά, et sic etiam Vulgatus hoc nomen effert. Extiterat adhuc *Hieronymi* tempore locus, qui hoc nomen gessit; sic enim hic in *Locis Hebraicis: Et est usque hodie villa Dennaba in octavo milliario Areopoleos, pergentibus Arnonem, et altera*

Dennaba super montem Phogor, in septimo lapide Esbus.

33. Fuerunt non pauci e veteribus, qui יוֹבָב *Jobabum* et Jobum eundem esse putarent; id quod non solum historicus, sed etiam grammaticus error est, ut ostendit *Deyling* in *Observatt. SS.* P. I. p. 59. seqq. Cf. *J. D. Michaelis Supplemm.* p. 40. et *Einleit.* P. I. Sect. 1. §. 3. p. 20. בָּצְרָה tanquam Idumaeae urbs memoratur et Jesaj. XXXIV, 6. LXIII, 1. Amos I, 12. Alia, Moabitica, est cujus mentio fit Jerem. XLVIII, 26.

34. אֶרֶץ הַתֵּימָנִי *Terra Themanitae*, s. *Themanitarum*, a Themane Esavi nepote, supra Vs. 11. (nisi forsan *australem terram* significat, ut Zach. VI, 6., a תֵּימָן *ad dextram*, i. e. meridiem sita regio), urbs et regio Idumaeae erat, vid. Jerem. XLIX, 7, 20. Ezech. XXV, 13. Obad. Vs. 9.

35. Hadadum insignit victoria, tum celebri, quam de Midianitis retulit in agro Moabitico, forsan quod Moabitis latum suppetias, venerant. Midianitae erant Arabiae populus, a Midiane, filio Abrahami, quem e Ketura suscepit, originem repetens, vid. Exod. III, 1. XVIII, 5. Vicini erant Moabitis, Amoritis et Amalekitis, Jud. VI, 7. seqq.

37. רְחֹבֹת הַנָּהָר *Rechoboth fluminis*, i. e. ad Euphratem, fluvium, quem Hebraeos κατ' ἐξοχὴν *fluvium* vocare constat; unde et Onkelos pro הַנָּהָר posuit דְּעַל־פְּרָת *quae ad Euphratem.* Ita haec urbs vocabatur, ut ab alia ejusdem nominis, *Rechoboth Ir* dicta, Cap. X, 11. distingueretur. Sita autem erat, quae hic nominatur Rechoboth, ad Euphratis brachium, Said dictum, tribus a Circesio parasangis. Vicus erat tempore Abulfedae, sed turres antiquas aliaque monumenta servans, nocturnumque hospitium praebens ex Syria in Iracam euntibus. Arabes hanc urbem رحبة *Rahabah* vocant. Habet eundem vicum Büschingius, p. 215. Asiae. Plura vid. in *A. Schul-*

tensii Ind. Geograph. ad vitam Saladini a se edit. sub voce illa.

39. הֲדַר *Hadar*, qui 1 Chron. I, 50. הֲדַד *Hadad* vocatur, uti et hic in codice Samaritano, Mosis adhuc temporibus regnasse videtur; hinc ejus mortis nulla mentio fit. Fuerit igitur idem ad quem Moses legatos misit, Num. XV, 14. Additur et nomen uxoris ejus: וְשֵׁם אִשְׁתּוֹ מְהֵיטַבְאֵל בַּת־מַטְרֵד בַּת מֵי זָהָב, in quibus verbis מַטְרֵד sitne virile nomen, an vero muliebre, interpretes dissentiunt. „1) LXX. Ὄνομα δὲ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ Μετεβεὴλ, θυγάτηρ Ματραῒθ, υἱοῦ Μαιζοώβ. Syrus: *et nomen uxoris illius erat Mehetabel, filia Matredi, filii Mezahab;* quomodo *Matred* pater fuisset Mehetabelis et filius Mezahabi, quod tamen adversatur receptae omnium codicum Hebraeorum lectioni, secundum quam *Matred* non בֵּן *filius*, sed בַּת מֵי זָהָב *filia Mezahabi* appellatur. 2) Eandem sententiam, quod Matred virile nomen sit, ac patrem Mehetabelis designet, foverant quoque paraphrastae Chaldaei, Pseudo-Jonathan et Hierosolymitanus, sed ita, ut sequentem appositionem בַּת מֵי זָהָב non in Genitivo verterint *filiae Mezahabi*, ut ad propinquius nomen Matred pertineret, sed in Nominativo *filia Mezahabi*, quasi ad remotius Mehetabel referretur. Etenim prior illorum locum hunc sic vertit: *Et nomen uxoris ejus fuit Mehetabel filia Matredi. Hic fuit vir, qui laborabat assidue et continue* (בְּמַטְרְדָה וּבְסַרְדִיתָא cum allusione ad nomen *Matred*, quod *impulsum* et *continuum* quid significat), *postquam vero dives factus esset, et comparavisset opes, coepit elatior fieri in corde suo, ita ut diceret: quid est argentum? et quid est aurum?* (quasi מֵי זָהָב appellativo significatu idem valeret ac מַה־זָּהָב). Posterior vero illorum ita: *Et nomen uxoris ejus erat Mehetabel, filia Matredi, filia aurifabri, viri qui laborabat continue omnibus diebus vitae suae; postquam vero commedisset et satur evasisset, vertebatur et dicebat: quid est aurum? et quid est argentum?* Premitur vero et haec interpretatio duplici incommodo: uno, quod posterius

בַּת eodem ac prius exponit Casu, *filia* in Nominativo; quum stilus genealogicus ordinarie saltem ferat, ut nomina בֵּן *filius* et בַּת *filia* exponenda sint Casu proxime antegressi nominis proprii; altero, quod Matredum praesumtum cum Mezahaba eundem facit, quos sacra historia (saltem ex ordinario stilo) ut diversos exhibet; qua de causa nec 3) *Aben-Esrae* conjecturam admittimus, in Commentar. ad h. l. scribentis: *Aut memorat scriptura nomen et patris illius et matris*, ita ut verba sic exponenda essent: *Mehetabel filia Matredi* patris, et *filia Mezahabae* matris. Igitur, utut *Hillerus* in *Onomast.* p. 877. *Matredum* Hadari s. Hadadi socerum, ac adeo marem facit, *Simonis* vero dubius sit, *Matred*, inquiens, *socer vel socrus Hadaris, regis Idumaeorum;* tamen probabiliter est muliebre. Eadem ejusdem nominis ratio in loco parallelo 1 Paral. I, 50., ubi recte Vulgatus: *Et appellata est uxor ejus Meetabel, filia Matred, filiae Mezaab;* pariterque Lutherus et hic et in Genesi: *und sein Weib hiess Mehetabeel, eine Tochter Matred, die Mesahab Tochter war.*" *C. B. Michaelis* in Dissertat. *de nominibus propriis sexui suo restitutis* §. XVIII., in *Sylloge Commentatt.* P. VII. p. 116. seqq. Quod autem hic praeter morem uxoris Hadari fit mentio, Hebraei conjectant ideo factum, quod per eam evectus sit ad regnum, vel quod claris orta esset natalibus; vel certe quia ipsius genus omittitur, loco ejus uxor memoratur, quae ex opulentis parentibus orta esset.

40. Quod hoc Versu et duobus, qui proxime sequuntur, iterum אַלּוּפִים *phylarchi* Idumaeorum recensentur, ut supra Vs. 15—19., alii alias afferunt rationes. Jarchi priores quidem duces, qui reges Idumaeorum praecesserunt, dicit שמות תולדותם *nominibus familiarum suarum*, sive, quae familiis indiderunt, quarum principes erant et primi auctores, at hic נקראו על שם מדינותיהם לאחר שמת הדר ופסקה מהם מלכות *appellari illos nominibus suarum provinciarum, postquam mortuus sit Hadar, et reges habere desierint Idumaei;* ut igitur *Thi-*

mna, *Alva*, reliqua, non virorum sint propria nomina, sed locorum horum ducum, quibus praefuerint. Jarchio consentiens Abarbenel statuit et ipse, mortuo Hadare regnum Idumaeorum cessavisse, reducto ducali regimine, causatus id eis evenisse, quod Hadar, ducta in matrimonium filia opulenti et ab auro dicti hominis *Me-zahab*, in divitiis confisus esset. Addit, posteriores hos duces Vs. 40. 41. 42. ante Mosis obitum exstitisse omnes. „Verum hanc hypothesin falsam esse, facile est ad intelligendum. Nam primo non immerito praesumitur, posteriores hos duces eodem modo appellatos esse ac tum superiores illos Idumaeorum Vs. 15 — 19., tum Choraeorum istos intermedios Vs. 20 — 30. Atqui tum illi, tum isti, a familiis suis nuncupati; ergo et hi, nisi contrarium evidenter probari possit. Dixeris quidem, contrarium inde posse probari, quod, si posteriores hi pariter a familiis suis appellati essent, harum familiarum ortus ab Esavo ex antecedentibus commonstrari non possit; et quod e contrario 1 Paral. I, 51. duces hi posteriores demum post mortem Hadaris, ultimi horum octo regum, exstitisse dicuntur. His vero respondemus, exponi his tribus Versibus 40. 41. 42. posteros trium istorum Esavi ex Oholibama filiorum, *Jehuschi*, *Jahelami*, et *Corachi* (supra Vs. 5. 14.), quibus quidem nulla, disertis saltem verbis ac nominatim, tribuitur soboles; fuisse tamen his quoque filios, Moses ipse non obscure innuit, dum *principes* seu *familias* (אַלּוּפִים) iis adscribit. Quod vero eorum soboles Vs. 14. non commemoratur nominatim, causa videtur fuisse haec, quod familiae trium istorum filiorum Esavi primis temporibus non tam numerosae fuerint, quam Eliphasi et Rehuelis; tandem vero et ipsae in plures excreverunt ac subdivisae sunt ramos, qui Vs. 40. 41. 42. recensentur. Quae familiarum Jehuschi, Jahelami et Corachi subdivisio, quia probabiliter non prius facta est, quam regnante sequentium illorum octo regum Idumaicorum ultimo, eoque Mosi coaevo, Hadaro, Vs. 39., igitur narrationi huic de octo Idumaeorum regibus demum subjecta est. Fir-

mare hanc conjecturam videtur, quod auctor Chronicorum hanc ipsam subdivisionem familiarum Esavi ex tribus hisce filiis ejus, cum historia octo illorum regum, ac nominatim ultimi, ita 1 Paral. I, 51. connexuit: *Cumque moreretur Hadadus* (idem, qui apud Mosen *Hadarus* appellatur), *erant principes Idumaeorum, princeps Thimna*, cetera. Igitur, si haec admittatur conjectura, ad tres illos modo memoratos Esavi ex Oholibama filios, Jeuschum, Jahelamum et Corachum, pertinebunt ultimi isti, undecim numero, Idumaeorum principes ac familiae Vs. 40. 41. 42. recensiti." *G. B. Michaelis antiquiss. Idumaeor. hist.* §. XXVII. et XIV., in *Syll. Commentatt.* P. VI. p. 253. et 224. Clericus haec putat ex alio catalogo petita, in quo ex qua Esavi uxorum hi essent oriundi, non habebatur. Ceterum תִּמְנָע hoc Versu et אָהֳלִיבָמָה Vs. proximo vix dubium est esse virorum nomina, non mulierum, uti supra Vs. 2. 5. 22., quum eadem nomina passim et viris et feminis tribui viderimus. Aben-Esra quidem *Thimna* et *Oholibama* et hic earundem, quae supra memorata essent, mulierum nomina esse defendere conatur, ut duplices hic duces recenseantur, quidam e Thimna, concubina Eliphasi, descendentes, duo videlicet, Alva et Jetheth, et septem ex Oholibama, uxore Esavi, postea vel eodem tempore descendentes, quasi אַלּוּף תִּמְנָע et אַלּוּף אָהֳלִיבָמָה posita essent pro אַלּוּפֵי תִּמְנָע et אַלּוּפֵי אָהֳלִיבָמָה. Quod tamen argutius videtur.

43. Pro לְמֹשְׁבֹתָם *juxta habitationes suas* in codice Samaritano est למשפחותם *pro familiis eorum* בְּאֶרֶץ אֲחֻזָּתָם *In terra possessionis eorum*, i. e. quam propriam et perpetuam habebant, non instar peregrinorum incolebant, ut Cananaeam Israelis posteri per aliquot aetates.

IX. *Reliqua Jacobi vita, una cum iis, quae filiis, Josepho potissimum, evenerunt, usque ad Jacobi et Josephi mortem.* Cap. XXXVII — L.

1. *Josephus, a patre fatribus praelatus, somniis invidiam fratrum sibi creat, et ab iis venundatur in Aegyptum abducendus, dum eum pater quasi a fera discerptum luget.* Cap. XXXVII.

Cap. XXXVII, 1. Epigraphe hujus, quae ad finem usque libri decurrit, pericopae, אֵלֶּה תֹּלְדוֹת יַעֲקֹב, Versu demum proximo legitur, plane ut Capite superiori, postquam Vs. 8. dixisset Esavum in montanis Seir consedisse, Vs. 9. subjungit: וְאֵלֶּה תֹּלְדוֹת עֵשָׂו. Jam vero commodum ad persequendam Jacobi et filiorum historiam transitum facturus, filumque supra XXXV, 27. abruptum resumturus, paucis verbis prius commonefacit lectorem ejus, quod illic dixerat, *venisse Jacobum ad Isaacum, patrem, in Mamren, Cirjath-haarba, quae eadem cum Hebrone,* אֲשֶׁר־גָּר־שָׁם אַבְרָהָם וְיִצְחָק *ubi commorati erant Abrahamus et Isaacus*, nunc pergens post παρένθεσιν Cap. XXXVI. insertam: וַיֵּשֶׁב יַעֲקֹב בְּאֶרֶץ מְגוּרֵי אָבִיו בְּאֶרֶץ כְּנָעַן *habitavit igitur Jacobus*, uti supra dictum est, *in terra commorationis patris ejus, in terra*, inquam, *Canaan.*

2. De inscriptione hujus περιοχῆς, אֵלֶּה תֹּלְדוֹת יַעֲקֹב, cf. not. supra ad XXV, 19. Mirum videri potest, hanc epigraphen *Jacobi* historiam promittere, quum tamen postrema haec libri pars in *Josephi* potissimum fatis enarrandis versetur. Sed observamus hunc nostri scriptoris morem, ut nonnisi commemorata patris morte, narrationi continuandae novam epigraphen praemittat, quae filii nomen gerat, etiamsi de eo antea jam plura retulisset; vid.

supra XXV, 12. 19. coll. cum XXV, 10. 11. et XXXVI, 1. coll. cum XXXV, 29. Ita et hic, quum Isaaco mortuo Jacobus caput esset familiae, seu tribus, reliqua libri pars de eo denominatur. הָיָה רֹעֶה אֶת־אֶחָיו בַּצֹּאן *Erat pascens cum fratribus suis oves.* רֹעֶה hic insolentius per ב construitur, quod tamen et 1 Sam. XVI, 11. XVII, 34. reperimus. Postquam Josephum XVII. annos natum dixit, addit: וְהוּא נַעַר *eratque puer;* constat enim Hebraice נַעַר et *adolescentem* et *juvenem* ita appellari. Et R. quidem Ben Nachman hic putat verba transposita, et illud וְהוּא נַעַר ponendum fuisse ante בֶּן־שְׁבַע־עֶשְׂרֵה שָׁנָה. Sed rectius observant alii, esse illud per modum parentheseos insertum, quo significetur indoles animique simplicitas puerilis, ut intelligat lector, eorum quae sequuntur nihil ab eo factum nisi candore quodam et simplicitate puerili, quia non studuit callide sibi fratres infensos conciliare, aut dissimulare quidquam apud illos eorum, quae illi nocuere postea; plane innocuum puerum se gessit. Pavit igitur Josephus pecudes אֶת־בְּנֵי בִלְהָה וְאֶת־בְּנֵי זִלְפָּה *cum filiis Bilhae filiisque Zilpae*, ancillarum Rachelae et Leae, quibus, ut filiis ancillarum, gregis custodia a patre commissa erat. Bilha praeterea, jam tanquam mater erat Josepho, mortua ejus matre Rachela, cujus illa erat ancilla. וַיָּבֵא יוֹסֵף אֶת־דִּבָּתָם רָעָה אֶל־אֲבִיהֶם *Detulit autem Josephus patri malos de illis rumores.* LXX. juxta exemplar Romanum et Aldinum: Κατήνεγκαν δὲ Ἰωσὴφ ψόγον πονηρὸν, quasi non Josephus fratres, sed fratres Josephum apud patrem detulerint, ut ipsum in invidiam inducerent. Sed notat Diodorus in Catenis a Montefalconio in Hexaplis ad h. l. excitatus: Ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος ἀντὶ τοῦ κατήνεγκαν, κατήνεγκεν ἔχουσι· τουτέστιν, ὁ Ἰωσὴφ διέβαλε τοὺς ἀδελφοὺς τῷ πατρὶ, ὡς οὐκ εὐτάκτους ὄντας· ὅθεν καὶ ἐμισήθη παρ᾽ αὐτῶν. Hunc sensum quoque referunt Aquila et Symmachus. Hic ita habet: Καὶ ἔφερεν Ἰωσὴφ διαβολὴν κατ᾽ αὐτῶν πονηρὰν πρὸς πατέρα αὐτῶν. Ille: Καὶ ἤνεγκεν Ἰωσὴφ τὸν ψόγον αὐτῶν πονηρὸν πρὸς τὸν πατέρα αὐτοῦ. Quem sensum expresserunt etiam Onkelos, Samari-

tanus, Syrus et Arabs uterque. Quam autem ob caussam male audiverint fratres Josephi, non dicitur. Delatos esse ut *κτηνοβάτας* Grotius putat, post Hebraeos quosdam. Innuere voluerunt etiam hoc crimen sine dubio LXX. et Saadias. Hic enim شَنَاعَة رَدِيَّة *obscoenitatem pessimam*, illi *ψόγον πονηρὸν*, *crimen malum* vertunt. Sed דִּבָּה *rumor* est, sive *fama*, et semper in malam partem sumitur.

3. Amasse dicitur Israel, i. e. Jacobus Josephum prae filiis ejus reliquis, כִּי־בֶן־זְקֻנִים הוּא לוֹ *quod filius senectutis esset ei;* quae verba nonnulli de senili prudentia et sapientia Josephi intelligunt, ut Onkelos, qui אֲרֵי־בַר־חַכִּים הוּא לֵיהּ *quia filius sapiens ei esset* reddidit. Sed volunt verba illa haud dubie hoc, dilectum fuisse a Jacobo prae ceteris filiis Josephum, eo quod ipsi in senectute natus esset. Aliam, nec improbabilem rationem addit *Josephus Antiqq.* Lib. II. Cap. 2. §. 1. Ἰώσηπον ἐκ Ῥαχήλας πεπαιδοποιημένος Ἰάκωβος, διά τε τὴν τοῦ σώματος εὐγένειαν, καὶ διὰ ψυχῆς ἀρετὴν *Josephum ex Rachela sibi natum Jacobus cum ob corporis venustatem tum ob animi virtutem prae ceteris liberis amabat.* וַיַּעַשׂ לוֹ *Et fecit ei*, i. e. fieri ei curavit factamque dedit כְּתֹנֶת פַּסִּים *tunicam versicolorem*, uti plerique, Graecos Alexandrinos sequuti, qui χιτῶνα ποικίλον reddidere, interpretantur. Ratio interpretationis videtur, quod פַּס Chaldaice *particulam* notat, unde כְּתֹנֶת פַּסִּים, sive, uti habet Onkelos, כִּתּוּנָא דְפַסֵּי, proprie esset *tunica particularum*, i. c. ex variis particulis versicoloribus consuta. Cui sententiae tamen *N. G. Schroederus* in Commentar. *de vestitu mulier. Hebraear.* p. 245. ideo subscribere posse negat, quod quum 2 Sam. XIII, 18. Thamar, Davidis filia, כְּתֹנֶת פַּסִּים induta dicatur, nullo modo probabile sit, filiam regis tunicam e consarcinatis panniculis constantem gestasse, et ea quidem aetate, qua ars plumandi, variosque colores et figuras intexendi, aut acu pingendi, jam diu fuerat notissima. Putat

igitur, tunicam vocari פַּסִּים ideo, quod *limbos*, vel *segmenta* quaedam, inferiori orae, forte et aperturae circa collum, et extremitati manicarum, haberet adsuta. Quam ipsam sententiam jam antea commendarat *Jo. Braunius de Vestitu Sacerdot. Hebraeor.* L. I. Cap. 17. §. 280. p. 314. edit. sec. Uterque pro ea facere observat interpretes Chaldaeos, Jonathanem et Hierosolymitanum, qui כְּתֹנֶת פַּסִּים per פַּרְגּוֹד מְצַיַּיר *paragaudam figuris pictam* exposuere. Nomen *paragauda*, apud scriptores historiae Augustae saepius obvium, designabat, pronunciante Salmasio ad Vopisci Aurelianum Cap. 15., *vestem pannis et institis versicoloribus praetextam;* quibus mox haec addit: *Lora igitur illa, vel paragaudae sunt segmenta, vel fasciae, vel vittae vestibus adsuta.* Graeci dicunt χιτῶνα παραγαύδαν. Quam vocem esse originis Orientalis, vere suspicatus est Casaubonus ad Pollionis Claudium Cap. 17. Habent Arabes بُرْجُد, quod a Golio p. 248., Giggejo praeeunte, exponitur كِسَاءٌ غَلِيظٌ *vestis genus crassius et hirsutum*, quum potius *elegantius, striatum* ponendum fuisset. Tebrizi enim, Scholiasta, ad Tarafae Moallacah Vs. 12., ubi بُرْجُد legitur (p. 8. edit. Reisk.), eo indicari ait كسا فيه خطوط *vestimendum in quo sunt striae.* Quocum consentiens Zuzenius in scholiis ineditis illud كسا مخطط *vestimentum striatum* esse dicit. Attamen et illud بُرْجُد origine non Arabicum, sed e Persico puto پرچه *pardschah* factum, quod proprie quidem *partem, segmentum*, significat, tum vero, observante Wilkinsio ad Richardsonii Lexicon Persicum a se editum, de panni parte ad vestimentum adhibita usurpatur (ut nos dicimus *ein Stück Tuch*), ut in loco quodam e *Tuti-Nameh*, i. e. psittaci libro adducto: *venit ad psittacum ornata et comta*, وپارچهٔ زربافت پوشیده *et vestimento intexto auro induta.* Persicus interpres uo-

stro loco כְּתֹנֶת פַּסִּים vertit پيراهني زربفت *indusium telae auro intertextae.* Saadias: جُبَّة دِيبَاج *tunica sericea acu picta.* Arabs Erpenii: ثوبية من ديباج quod idem. Hieronymus in *Quaestt.* ad h. l.: „Pro *varia tunica* Aquila interpretatus est ἀστραγάλειον, id est, *tunicam talarem*, Symmachus *tunicam manicatam* (χειριδωτὸν), sive quod ad talos usque descenderet, et manibus artificis mira esset varietate distincta, sive quod haberet manicas; antiqui enim magis colobiis utebantur." Sic et 2 Sam. XIII, 18. LXX. et Aquila χιτῶνα καρπωτὸν *tunicam manicatam* reddiderunt; nam καρπωτὸς Graecis est tunica, quae manicas habet *ad carpum usque demissas*; de cujusmodi tunicis vide plura apud Braunium l. c. p. 313. Eidem sententiae et plurimi Rabbinorum adhaerent, praeeunte veteri commentario, Bereschith-Rabba dicto, unde et Graecus Venetus ab Ammonio, V. S. V. editus περιβόλαιον παλαμῶν h. l. dedit. Verum non alio illa gaudet fundamento, quam quod Dan. V, 5. 24. פַּסָּא דִּי־יְדָא *pars manus* legitur. Sed ex addito דִּי־יְדָא patet, פַּסָּא per se et absolute *manum*, vel *carpum manus* non denotare. De nomine כְּתֹנֶת (unde Graecorum χιτὼν) *tunicam interiorem* indicante, docte disputavit *H. Th. Hartmann die Hebraeerin am Putztische* P. III. p. 192. seqq. et de כְּתֹנֶת פַּסִּים p. 280. seqq.

4. וְלֹא יָכְלוּ דַּבְּרוֹ לְשָׁלֹם *Et non poterant eum alloqui pacifice.* Verbis durioribus eum alloquebantur, quibus odii sui adversus eum indicia ederent. Saadias hebraea sic reddidit: لَا يَسْتَطِيعُوا أَلسَّلَامُ عَلَيْهِ *non poterant salutare eum;* quasi denegassent Josephi fratres fratri salutationem etiamnum in Oriente solitam, سلام عليكم (*Salâm alaikum*), *pax vobiscum* ad quam salutationem alter respondit عليكم السلام, *vobiscum pax.* Vid. *Niebuhr, Bsschreibung von Arabien*, p. 48. Cf. 1 Sam. XXV, 6.

10. הֲבוֹא נָבוֹא אֲנִי וְאִמְּךָ וְאַחֶיךָ לְהִשְׁתַּחֲוֹת לְךָ אָרְצָה *Num ego et mater et fratres te humi supplices veneremur?* Sed quum Josephi mater, Rachela, tum mortua fuerit, quaeritur, quam Jacobus *matris* nomine intellexerit. Nonnulli haec verba ita accipiunt, quasi pater ad refutandum Josephi somnium diceret: sol patrem, luna vero matrem significat; at mater mortua, videtis itaque vanum esse somnium. Sed verisimilius est, sub nomine matris Bilham intelligi, quae Rachelae loco Josephum nutrivit et eduxit. Ita Plauto *Menaechm.* Prolog. Vs. 19. *mater* est, *quae mammam dedit*, i. e. nutrix.

11. שָׁמַר אֶת־הַדָּבָר *Verbum observabat*, i. e. rem memoria custodiebat, animo mandabat, διατηρεῖν ἐν τῇ καρδίᾳ, Luc. II, 51.

14. רְאֵה אֶת־שְׁלוֹם אַחֶיךָ וְאֶת־שְׁלוֹם הַצֹּאן *Vide pacem fratrum tuorum et pacem gregis*, i. e. vide an satis recte omnia apud eos se habeant. Bene LXX. ἴδε εἰ ὑγιαίνουσι; Volunt nonnulli, anxium fuisse Jacobum de filiis in Sichemensi agro pascentibus, propter caedem, quam in ea regione commiserant, et qua invisi Cananaeis erant, vid. supra Cap. XXXIV. De חֶבְרוֹן vid. supra ad XXIII, 2.

17. דֹּתָן *Dothan* locus fuit haud procul a Sichemo. *Usque hodie*, ait *Hieronymus* in *Locc. Hebrr.*, *in duodecimo a Sebaste* (*Samaria*) *milliario, contra Aquilonis plagam ostenditur.* Tria igitur circiter milliaria Germanica procul a Samaria sita erat, ea in regione, ubi magna planities a Jordane usque ad mare mediterraneum, vallis Jesreelis dicta, Palaestinam dividit.

19. בַּעַל הַחֲלֹמוֹת הַלָּזֶה *Dominus somniorum iste*, i. e. insomniator, ἐνυπνιαστής, ut LXX. reddiderunt. Abarbenel conjicit, vocasse Josephi fratres fratrem dominum somniorum eam ob causam, quod existimarent, excogitasse eum somnia illa pro lubitu, ut fratres irritaret. Sed בַּעַל Hebraeis, ut Arabibus suum ذُو et صَاحِبٌ *dominus*,

possessor, in genere notare constat eum, qui re aliqua praeditus est et valet. Unde בַּעַל הַחֲלֹמוֹת est cui somnia obveniunt, qui crebra habet somnia. הַלָּזֶה *iste* per contemtum et invidiose additum.

20. וְנַשְׁלִכֵהוּ בְּאַחַד הַבֹּרוֹת *Projiciamus eum in unam ex cisternis.* De cisternis vid. Diodori Siculi descriptionem supra ad XXI, 19. Pluvia diu deficiente ejusmodi cisterna aquis vacua fit; cf. infra Vs. 24. Homo autem in ejusmodi cisternam vacuam dejectus et auxilio humano carens, misere interire debet. Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 127. p. 176.

21. וַיַּצִּלֵהוּ מִיָּדָם *Liberavit eum a manu illorum*, consilia dedit ad liberationem fratris spectantia. לֹא נַכֶּנּוּ נָפֶשׁ *Ne percutiamus eum anima*, id est, מכת נפש uti Hebraei exponunt, *percussione animae*, ita ut exeat ejus anima; occidamus eum.

22. בַּמִּדְבָּר *In deserto.* Ita fortasse vocabatur sterilis regio in parte vallis Jesreelis meridionali, quae, quum agriculturae apta non esset, a Nomadibus peragrabatur.

25. אֹרְחַת יִשְׁמְעֵאלִים *Catervam Ismaelitarum* simul *iter facientium*, ab אָרַח *iter fecit*, quemadmodum a قَرَا (pro قَرُو) *contendit, de tractu in tractum peragravit regionem*, Arabibus قَيْرَوَان est *cohors hominum simul iter facientium*, unde Persae كروان *carvan* (*caravana*) fecerunt. Graece vocavit Lucas II, 44. συνοδίαν. Olim et hodie per Orientis solitudines, in quibus aut ferae aut latrones viatoribus insidiantur, solent mercatores, aliique, qui iter aliquo faciunt, nonnisi magno comitatu proficisci. Dicitur hic, prospexisse Josephi fratres catervam Ismaelitarum iter facientium בָּאָה מִגִּלְעָד *e Gileaditide venientem*, i. e. ea via, quae Gileaditide venientibus calcari solebat. De גִּלְעָד vid. not. supra ad XXXI, 21. Illa

mercatorum caterva, uti J. D. Michaelis in not. ad vers. teuton. h. l. observat, ex Arabia veniens haud procul a lacu Tiberiados Jordanem transierat, et per vallem Jesreelis pergebat occidentem versus ad mare mediterraneum. Hac via attingebat Dothanam, et deinde juxta littus maris mediterranei in Aegyptum proficiscebatur ita, ut Hebron ad sinistram esset. Si enim illi mercatores Hebronem, ubi Jacobus tum degebat, in itinere attigissent, certe filii Jacobi fratrem non his mercatoribus vendidissent. Cameli Ismaelitarum ferebant נְכֹאת, quo quid significetur dissentiunt interpretes. LXX. *θυμιάματα* reddunt, Aquila *στύρακα*, Onkelos et Jonathan שְׁעַף, שַׁעֲוָה, *ceram*, uti et Arabs Erpenii, qui شمعا posuit. Saadias خرنوب *ceratoniam siliquam* vertit, Syrus ܢܘܛܦܐ *resinam*. Kimchi interpretatur דבר נחמד *rem desiderabilem*. Jarchi כל כנוסי בשמים הרבה *omnes collectiones plurium aromatum;* Vulgatus, *aromata*. E recentioribus *Bochartus Hieroz.* P. II. Lib. IV. Cap. 12. T. III. p. 399. edit. Lips. נְכֹאת *storacem* esse putat, Aquilam sequutus, cui sententiae adstipulatur *Celsius Hierob.* P. I. p. 548. *Hillerus* in *Hierophytico* p. 211. *oleam tusam* intelligit, נְכאת derivans a כָּתַת, *tudit*. *Ludov. de Dieu* in *Critica Sacra*, p. 20. נְכאת idem esse putat quod Arabum نكيث, quod, Firuzabadio teste, est e numero *τῶν* سواك, quo nomine omnia dentifricia designantur, quae in quotidiano usu sunt apud Arabes, et inter ea maxime aestimantur aromata quaedam, quibus non tantum dentes mundantur, sed praecipue fragrantia halitui oris conciliatur. Gesenio in Lexico נְכֹאת idem est quod Arabibus نَكَاةٌ i. q. نكعة *gummi tragacanthi*. Incertum, sitne נְכֹאת idem quod נְכֹת, 2 Reg. XX, 13. Jesaj. XXXIX, 2. ad quem loc. cf. not. Similis interpretum dissensus est circa vocem צְרִי. LXX. vertunt *ῥητίνη*, *resina*, quos sequitur Vulgatus, Onkelos (קְטַף) et plerique antiquiorum et recentiorum interpretum. Arabs uterque *theriacam*

reddit. Sed videtur potius צְרִי esse *opobalsamum*, uti pluribus ostendit *Warnekros* in *Comment. de fertilitate Palaestinae* (*Repertorio für biblische und morgenländische Litteratur*, P. XIV. XV. inserta), §. XXI. Repert. P. XV. p. 227—243. Apud Arabes enim ضرى est *fluxit, manavit*, inde ضرو est *lacryma arboris, succus ex arboribus manans*, item *opobalsamum*, ex balsami planta manans. R. Simeon filius Gamalielis: הצרי *est* שרף, i. e. *succus, qui stillat ex arboribus balsami, quas incidunt ligno, et inde exit* הצרי *et arbor illa vocatur vernacula* בלסמו, i. e. *balsamum*. Notum est hodie sub nomine *balsami Meccani*. Arabia enim balsami solum est nativum, et inprimis prope Meccam et Medinam et in regione Jemen in montibus, in planis, cultis et incultis locis, innumerae balsami plantae sponte nascuntur, teste Niebuhrio, *Beschreib. von Arab.* p. 145. Strabo, Lib. XVI. sub finem, p. 778. ed. Casaub. p. 1124. ed. Almel. de Sabaeis, Arabiae populo; Συνάπτει δ᾽ ἡ τῶν Σαβαίων εὐδαιμονεστάτη μεγίστου ἔθνους, παρ᾽ οἷς καὶ σμύρνα, καὶ λίβανος, καὶ κιννάμωμον· ἐν δὲ τῇ παραλίᾳ καὶ βάλσαμον. *His proxima est felicissima Sabaeorum terra, gentis maximae. Apud hos thus et myrrha et cinnamomum nascitur, in ora etiam balsamum.* Diodorus Siculus Lib. II. p. 132. ed. Rhodom. de Nabataea, regione Arabiae finitima: Γίνεται δὲ περὶ τοὺς τόπους τούτους ἐν αὐλῶνί τινὶ τὸ καλούμενον βάλσαμον, ἐξ οὗ πρόσοδον λαμπρὰν λαμβάνουσιν, οὐδαμοῦ μὲν τῆς ἄλλης οἰκουμένης εὑρισκομένου του φύτου τούτου, τῆς δ᾽ ἐκ αὐτοῦ χρείας εἰς φάρμακα τοῖς ἰατροῖς καθ᾽ ὑπερβολὴν εὐθετούσης. *Ibi in convalle quadam Balsamum, quod vocant, gignitur; unde luculentum ipsis vectigal accedit, propterea quod nusquam alibi in orbe terrarum haec stirps inveniatur; quae praeclarum quoque ad pharmaca Medici usum praestat.* — לֹט *stacten*, i. e. myrrham, reddunt LXX. et Vulgatus. Arabs uterque *castaneam*, et Syrus *terebinthum* vertit. Sed potior videtur eorum sententia, qui *ladanum* intelligunt, dictum a fruti-

ce ex cysti generibus, nomine *Ledum* (לְטוּם, quod Onkelos hic posuit), quae verno tempore pingue quiddam et roscidum contrahunt, quod, quum hujus fruticis frontibus pascantur caprae hircique, eorum barbis adhaerescit, indeque depexum colatur, cogiturque in offas. Vid. Dioscoridis Mat. Med. L. I. cap. 128. Herodotus Lib. III. Cap. 112. Τὸ δὲ δὴ λήδανον, τὸ Ἀράβιοι καλεοῦσι λάδανον, ἔκ τούτου θωϋμασιώτερον γίνεται· ἐν γὰρ δυσοδμοτάτῳ γινόμενον, εὐωδέστατόν ἐστι· τῶν γὰρ αἰγῶν τῶν τράγων ἐν τοῖσι πώγωσι εὑρίσκεται ἐγγινόμενον, οἷον γλοιὸς ἀπὸ τῆς ὕλης. χρήσιμον δ' ἐς πολλὰ τῶν μύρων ἐστί. θυμιῶσί τε μάλιστα τοῦτο Ἀράβιοι. *At ledanum (quod Arabes ladanum vocant) etiam cinnamomo mirabilius comparatur: quippe quod in graveolentissimo loco nascens, tamen fragrantissime olet. In barbis hircorum invenitur innatum, veluti mucor ligni, cum ad conficienda multifaria unguenta utile, tum praecipue ad suffitionem, qua Arabes utuntur.* *Plinius Hist. Nat.* Lib. XII. c. 37. *Arabia etiamnum et Ladano gloriatur; forte casuque hoc, et injuria fieri odoris, plures tradidere. Capras, maleficum alias frondibus animal, odoratorum vero fruticum appetentius, tanquam intelligant pretia, carpere germinum caules praedulci liquore turgentes, destillantemque ab his (casus mixtura) succum improbo barbarum villo abstergere. Hunc glomerari pulvere, incoqui sale. Et ideo in Ladano caprarum pilos esse. Sed hoc non alibi fieri, quam in Nabathaeis, qui sunt ex Arabia contermini Syriae.* Plura vid. in *Celsii Hierobot.* P. I. p. 280. seqq. Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 147. p. 202. seq.

28. Quos Ismaelitas antea Moses vocavit, nunc מְדָנִים *Midianitas* nominat, non, ut Clericus vult, quod haec caterva mercatorum ex variarum gentium hominibus constaret; sed distinguuntur Ismaelitae et Midianitae ut genus et species ejusdem nationis, veluti si Gallos et Lugdunenses diceres, uti Aben-Esra non male. Aliis quoque in locis Ismaelitae et Midianitae promiscue dicuntur, e. c. Jud. VIII, 22. 24. 26. Erant enim Is-

maelitae numerosissimi ac potentissimi Abrahami in Arabia posteri; hinc eorum nomen omnibus Arabiae gentibus, quae ab Abrahamo originem ducunt, haesit, atque etiamnum omnes Arabes se Ismaelis posteros esse profitentur. *Josephus Antiqq.* L. II. Cap. 3. §. 3. Madianitas vocat *Ἄραβας τοῦ Ἰσμαηλιτῶν γένους.* *Arabes* etiam habet Onkelos. וְזַבִּנוּ יָת־יוֹסֵף לַעֲרָבָאֵי בְּעֶשְׂרִין כְּסַף *Et vendiderunt Josephum Ismaelitis viginti* siclis *argenti* (est enim ante כֶּסֶף subaudiendum שֶׁקֶל, quod haud raro omittitur, ut supra XX, 16.; cf. *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 700.). LXX. pro *argenteis* ponunt *aureos* (*εἴκοσι χρυσῶν*), ideo forsan, quod argentei sicli nimis vile pretium iis videretur. Nam si a bove cornupeta occisus esset servus, bovis dominus pro occiso servo triginta siclos, sive argenteos, solvere lege jubebatur, Exod. XXI, 32. Et mares a quinto ad vigesimum aetatis annum redimebantur viginti siclis, Levit. XXVII, 5.

29. וַיָּשָׁב רְאוּבֵן אֶל־הַבּוֹר *Rediitque Ruben ad cisternam;* unde intelligimus, eum venditioni non interfuisse. Josephus l. c. §. 2. scribit, Rubenem, postquam fratrem leniter in puteum demisisset, abiisse pascua commoda quaesitum (*ἀπαλλάσσεται κατὰ ζήτησιν χωρίων πρὸς νομὰς ἐπιτηδείων*), noctu autem rediisse ad puteum, insciis fratribus Josephum servare secum statuens (*Ῥούβηλος δὲ, νύκτωρ ἐπὶ τὸν λάκκον ἐλθὼν, σῶσαι, τοὺς ἀδελφοὺς λαθὼν, τὸν Ἰώσηπον ἐγνώκει*).

30. הַיֶּלֶד אֵינֶנּוּ *Puer non est*, mortuus est. Phrasis profanis scriptoribus etiam usitata, *mortem* denotans. Sic Sophocles mortuos *οὐκ ἔτ᾽ ὄντας* appellat. וַאֲנִי אָנָה אֲנִי־בָא *Ego vero quo ego vado?* quo me vertam? Nam pater eum a me requiret, quod sim primogenitus, et mihi praecipue ejus custodiendi cura incumberet. Repetitur Pronomen non citra *πάθος.*

32. וַיְשַׁלְּחוּ Kimchius in Lexico hoc loco vult a שֶׁלַח *missile, gladius vagina eductus,* Verbum denominativum, ut verba ita sint vertenda: *gladio consciderunt*

tunicam, ut probabilius fieret, esse Josephum a feris discerptum. Ita et Josephus l. c. §. 4. Ἔδοξεν αὐτοῖς διασπαράξασιν αἵματι τραγῶν μολῦναι. *Placuit iis discerptam* tunicam *sanguine hoedino foedare*. Sed illa verbi וַיְשַׁלְּחוּ interpretatio non videtur admittenda, utpote a linguae usu aliena.

34. וַיָּשֶׂם שַׂק בְּמָתְנָיו *Saccumque imposuit lumbis*, i. e. vestitum lugubrem, sacco similem, induit. Hoc enim quoque luctus indicium fuit; conf. 2 Sam. III, 31. 1 Regg. XXI, 27. Nehem. IX, 1. Esth. IV, 1. et seqq. Luxit Jacobus Josephum יָמִים רַבִּים *dies multos*, i. e. diutius quam solebant lugeri mortui, donec eum vivere intellexit et coram vidit, id vero est, XXII. aut XXIII. annis, uti observant Hebraei: nam decimo septimo aetatis anno est venditus Josephus (vid. supra Vs. 2.), anno aetatis tricesimo est evectus ad regni praefecturam (infra XLI, 46.); a septimo decimo usque ad tricesimum sunt duodecim, aut tredecim, si annum decimum octavum numeres; sequuntur septem anni abundantiae, et duo famis, nam secundo anno famis descendit Jacobus in Aegyptum; IX cum XII aut XIII faciunt XXII aut XXIII. His tot annis totis luxisse Jacobum dicunt Josephum ut mortuum.

35. וַיָּקֻמוּ כָל־בָּנָיו וְכָל־בְּנֹתָיו לְנַחֲמוֹ *Surrexerunt autem omnes ejus filii et omnes filiae ejus ad consolandum eum.* At in superioribus filiae Jacobi nonnisi unius, Dinae, facta est mentio. Verum potuit Jacobus alias, praeter Dinam, filias genuisse, etsi non commemorentur, quum feminarum in genealogiis raro mentio fieri soleat, nisi ubi in illis insigne aliquid et memorabile incidit, ut in Dina supra Cap. XXXIV. Aut *filiarum* nomine Jacobi neptes et nurus comprehenduntur, uti Ruth. I, 11. 12. 13. Naomi Rutham et Orpam, nurus, filias suas vocat, et nostro loquendi more. *Augustinus* tamen *de civit. Dei* L. XVI. Cap. 40.: „Scriptura unam quoque filiam Jacob *filias* nuncupavit, sicut in Latinae linguae consuetudine liberi dicuntur *filii*, etiamsi non sint uno amplius.“

וַיֹּאמֶר כִּי־אֵרֵד אֶל־בְּנִי אָבֵל שְׁאֹלָה *Dixitque: descendam ad filium meum lugens in sepulchrum.* Particula כִּי hic mere est inchoativa, uti haud raro praemitti solet, cum verba alicujus inducuntur, plane ut Graecorum ὅτι, vid. e. c. Jos. II, 24. Ruth. I, 10. 1 Sam. X, 19. Aben-Esra reprehendit *interpretem errantium* (התועים) i. e. Christianorum, quod שְׁאוֹל exponat גיהנם *Gehennam*, i. e. locum supplicii, quum in universum *loca* denotet *subterranea*, unde passim coelo, quod supremum est omnium, opponitur, ut Ps. CXXXIX, 8. Videtur perstringere vulgatum interpretem Latinum, qui שְׁאוֹל vertit *infernum*, quo tamen non est necesse intelligi locum damnatorum. Omnino שְׁאוֹל non tantum *sepulchrum*, verum et ᾅδην, *orcum*, locum, ubi mortui, umbrarum instar, degunt, designare constat. Pluribus de eo nomine egerunt *Everard. Scheidius* in *Dissertat. ad Cantic. Hiskiae* p. 20. seqq., *C. F. Ammon*, V. S. V., in Commentat. *über das Todenreich der Hebräer*, quae exstat in *den Memorabilien* ab H. C. G. Paulo editis P. IV., *C. W. L. Ziegler*, in *Excursu primo* ad Proverbiorum librum a se vernacule versum et notis illustratum; et *Jo. Carol. Heinr. v. Zobel* Commentat. *über das Schattenreich der früheren Juden*, quae prima est Promtuarii pro interpretat. SS. LL. ab ipso instructi (*Magazin für bibl. Interpretation*, Lips. 1805. 8.), Vol. I. Partic. 1. (et unica). Pro אֶל־בְּנִי in codice Samaritano est על בני, ut verba hoc dicant: *propter filium meum* lugens descendam in orcum. Onkelos quoque et Saadias אֶל reddiderunt עַל et عَلَي, quibuscum consentit Jarchi, qui notat, אֶל haud raro pro עַל poni. Quod etsi verum sit (vid. e. c. 1 Reg. XIV, 5. et loca alia, quae attulit Noldius sub h. v. No. 18.); hoc tamen loco non est opus propriam et frequentiorem significationem illius Particulae rejicere. Nihil est, quod obvertunt, non potuisse Jacobum optare, *ad filium* descendere, aut expetere cum ipso commune sepulchrum, quum a feris eum devoratum crederet. Nam quum שְׁאוֹל

orcum, statum mortuorum significet, intelligitur, phrasin *descendere ad aliquem in orcum* nil aliud velle, nisi hoc: mortuis adsociari, et idem valere, quod phrasis *congregatus est* אֶל־עַמָּיו *ad populos suos*, supra XXV, 8. 17. Recte LXX. Καταβήσομαι πρὸς τὸν υἱόν μου πενθῶν εἰς ᾅδου.

36. מְדָנִים *Medianitae* hic appellantur, qui supra Vs. 28. Ismaelitae et Midianitae vocabantur, haud dubie a *Medano*, filio Abrahami ex Ketura, fratre Midianis, supra XXV, 2. Hinc orti populi ergo licet vicini esse potuerint, tamen diversi omnino fuerunt. Sed hic simul convenisse et societatem iniisse videntur in negotiatione. Intempestivo librariorum emendandi studio tribuendum, quod in Samaritano codice et hic המדינים legitur, ad quem accedunt LXX., Vulgatus, Onkelos et Jonathan, atque Saadias. מָכְרוּ אֹתוֹ אֶל־מִצְרָיִם *Vendiderunt eum ad Aegyptum*, scil. delatum. Vulgatus reddidit: *in Aegypto*, uti אֶל pro ב et alias passim legitur, veluti supra VI, 6. Thren. II, 12. Pro פּוֹטִיפַר LXX. habent Πετεφρῆς. Legisse eos פטיפר sine Vau, quod ipsum Kennicottus in quatuor codicibus invenit, suspicatur J. D. Michaelis in *Biblioth. Orient.* P. XIII. p. 143. et praeferendum ducit ideo, quod in lingua veteri Aegyptiaca est ΠΙ, sive in dialecto Sahidica, ΠΕ, articulus (ὁ *der*) qui vocabulis generis masculini praeponitur. Vid. *Scholtzii Grammat. Aegypt.* §. 18. Nomen פּוֹטִיפַר in veteri sermone Aegyptio, cujus reliquiae in libris Copticis servatae, significare *patrem regis*, a ΠΙΩΤ *pater*, et ΦΟΥΡΟ, vel, dialecto Sahidica, ΦαΡΡΟ, *rex*, observavit *A. Pfeiffer* in *Dubiis vexatt.* ad h. l., in *Opp. philologg.* T. I. p. 90., quam interpretationem probavit vir Coptice eruditissimus Mathurin Veyssiere La-Crozius, teste Jablonskio in *Opuscull.* P. I. p. 206. Sed quum Potiphar, uti mox videbimus, praefectus militibus fuisset, titulus *patris regis* vero iis tribui soleret, qui summum in administranda republica gradum post regem tenerent (vid. infra ad XLV, 8.), est, cur dubitare possis, num illa nominis פּוֹטִיפַר explicatio sit genuina; neque tamen aliam illi substituere audeo.

Qualem dignitatem tenuerit Potiphar, indicant verba, quae sequuntur. Et primum quidem Potiphar dicitur סְרִיס פַּרְעֹה *eunuchus Pharaonis*. At infra XXXIX, 7. seqq. uxorem habuisse legitur, quae Josephum sollicitavit. Sed scito, סָרִיסִים quidem initio *spadones* dictos fuisse, qui custodiendis gynaeceis regiis adhiberentur, tandem autem factum esse, quia et alii non castrati adhibebantur palatiis et rebus domesticis regum praefecti, ut illo nomine in universum quicunque ministri et cubicularii regii sint designati. *Eucherius* in *Libros Regum*: „Fuit consuetudo apud antiquos, *eunuchos* vocare cubicularios et custodes palatii, qui uxores habebant, et abscissi corpore non fuerunt." Et temporibus multo serioribus apud Byzantinos imperatores in eunuchorum manibus omnia fere regni negotia posita erant, unde Patricii, sive patres principum audiebant; vid. Suidam s. v. *Πατρίκιος*, et *Sozomenum Hist. eccles.* L. VIII. Cap. 7. Cf. *Jo. Conr. Dieterici Antiqq. biblicc.* p. 391., et *Paulsen von der Regier. der Morgenl.* p. 440. Recte Onkelos vertit רַבָּא דְפַרְעֹה *principi* sive *magnati Pharaonis:* et Saadias خَادِم فِرْعَون *ministro Pharaonis.* שַׂר הַטַּבָּחִים *Ludovic. de Dieu Crit. S.* p. 20. interpretatur *principem gladiatorum*, i. e. gladiis instructorum, ex Aethiopico מטבחת, quod *gladium* denotare dicit, quum tamen potius *cultrum*, et *pugionem*, *sicam* cultro similem designet, proprie, instrumentum ad *mactandum*, est enim a טָבַח, verbo et Hebraeis usitato, cum זָבַח *mactare* cognato (vid. *Ludolfi Lexic. Aethiop.* p. 558.). Quum vero טָבַח Hebraeis speciatim usurpetur de pecudibus, quae ut coquantur vel assentur, mactantur, unde Arabibus طَبَخَ tantum *coquendi assandique* significatu in usu est, et hinc طَبَّاخ *coquus;* fuerunt, qui שַׂר הַטַּבָּחִים *principem*, praefectum *coquorum* interpretarentur. Quomodo et LXX. cepisse videri possint, quum ἀρχιμαγείρῳ verte-

rint, quam vocem Phavorinus ἔφορον τῆς βασιλικῆς τραπέζης *inspectorem mensae regiae* notare ait. Verum recte Hieronymus in *Quaestionibus in Genesin: In plerisque locis archimagiros, id est, coquorum principes, pro magistro exercitus scriptura commemorat; μαγειρεύειν quippe Graece interpretatur, occidere. Venditus igitur est Josephus principi exercitus et bellatorum.* Similiter Augustinus *Quaest. 127. in Genes.: Nolunt quidam praepositum coquorum interpretari, qui Graece ἀρχιμάγειρος dicitur, sed praepositum militiae, cui esset potestas occidendi. Nam sic appellatus est ille, quem Nabuchodonosor misit* [Jerem. LII, 15. 30.]; *penes quem potius invenitur primatus fuisse militiae.* Onkelos רַב קָטוֹלַיָּא *princeps interfectorum*, et Jonathan vertit רַב סַפּוֹקְלַטוֹרַיָּא *princeps spiculatorum*, ξυστοφόρων, quod ipsum nomen est custodum corporis regii (vid. Wetstenium ad Marc. VI, 27.), quibus etiam sontes tradebantur occidendi. Syrus: ܪܰܒ ܢܚ̈ܘܬܐ *princeps satellitum.* Arabs uterque: رَئِيسُ ٱلسَّيَّافِينَ *praefectus* ξυστοφόροις. Apud Persas hodienum ad *magistrum equitum regiorum* et puniendorum custodia et supplicium exsequendum pertinet, uti narrat Morier in itinerum suorum priorum Commentariis, P. I. p. 24. vers. Gall. Plura de hac re vid. in Conr. Dieterici *Antiqq. Biblicis* p. 121. seqq., Paulsen *von der Regier. der Morgenl.* p. 355., J. D. Michaelis *Jur. Mos.* P. V. p. 232. et in *Supplemm.* p. 997., C. F. Ammonii *Commentat. de Vers. Graec. Venet. usu*, P. III. illius versionis a se editae praemissa, p. 39. seqq., atque *das alte u. neue Morgenl.* P. III. No. 130. p. 181. et P. IV. No. 1079. p. 351.

2. *Connubia Judae et ejus filiorum. Horum mors, et Judae inscii cum nuru concubitus, ex quo gemellos parit.* Cap. XXXVIII.

Cap. XXXVIII, 1. וַיְהִי בָּעֵת הַהִוא *Factum autem*

est illo tempore. Vere Aben-Esra monet, quae initio hujus Capitis narrantur, non potuisse gesta esse circa illud tempus, quo Josephus fuit venditus, sed ante venditionem oportere accidisse. Nam ex quo venditus fuit Josephus, usque ad Jacobi cum familia sua descensum in Aegyptum, non plures quam viginti duo anni intercesserunt. Quod temporis intervallum brevius est, quam ut Juda tres filios gignere, eos in matrimonium dare, atque ex nuru sua iterum duos filios tollere potuisset, quorum alter, Pherezus, cum Aegyptum ingrederentur, etiam duos filios habebat, Cap. XLVI, 8. 12. Igitur initia hujus historiae referenda videntur ad primos annos reditus Jacobi ex Mesopotamia, de quo Cap. XXXIII, 17. Eodem modo phrasin בָּעֵת הַהִיא usurpari Aben-Esra observat Deut. X, 7. 8., ubi postquam Moses dixisset, Israelitas advenisse Gudgodam, pergit, eodem tempore tribum Levi separatam fuisse, quum tamen tribus Levi sit a Jova electa anno secundo ab egressu ex Aegypto, Gudgodam autem anno demum quadragesimo sint profecti. Clericus quoque notat, esse nec in N. T. infrequens, ut voces *tunc, in illis diebus, illo tempore*, ad tempus aliquo ante intervallo praeterlapsum, aut post futurum designandum adhibeantur. Hic vero finis demum eorum, quae hoc Capite narrantur, incestum Judae cum Thamare, nuru, contigerit circa tempus illud, quo venditus est Josephus. Sed commodiore loco non potuit Moses totam hanc historiam conjugii et prolis Judae exponere; quia quum incestum Judae cum Thamare narrare instituisset, quod post venditionem Josephi contigit, oportuit altius repeti, quomodo Thamar in hoc incestum inciderit, et qua occasione ad illud adacta fuerit. Quamobrem et totum Judae conjugium, et proles ex eo suscepta, fuit exponenda. וַיֵּרֶד יְהוּדָה מֵאֵת אֶחָיו *Descendit Juda a fratribus suis*, i. e. austrum versus profectus est, nam, ut recte monet Aben-Esra ad h. l., הבא מפאת צפון של עולם לדרומו הוא יורד ואנשי המחקר יבינו כי זה אמת *qui a boreali mundi plaga meridiem versus vadit, descendere dicitur; et phy-*

sices periti norunt, recte id fieri. Antiquissimis seculis, veluti consensu quodam gentium, regiones boreales australibus editiores esse habitas, ostendit *C. B. Michaelis* in *Dissertat. chorographica, notiones Superi et Inferi indeque Adscensus et Descensus in chorographiis sacris evolvente* (Hal. 1735. 4., repetit. in *Commentatt. theologg.* a Velthusenio et Kuinoelio editt. P. V. p. 397. seqq.) §. X. XI. p. 412. seqq. Hoc vero loco Juda *descendisse* duplici causa dici potuit; primo, quod Sichem, aut quisquis locorum fuerit, ubi ille cum fratribus antea degit, in borealiore, Adullam vero, quo nunc concessit, in australi Cananaeae tractu; deinde vero, quod Adullam בַּשְּׁפֵלָה *in regione declivi* et campestri sita fuit, vid. Jos. XV, 33. 35. — וַיֵּט עַד־אִישׁ עֲדֻלָּמִי *Et declinavit,* divertit, ut Hieronymus vertit (LXX. ἀφίκετο) *usque ad,* pro simplici *ad*, אֶל, *virum Adullamitam*; est nomen gentile ab urbe עֲדֻלָּם, quae postea tribui Judae attributa est, Jos. XV, 35.

2. כְּנַעֲנִי Hebraei hic non *Cananaeum*, sed תַּגָּרָא *mercatorem* esse volunt, quomodo jam vertit Onkelos, ne Juda cum muliere Cananaea sese junxisse dicatur. Verum etsi כְּנַעֲנִי passim, uti Prov. XXXI, 24. Job. XL, 25. (30.), pro *mercatore* sumatur, hoc tamen loco vix dubium est, esse nomen gentile, quomodo et ceteri interpretes ceperunt. שׁוּעַ non esse *filiae* nomen, ut putarunt LXX. et Syrus, sed *patris*, ostendit Suffixum masculinum in שְׁמוֹ, et vocatur infra Vs. 12. בַּת־שׁוּעַ *filia Schuae.* Cf. *C. B. Michaelis* Dissertat. *de nominibus propriis sexui suo restitutis* §. XIV., in *Sylloge Commentatt.* P. VII. p. 110. וַיָּבֹא אֵלֶיהָ *Venitque ad eam,* cum ea congressus est, uti supra XXIX, 21. 23.

3. וַיִּקְרָא *Vocavitque*, scil. pater, Juda, uti Verbum masculini generis postulat. Ajunt quidam Hebraeorum, moris fuisse, ut patres primogenitis nomina imponerent, post vero natis matres, ut hic vides matrem duobus posterioribus nomina indere. Sed promiscue, et patrem et

matrem, apud Hebraeos liberis nomina imposuisse, liquet e superioribus, Capp. XXIX. XXX. XXXV., ubi de nominibus filiorum Jacobi. Quod in textu Samaritano et in nonnullis codicibus Hebraeis a de Rossio commemoratis hic ותקרא, femininum, legitur, non dubium est deberi librariorum quorundam intempestivo emendandi studio, nec erat, cur de Rossi ad h. l. scriberet, ותקרא postulare contextus analogiam, nec aliter ad h. l. legendum conjecisse Masorethas, id quod inde colligit, quod hunc locum *τοῖς* סְבִירִין *conjecturis* accensent. Sed male. Nam Masorethae ea voce utuntur ad eas dictiones, quae vel ratione sensus, vel ratione structurae, aut ex collatione aliorum locorum, *putari* possint, debere sic vel sic legi; apposità autem istà notà monuerunt, nihil mutandum esse, quum quod in textu exstat, sit genuinum. Vid. *Buxtorfii Tiberias* L. I. Cap. 13. §. V. et Lib. II. sub voc. סְבִירִין. Unde celeberrimus inter Hebraeos criticus, Norzius, in nota ad h. l. a de Rossio ipso adducta scribit, esse codices, qui hic ותקרא exhibeant, juxta verba feminina, quae sequuntur, sed in codicibus correctis Hispanicis legi ויקרא, idemque probare R. Mose Ben Nachman, et exprimere Onkelosum.

5. In verbis וְהָיָה בִכְזִיב בְּלִדְתָּהּ אֹתוֹ explicandis veteres interpretes discrepant ob nomen כְּזִיב, quod alii pro nomine proprio loci, alii pro nomine appellativo, habent, a כָּזַב *mentiri* deductum. Hoc quidem expressit Hieronymus in sua versione his verbis: *quo nato, parere ultra cessavit.* Sed in *Quaest.* in h. l. Hebraea ita reddit: *haec autem erat in Chazbi, quando peperit eum,* atque addit: „Verbum Hebraeum *Chazbi* hic pro loci vocabulo positum est, quod Aquila pro re transtulit, dicens: *Et vocavit nomen ejus Selom. Et factum est, ut mentiretur in partu postquam genuit Selom.* Postquam enim genuit Selom, stetit partus ejus. *Chazbi* ergo [ex Aquilae sententia] non nomen loci, sed *mendacium* dicitur.“ Quae quidem interpretatio a longo usque tempore inter Hebraeos est propagata, uti apparet inde, quod et

Jonathan eam exhibet hoc modo: אֲרוּם שְׁלִי יָתַהּ בַּעֲלַהּ וַהֲוַת בִּפְסָקַת כַּד יְלֵידַת יָתֵיהּ *eo quod oblitus esset maritus ejus, et erat in cessatione, postquam illum peperisset.* Hierosolymitanus quoque: וַהֲוַת דִּפְסָקָא *et fuit quando cessarit.* Nec aliter Syrus: ܘܦܣܩܬ ܗܘܬ ܟܕ ܝܠܕܬܗ *et cessavit* scil. parere, *postquam peperisset eum.* Quae quidem versio ferri possit, si in fonte cum verbo feminino הָיְתָה בִּכְזִיב legeretur. Quum vero in illo sit הָיָה, minime stare potest. Nec aliam ob causam Hebraei illam adsciverunt, nisi quod non caperent, cur hic solum loci, quo peperisset Judae uxor, mentio sit facta. Unde et Jarchi, etsi כְּזִיב hic loci nomen esse agnoscat, tamen existimat, eum inde illud nominis accepisse, quod falsus fuerit deinceps spe sua Juda, dum putaret se adhuc prolem ex ea suscepturum, quum hic ultimus fuerit ex ea, ואם לא כן מה בא להודיענו *nisi enim ita* exponatur, *ecquid nobis indicare voluit?* i. e. sine ratione nominis istius mentio hic fieret. Sed ratio videtur nulla alia fuisse, nisi quod quum ceteros filios uxor pareret, praesens adesset Juda, cum vero Selam pareret, absens esset, in loco כְּזִיב dicto. Eum vero non fuisse illum in borealibus Cananaeae finibus situm ad mare mediterraneum, Jos. XIX, 29. Jud. I, 31. memoratum, postea *Ecdippa* appellatum (אַכְזִיב more Aramaico), sed illum, qui in finibus tribus Judae situs esset, cujus fit mentio Jos. XV, 44. Mich. I, 14., illud suadet, quod Jacobus cum filiis tunc in australibus Cananaeae tractibus commorabatur. Hieronymus in *Locis Hebraicis* ex Eusebio haec habet: „*Chazbi*, ubi geminos Judae filios Thamar edidit. Ostenditur autem locus nunc desertus juxta Odollam, in finibus Eleutheropoleos.“ Poterat utrique illi loco nomen אַכְזִיב a deficientibus, qui olim manassent, fontibus inditum esse; de talibus enim verbum כָּזַב legitur Jerem. XV, 19. Jesaj. LVIII, 11.

7. Phrasi וַיְמִתֵהוּ יְהוָה *interemit eum Jova* significatur, Erem non matura morte periisse, sed florente adhuc

aetate, quocunque tandem mortis genere, exstinctum esse. Uti longaevitas praemium pietatis Hebraeis habebatur, ita mors immatura acerba poena a Deo immissa.

8. וְיַבֵּם אֹתָהּ *Et jure cognationis eam duc uxorem;* id enim significat verbum יַבֵּם, quasi *cognatare* dicas Latine, a יָבָם, quo nomine dicitur ab uxore frater mariti. וְהָקֵם זֶרַע לְאָחִיךָ *Et suscita semen fratri tuo*, prolem ei procrea, quia proles, quam ex uxore fratris defuncti frater suscipiebat, tribuebatur defuncto, non superstiti, ut sequitur. Hinc colligi est, diu ante Mosen in familia Jacobi morem illum obtinuisse, ut frater superstes, qui ipse nondum uxorem habuit, fratris sine prole defuncti viduam uxorem ducere deberet; primogenitus autem, ex leviro et fratria natus, prioris viri filius habebatur atque in jura ejus, ut in nomen succedebat. Ortus videtur hic mos ex prolis cupiditate, et alicujus, qui in demortui nomen succederet. Mitigabat vero Moses hujus juris rigorem et paene id enervabat Deut. XXV, 5. Vid. quae hac de re disputavit *J. D. Michaelis* in *Jure Mosaico*, P. II. p. 186. seqq. et in *Commentatione de Jure Leviratus*, *Commentationibus* ejus *per annos* 1763 — 1768. *Societat. Reg. Goetting.* oblatis inserta.

9. וְשִׁחֵת אַרְצָה *Corrupit ad terram*, scil. זַרְעוֹ *semen suum.* LXX. ἐξέχεεν ἐπὶ τὴν γῆν. Onkelos: וּמְחַבֵּל אוֹרְחֵיהּ עַל־אַרְעָא *et corrupit viam suam*, i. e. seminis effusionem, *super terram.* לְבִלְתִּי נְתָן־זֶרַע לְאָחִיו *Ne daret semen fratri suo*, ne ei prolem suscitaret; quod fuit maligni animi, quum primogenitus tantum de nomine fratris vocandus esset; aut avari, ut ipse, non filius, in fraternorum bonorum partem succederet.

11. שְׁבִי אַלְמָנָה בֵית־אָבִיךְ *Sede*, mane *vidua in domo patris tui.* Ante בֵּית omissum est ב praefixum, ut saepe alias, veluti 2 Reg. XVIII, 15. — עַד־יִגְדַּל שֵׁלָה בְנִי *Donec adoleverit filius meus Sela*, ut tum te illi dem, ut consuetudo fert. Is enim restabat ex filiis Judae. כִּי אָמַר *Nam dixit*, scil. apud se, sic enim secum repu-

tabat. פֶּן־יָמוּת גַּם־הוּא כְּאֶחָיו *Ne hic etiam, ut fratres, moriatur.* Nonnulli interpretes Selam vere minorem, neque satis matrimonio idoneum fuisse putant; timuisse igitur Judam, ne, si ei juveni adhuc jungeret Thamaram, sicut Erem et Onanem antehac juvenes nimium ei junxerit, idem eveniret ei, quod fratribus evenerat. Verum quum postea Vs. 26. Juda in se ipsum dicat sententiam, et Thamarem a culpa absolvat, quia ei filium suum non dederat, agnoscatque factam ei esse injuriam; colligi potest, eum tempus ultra aetatem necessariam produxisse, et Thamarem, diem ex die nectendo, vana spe lactare et deludere voluisse, quia eam suspectam habuit, quod occasionem immaturae morti Eris et Onanis dedisset. Recte Pellicanus: *Spondet quidem Selam Juda suum filium, sed proposuit non dare, arbitratus eam male ominatam feminam.* וַתֵּלֶךְ תָּמָר וַתֵּשֶׁב בֵּית אָבִיהָ *Et ivit Thamar et sedit in domo patris sui*, continuavit ibi manere. Verbum הָלַךְ alii verbo praemissum haud raro continuationem actionis ejus, quae verbo posteriore significatur, indicare constat. Ita Jud. I, 16. וַיֵּלֶךְ וַיֵּשֶׁב אֶת־הָעָם *ivit et sedit*, i. e. continuo mansit *cum populo.* Vid. et III, 13. Jerem. V, 23. „Hoc quoque postea in usu frequenti apud Judaeos fuit, ut vidua, quae liberis careret, domum paternam rediret, nisi quis esset, qui eam jure adfinitatis duceret. Quamquam enim Levit. XXIII, 13. de sacerdotis filia sola hoc habetur, quum id ex occasione alius rei dicatur, ad omnes etiam viduas pertinuisse censendum est.“ *Cleric.*

12. וַיִּרְבּוּ הַיָּמִים וַתָּמָת בַּת־שׁוּעַ אֵשֶׁת־יְהוּדָה *Et multi fuerunt dies et mortua est filia Schua, uxor Judae*, i. e. post aliquod tempus subsequuta est mors filiae Schuae, rel. Hos *multos dies* hic non plures annos intelligas, sed tempus brevius, forsan non plus annuo. Ita Homerus *Odyss.* K. 469. postquam annuum spatium ita descripsisset: ἀλλ᾽ ὅτε δή ῥ᾽ ἐνιαυτὸς ἔην περὶ δ᾽ ἔτραπον ὧραι μηνῶν φθινόντων, *cum annus fuisset, et circumactae essent tempestates, mensibus exactis*, addit: περὶ δ᾽ ἤματα μακρὰ τελέσθη, *et longi*

dies praeteriissent, quod de multis annis dici etiam posset. Mors uxoris Judae non sine causa memoratur. Vir enim, qui uxorem jam haberet, non coactus, fuit leviratus jure viduam fratris ducere. Expectabat igitur Thamar mortem Judae uxoris. Qua mortua viduum sollicitabat fraude ad conjugium cum ipsa ineundum. וַיִּנָּחֶם יְהוּדָה *Et consolatus est se Juda*, i. e. soluto luctu. וַיַּעַל עַל־ גֹּזְזֵי צֹאנוֹ הוּא וְחִירָה רֵעֵהוּ *Et ascendit ad tonsores gregis sui, ipse et Hhira, amicus ejus*, ad quem diverterat, Vs. 1. LXX. verterunt ὁ ποιμὴν αὐτοῦ· legerunt רֹעֵהוּ; sequutus eos Vulgatus *opilio gregis* vertit. Sed recte Onkelos, Syrus et Arabs *amicum ejus* vertunt (רַחֲמֵיהּ, صَاحِبُهُ). Nam ex Capitis hujus initio liquet, Adullamitam hunc non servum sed hospitem Judae fuisse. Itaque verisimile est, Hhiram a Juda invitatum fuisse ad tonsuram ovium, tum enim convivari amici et consanguinei solebant. Ita Absolomus, quum greges tonderet, fratres vocavit, 2 Sam. XIII, 23. Perrexerunt igitur תִּמְנָתָה *Thimnatam*. *Thimna* urbs fuit tribus Judae, Jos. XV, 57., nec procul a mari, quum Philistaeorum esset, uti colligitur ex Jud. XIV, 1. *Hieronymus* in *Locis Hebraicis*: *Thamna, ubi oves suas totondit Judas: ostenditur hodieque praegrandis vicus in finibus Diospoleos euntibus Aeoliam in tribu Dan sive Judae.* Et *Thamniticam Judaeae toparchiam* memorat *Plinius Hist. Nat.* L. V. Cap. 14. Θαμνᾶ τοπαρχίας mentionem facit *Josephus de bello Jud.* L. II. Cap. 20. §. 4.

14. וַתָּסַר בִּגְדֵי אַלְמְנוּתָהּ מֵעָלֶיהָ *Removitque vestes viduitatis a se*, vestes, quas viduae gerere solebant, et ex quibus dignosci poterat, deposuit, ne eam esse suspicaretur Juda. Addit, Thamarem peplo velatam consedisse בְּפֶתַח עֵינַיִם, quae phrasis quatuor modis exponitur. 1) LXX. עֵינַיִם pro nomine proprio oppidi ceperunt, et verba πρὸς ταῖς πύλαις Αἰνὰν reddiderunt. Quod probat Clericus, qui *portam* oppiduli alicujus, cui nomen עֵינַיִם forsan propter geminos fontes, qui prope illud essent, inditum

fuerit, conjicitque esse eandem urbem, quae Jos. XV, 34. עֵינָם vocatur, et tribus Judae, uti Adullam et Thimna, hac in narratione memorata loca, fuit. Hieronymus in *Locis Hebrr.: Enaim, in tribu Juda, hodieque villa est Bethenim* [בֵּית עֵינַיִם] *circa terebinthum*, de qua supra XXXV, 4. Eadem est Gesenii sententia, qui עֵינָם veteri Dualis forma ָם expressum putat, vid. *das ausführl. Lehrgeb.* p. 536. Sed quod infra Vs. 21. בָעֵינַיִם עַל־הַדָּרֶךְ legitur pro eo, quod hic disertius dicitur בְּפֶתַח עֵינַיִם אֲשֶׁר עַל־דֶּרֶךְ, minus commode de oppido dici, sed potius locum aliquem alium in campo ad viam illa phrasi indicari, nemo non sentiet. 2) Alii פֶּתַח עֵינַיִם vertunt *apertionem oculorum*, qua locum publicum et patentem oculis omnium intelligunt. Ita Salomon Ben Melech in Michlol Jophi exponit בגלוי ובפרהסיא *aperte et publice ubi frequens est ultro citroque euntium transitus.* Vel *apertionem oculorum* intelligunt locum editiorem, ubi in omnem partem prospectus patet. Huc referendus Saadias, qui فِي مَنْظَرَة *in loco e quo facilis et patens circumspectus*, sive: *in specula.* Tali tamen loco non satis convenit, quod infra Vs. 21. simpliciter עֵינַיִם dicitur. 3) Plures ex Hebraeis interpretes פֶּתַח עֵינַיִם *compitum, bivium*, volunt significare. Ita Jonathan: בְּפָרָשַׁת אָרְחִין דְּכָל עַיְנִין מִסְתַּכְּלִין תַּמָּן *in divisione viarum, ad quam omnes oculi respiciunt*, diligenter animadvertunt. Eodem plane modo, ab Hebraico suo magistro edoctus, Hieronymus in *Quaestt. Hebrr.*: „Sermo Hebraicus *Enaim* transfertur in *oculos.* Non est igitur nomen loci, sed est sensus; *sedit in bivio*, sive *in compito*, ubi diligenter debet viator adspicere, quod iter gradiendi capiat.“ Sic et Arabs Erpenii: فِي مَفْصِلِ ٱلطَّرِيقِ, et Syrus: ܒܦܘܠܓܗ ܕܐܘܪܚܐ, quod utrumque *in divisione viae*, bivio, denotat. Verum ut taceamus, rationem illius interpretationis esse nimis quaesitam, *compitum s. bivium* Hebraeis potius dici solet

אֵם הַדֶּרֶךְ רֹאשׁ שְׁנֵי הַדְּרָכִים *mater viae, initium duarum viarum*, vid. Ezech. XXI, 24. et ad eum loc. not. Sed multo aptior prodibit sensus, si 4) עֵינַיִם *fontium* significatione capiamus, ut פֶּתַח עֵינַיִם sit *apertio duorum fontium*, i. e. locus ubi gemini prorumpebant fontes, vel, uti habet Aben-Esra, כי שני מעיינות מים היו בדרך ויש להם כדמות פתח ומשם יעבור יהודה בישובו אל מקומו *quod in via ista duo aquarum fontes essent, qui portarum similitudinem haberent, quos in reditu in suum locum praeteriri Juda debuit.* Vel פֶּתַח עֵינַיִם esse potest *aditus ad duos fontes.* Quicquid horum eligas, multo aptius idem, qui hic plenius dicitur locus *porta fontium duorum*, infra Vs. 21. contracte עֵינַיִם *gemini fontes* vocatur; quam si עֵינַיִם *oculorum* significatu hic capias. Onkelos quid voluerit, incertum, quum quod posuit בְּפָרָשׁוּת עַיְנִין esse possit vel: *divisio fontium*, vel: *divisio oculorum* eo sensu, quem Jonathan expressit; vid. supra No. 3.

15. וַיִּרְאֶהָ יְהוּדָה וַיַּחְשְׁבֶהָ לְזוֹנָה כִּי כִסְּתָה פָּנֶיהָ *Cum autem conspexisset eam Juda, eam habuit pro meretrice, quia texerat faciem suam*, quod moris fuisse videtur meretricibus. *Mulier autem erat operto capite*, uti ait *Petronius Satyr*, Cap. 16., de scortatrice quadam proseda loquens. Plura vid. in *Dougtaei Analectt. SS.* Exc. XXIV. p. 42.

17. אִם־תִּתֵּן עֵרָבוֹן עַד שָׁלְחֶךָ *Si dederis pignus*, s. *arrhabonem* (quae vox videtur ex hac lingua in Graecam et Latinam translata) *donec miseris*, subaudi: mei copiam tibi faciam. Nam incommodius alii interrogative exponunt *num dabis?* Recte Hieronymus: *Patiar quod vis; si dederis mihi arrhabonem, donec mittas, quod polliceris.*

18. חֹתָמְךָ *Sigillum tuum*, annulum signatorium, δακτυλίον, uti recte LXX., sine quo fere veteres non erant. Observavit *Herodotus* L. I. c. 195., sic instructos processisse Babylonios: σφραγῖδα δ' ἕκαστος ἔχει, καὶ

σκῆπτρον, *singuli sigillum et baculum habent.* וּפְתִילְךָ *Et funiculum tuum,* de quo annulus signatorius pendebat, ut etiamnum apud illarum regionum incolas moris est. Vid. *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 132. p. 183.

21. קְדֵשָׁה proprie significat eam, quae in numinis cujusdam honorem corpore suo quaestum faciebat. Ex pecunia, quam tales acquisiverant, numini sacra fiebant. Talis erat Deae Mylittae apud Babylonios cultus, cujus mentionem fecit *Herodotus* Lib. I. c. 199. et Astartae apud Cananaeos, de qua *Seldenus de Diis Syris,* Synt. II. cap. 2. conf. Hos. IV, 14. Deinde vero קְדֵשָׁה dicebatur et *meretrix publica,* ea quae publice corpore suo quaestum faciebat.

23. תִּקַּח־לָהּ *Accipiat sibi,* habeat pignora; nam facile est colligere, velle eam sibi retinere et longe praeferre hoedo, quem promisi. פֶּן נִהְיֶה לָבוּז *Ne simus contemtui,* s. ludibrio. Si diligentius eam quaesieris, poterit res tota vulgo innotescere, et ita traducar, quod ob rem tam levem tot pignora ei reliquerim. Ego sane fidem meam liberavi. Ita recte Jarchi haec exponit.

24. כְּמִשְׁלֹשׁ חֳדָשִׁים *Juxta ternarium mensium,* cum tertius jam ageretur mensis, aut circiter, a scortatione admissa. כ hic est conjecturale, ut saepe alias. הוֹצִיאוּהָ וְתִשָּׂרֵף *Educite eam, et* s. *ut comburatur.* Videtur id tum moris fuisse, ut adulterae comburerentur; neque enim eam nunc primum poenam in nurum statuerit Juda. Non vivam comburendam fuisse Thamarem, sed postquam lapidata fuerit, *J. D. Michaelis* in *dem Mos. Rechte* §. 235. colligit inde, quod Achan, quum igni ipse cum suis adjudicatus esset Jos. VII, 15., flammis ante datus non est, quam lapidibus periisset Vs. 25. (vid. et Dan. VII, 11.). Ceterum rea adulterii habebatur Thamar, quod destinata esset, ex leviratus jure, Selae ut marito. Sic quoque uxorem Simsonis, quae alteri nupserat, combusserunt Philistaei, Jud. XV, 6. E lege Mosaica puella de-

sponsata; quae ab alio sibi virginitatem rapi patiebatur, lapidibus obruebatur, Deut. XII, 21. Quod vero Juda Thamarem educi et comburi jubet, capiendum volunt quidam ita, jussisse eam ad magistratus produci, ut mox puniatur juxta jura illius temporis et regionis, quum res esset aperta. Sed vix est dubium, fuisse ante constitutam Hebraeorum rempublicam judicia in liberos penes patres familias, ut olim apud Romanos; vid. *Livium Hist.* L. II. Cap. 41. Praeterea Scenitae, seu Nomades, quales Jacobus et filii, non parebant Phoenicibus, sed liberi prorsus suique juris illos tractus peragrabant, ut igitur Juda, familiae suae princeps, et summus ejusdem magistratus, ultimum supplicium in Thamarem nurum ipse decernere potuerit. Vid. *J. D. Michaelis* Commentat. *de Nomadibus Palaestinae* §. III. in *Syntagm. Commentatt.* P. I. p. 213. Videtur autem Judas avide adripuisse occasionem perdendae honeste Thamarae, morte duorum filiorum ei collocatorum immerito invisae.

25. לְאִישׁ אֲשֶׁר־אֵלֶּה לּוֹ אָנֹכִי הָרָה *Viro*, i. e. ex viro, *cujus haec sunt ego sum gravida*, ut supra Vs. 18. וַתַּהַר לוֹ *gravida facta est ex eo*, et Vs. 24. הָרָה לִזְנוּנִים *gravida est e scortatione.* אֵלֶּה *Haec*, videlicet pignora supra Vs. 18. memorata, quae in hunc usum diligenter custodiebat, ut suo tempore proferret ad innocentiam suam comprobandam. Observat Jarchi, noluisse Thamarem Judam nominare, ut ejus honori et existimationi parceret. „Ita enim reputabat: si confessurus est, confiteatur, alioquin eum nominare non statuerat, sed mortem potius subire, nisi ille confiteretur, parata erat."

26. צָדְקָה מִמֶּנִּי *Justior est me*, justiorem causam habet. כִּי־עַל־כֵּן לֹא־נְתַתִּיהָ *Propterea quod non dedi eam.* כִּי־עַל־כֵּן Hebraei exponunt כִּי־עַל־אֲשֶׁר, ut supra XVIII, 5. XXXIII, 10. — וְלֹא־יָסַף עוֹד לְדַעְתָּהּ *Nec adjecit ultra cognoscere eam.* Videtur jam illis temporibus illicitum patri fuisse, viduam filii ducere, usu quodam, qui etiam apud alias gentes obtinuit. Quemadmodum enim, etiam

ante Legem, patrem cum filia concumbere nefas habebatur; interdicta quoque socero fuit nurus, quae matrimonio cum ejus filio instar ejus filia evasit. Neque ulli alii Judae liberi Aegyptum ingressi referuntur, praeter Selam, et duos Thamaris filios, infra XLVI, 12. et Num. XXVI, 19. 22.

28. וַיְהִי בְלִדְתָּהּ *Et factum est dum pareret;* est ἐπανάληψις, praecesserat enim Vs. 27. וַיְהִי בְּעֵת לִדְתָּהּ *factum est tempore partus ejus*, sed inserta sunt per parenthesin verba וְהִנֵּה תְאוֹמִים בְּבִטְנָהּ *ecce* autem, *erant gemelli in ejus utero.* וַיִּתֶּן יָד *Deditque*, exseruit *manum*, unus videlicet gemellorum, quem non nominat, quia, quum nondum natus esset, nondum illis nomina erant imposita. וַתִּקַּח הַמְיַלֶּדֶת *Cepitque obstetrix* scil. יָד *manum*. Alii utrumque verbum, et וַתִּקַּח, et quod sequitur וַתִּקְשֹׁר ad שָׁנִי pertinere volunt, hoc modo: וַתִּקַּח הַמְיַלֶּדֶת שָׁנִי וַתִּקְשֹׁרֵהוּ עַל־יָדוֹ *cepitque obstetrix coccineum* filum *idque alligavit manui ejus.* שָׁנִי *Coccus* hic pro חוּט הַשָּׁנִי *filo cocci*, coccineo, ponitur. De שָׁנִי vid. quae disputavimus ad *Bocharti Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. 27. T. III. p. 527. seqq. edit. Lips. Videtur obstetrix carpum pueri coccineo filo, molli et laxo nodo, adstrinxisse, ut si postea casu aliquo fieret, ut posterior exiret, agnosceretur eum esse primogenitum, quod prius manum protulisset; videtur enim, antequam prodirent, cognovisse obstetrix, esse gemellos in utero.

29. וַיְהִי כְּמֵשִׁיב יָדוֹ וְהִנֵּה יָצָא אָחִיו *Et factum est cum retraheret* prior ille *manum suam, et ecce exiit*, interim prodiit *frater ejus.* Praefixum כְּ ante מֵשִׁיב tempus denotat, licet hoc fere fiat, quando Infinitivo praeponitur, non quando Participio. Et hic quidem כְּמֵשִׁיב idem erit, quod כִּהְיוֹת מֵשִׁיב. Similes phrases vid. in *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 893. Verba obstetricis quae sequuntur, מַה־פָּרַצְתָּ עָלֶיךָ פָּרֶץ, sunt qui ita reddant: *quid cupisti super te rupturam?* maceriem, sepem, quae inter te et fratrem interjecta erat, rupisti, fracta se-

cundina, qua inclusus eras, ut fratrem praeverteres? Quod jam laeta dixerit, feliciter videns succedere partum. Verum accentus distinctivus Tiphcha, voci מַה־פָּרַצְתָּ appositus, monet, divisim legenda esse haec verba, hoc sensu: *quid rupisti? super te est haec ruptura*, tibi est imputanda; quasi dicat obstetrix: ejus eruptionis causa ego non habear, sed tu, qui sponte egredieris. Quod dixit forsan, vere observante Clerico, quia adultus Zerachus negotium ei facessere potuisset, quod ejus culpà, quem primogenitum oportebat esse, is posterior natus esset. Quanti momenti essent apud illius aevi homines πρωτοτόκια, exemplo Jacobi et Esavi aliorumque satis notum est; cf. not. supra ad XXV, 31. Praepositio עַל cum adfixo pronomine culpam incumbentem designat, vid. supra ad XVI, 5. Sensum dicti veteres minus sunt assequuti. LXX. Τί διεκόπη διὰ σὲ φραγμός. Quod sequutus Hieronymus: *quare divisa est propter te maceria?* Et in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l. haec adnotat: „Pro *maceria divisionem* Aquila et Symmachus transtulerunt, quod Hebraice dicitur *Phares.* Ab eo igitur, quod diviserit membranulam secundinarum, *divisionis* nomen accepit." Sed Hebraei verbum פָּרַץ h. l. fere *augescendi*, et hinc *robustum fieri* significatu capiunt, quem obtinet supra XXX, 30., ad quem loc. vid. not. Ita Onkelos: מַה־תְּקוֹף סַגִּי עֲלָךְ לְמִתְקַף *quantum robur tibi fuit ad praevalescendum*, i. e. ut praevalueris et primum eruperis. Jonathan: מָה תְּקוֹף סַגִּי תַּקִּיפְתְּ וְעָלָךְ אִית לְמִתְקוֹף דְּאַנְתְּ עָתִיד לְמֶחְסַן מַלְכְוָתָא *Quam fortitudine multa praevaluisti! et tuum est, ut praevaleas, quia futurum est, ut regna possideas.* Arabs Erpenii: ايش قويت عليك قوّة *quomodo praevaluisti! super te s. tuum est robur.* Saadias: مَا أَحْسَنَ نُمُوَّكَ بِأَيَّامِي *quam pulchrum* est *incrementum tuum in diebus meis.* Sed pro بايامي vix dubium legendum esse يَا نَامِي *o crescens!* Jarchi:

חזקת עליך חוזק *roborasti super te robur.* Manifestum est, praesertim e Jonathanis paraphrasi, Hebraeos hanc interpretationem ideo elegisse, quod a Pherezo recta linea descendit Davides, e cujus prosapia oriundus erat Messias. Cf. 1 Chron. II, 5. 9. Ruth. IV, 17—22. Matth. I, 3—6. Luc. III, 31—33.

30. זָרַח nomen inde accepit, quod primus ortus esset, seu apparuisset exserta manu; Hebraicum verbum est *oriri*, et de sole potissimum exoriente usurpatur.

3. *Josephus apud herum Aegyptium fit procurator. Ab hera frustra tentatus et falso accusatus in carcerem conjicitur, ubi inspectoris gratiam sibi conciliat.* *Cap. XXXIX.*

Cap. XXXIX, 1. Repetit, quod supra sub finem Capitis XXXVII. dixerat, quia historiam Josephi inserta de Thamare narratione interruperat, ut commodius transeat ad exponenda ea, quae Josepho in Aegypto acciderint. Quare verba וְיוֹסֵף הוּרַד מִצְרָיְמָה ita sunt capienda: *deductus igitur erat*, uti supra XXXVII, 36. dictum est, *Josephus Aegyptum.* E Cananaea Aegyptum migrantes dicuntur *descendere*, non tantum quod e montana regione in depressiora ad mare sita vere descendunt, verum et propterea, quod a borea ad austrum proficiscuntur, vid. not. supra ad XXXVIII, 1., et quae ibi laudatur C. B. Michaelis Dissertat. §. XVIII. Emisse hic dicitur Potiphar Josephum מִיַּד הַיִּשְׁמְעֵאלִים *e manu Ismaelitarum*, qui in eadem societate fuerunt cum Midianitis, a quibus supra XXXVII, 36. Josephum Potiphar emisse narratur; quamvis Hebraei volunt, Midianitas primum emisse a fratribus, at postea Midianitas vendidisse Ismaelitis, qui demum Potiphari vendiderint. Sed cf. not. ad XXXVII, 28.

2. וַיְהִי יְהוָֹה אֶת־יוֹסֵף *Eratque Jova cum Josepho.* „Quia eos, quos amamus, adjuvamus, cum absentia non impedimur, nec possumus praesentes amicis laborantibus non ferre suppetias; ideo Hebraeis *esse cum aliquo*, et

Latinis *adesse alicui*, perinde saepe est, ac ei auxiliari." *Cleric.* Quomodo ea phrasis et supra XXI, 20. usurpata est. וַיְהִי אִישׁ מַצְלִיחַ *Fuitque vir prosperans*, scil. דַּרְכּוֹ *viam suam*, quae vox aliquando additur, ut supra XXIV, 40. 56., unde fit, ut Verbum, quamquam inflexione activum, neutro sensu intelligatur de eo, cui prospere omnia cedunt. וַיְהִי בְּבֵית אֲדֹנָיו הַמִּצְרִי *Fuitque in domo heri sui Aegyptii.* Quae verba Hebraei observant minime otiosa esse, quum ex iis, quae dicta sunt, appareat, ubinam Josephus fuisset; sed illis hoc indicari, non fuisse illum rusticis operis adhibitum, sed, quod honorificum magis erat et favorabile, domestica tractasse negotia. אֲדֹנָיו proprie *dominorum suorum*, sed unum significari herum, liquet cum ex re, tum etiam ex additis Adjectivis et Verbis singularibus, vid. Vs. 3. 8. 16. 19. 20. XL, 1. 7. XLII, 30. 33., et supra XXIV, 9. 10. Non est dubium, Pluralem honoris causa adhiberi; cf. *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 663.

3. וַיַּרְא אֲדֹנָיו כִּי יְהוָה אִתּוֹ *Et vidit dominus suus, Jovam ei adesse.* „Non est ita hoc intelligendum, quasi Aegyptius in ore aut animo ejusmodi verba haberet: *adest ei Jova;* sed suis verbis alienam cogitationem descripsit Moses. Eodem res redit, ac si dixisset, Potipharem animadvertisse, Numen, quodcunque tandem esset, et quocunque nomine appellaretur, quod colebat Josephus, ei adesse." *Cleric.* Cf. not. supra ad XXVI, 28. Hic vero semel observasse sufficiat, in tota hac, quae de Josepho agit pericopa, scriptorem, ubi ipse de Deo loquitur, nomine יְהוָה uti, ut, h. l., et Vs. 5. 21. 23. (bis), nomen אֱלֹהִים vero ponere, ubi aut Josephum (ut infra Vs. 9. XL, 8. XLI, 16. 25. 28. 32. XLIII, 23. al.), aut Josephi fratres (ut infra XLII, 28.), aut denique Pharaonem (ut infra XLI, 38. 39.), loquentes inducit. וְכֹל אֲשֶׁר־הוּא עֹשֶׂה יְהוָה מַצְלִיחַ בְּיָדוֹ *Et omne, quod ipse faceret, Jovam prosperare in manu ejus*, prosperum ei successum dare omnium, quae ageret. Hic מַצְלִיחַ active su-

mitur (aliter quam Vs. 2.), ut Ps. I, 3., quod voce *εὐοδεῖν* expressere LXX.

4. וַיִּמְצָא יוֹסֵף חֵן בְּעֵינָיו *Et invenit Josephus gratiam in oculis ejus*, *ἐναντίον τοῦ κυρίου αὐτοῦ*, ut LXX. perspicuitatis causa posuere. In Samaritano codice quoque בעיני ארניו legitur. וַיְשָׁרֶת אֹתוֹ *Et ministravit ei.* Significat, non ad alias operas viliores et serviles ab hero adhibitum fuisse Josephum, sed non sine magno favore adhibitum, ut ipse heri sui personae ministraret, quod magis honorificum fuit. וַיַּפְקִדֵהוּ עַל־בֵּיתוֹ *Praeposuitque eum domui suae*, quod cum aedificia, tum domesticos, seu servos, significat. Talis servus Romanis dicebatur *Atriensis*, qui rebus omnibus heri sui erat praefectus, et solis heri imperiis erat attentus. Vid. *Plauti Asinar.* Act. II. Sc. 4., ubi servulus se Atriensem simulans ostendit quanta ejus esset in familiam potestas. In verbis וְכָל־יֶשׁ־לוֹ omissum esse אֲשֶׁר ante יֶשׁ, ut alias saepissime, notat Jarchi; et insertum est in codice Samaritano.

6. וְלֹא־יָדַע אִתּוֹ מְאוּמָה כִּי אִם־הַלֶּחֶם אֲשֶׁר־הוּא אוֹכֵל *Nec scivit cum eo quidquam nisi panem, quo vescebatur.* Quae verba non uno modo exponunt. Aben-Esra putat, intelligi, omnia Josepho concredita fuisse, et per eum administrata domi, excepto pane et cibo heri, quem ne attingeret quidem, quia abhorrebant Aegyptii convesci cum Hebraeis, ut infra XLIII, 32. dicitur. Sed servum verisimile est, excepta religione, Aegyptiaco more vixisse, neque cibos ab eo porrectos aversatum; nam ad unam mensam Josephum cum hero sedisse non est credibile. Sunt, qui hoc ad Josephum referant, quod licet magna auctoritate esset in herili domo, nihil tamen secum (ita enim reciproce אִתּוֹ capiunt), vel cum hero scire, nisi panem, quem comedebat; nihil aliud ex omnibus tantis suis laboribus praemii referebat, quam quod apud illum victitaret; quasi ingratitudo heri ostendatur una ex parte, et ex altera Josephi fidelitas, qui nihil herilium rerum in suos usos converteret. Quod coactum est. Simplex sen-

sus est, ignorasse herum, quid rerum domi suae ageret Josephus, omnibus ei concreditis, ut pro arbitrio suo omnia administraret; nullius interim rei herum curam egisse, aut ab eo rei cujusquam rationem poposcisse, tantum de cibo fuisse sollicitum, ut suo tempore eum caperet. Cf. not. ad Vs. 8. וַיְהִי יוֹסֵף יְפֵה־תֹאַר וִיפֵה מַרְאֶה *Fuit autem Josephus pulcher forma et pulcher adspectu*, i. e. tam proportione et delineamentis totius corporis, quam facie. Est παρασκευή ad ea, quae sequuntur, de herae in Josephum amore, quo capta est ob ejus formam.

8. הֵן אֲדֹנִי לֹא־יָדַע אִתִּי מַה־בַּבָּיִת *En herus meus non novit mecum, quid sit in domo*, i. e. non curat, quid rerum domi agatur, mihi omnium cura relicta, rationem nullius rei a me postulans. Pro מַה־בַּבַּיִת in codice Samaritano est מאומה בביתו, consentientibus LXX. οὐδὲν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ.

9. אֵינֶנּוּ גָדוֹל בַּבַּיִת הַזֶּה מִמֶּנִּי *Non est ipse major in domo hac quam ego.* Non simpliciter dicit, non esse quenquam alium se majorem, tunc enim dixisset אֵין; sed affixum adjectum indicat, ne ipsum quidem herum se in domo sua esse majorem. וְלֹא־חָשַׂךְ מִמֶּנִּי מְאוּמָה כִּי אִם־אוֹתָךְ בַּאֲשֶׁר אַתְּ־אִשְׁתּוֹ *Nec prohibuit a me quicquam nisi te, in eo quod es ejus uxor*, q. d. ne te quidem mihi prohibuit in negotiis domesticis, ut ex me pendeant etiam ea quibus eges; sed in hoc te mihi prohibuit, quatenus es ipsius uxor, ne te attingam.

11. וַיְהִי כְּהַיּוֹם הַזֶּה *Factum est juxta diem hunc*, quod LXX. reddunt τοιαύτη τις ἡμέρα, *tali quadam die*, et quidam Hebraeorum: simili die post hebdomaden, mensem aut annum; nam quantum tempus interjectum fuerit ignoramus. Alii vertunt: *post hanc diem*, eam videlicet, qua primum sollicitarat Josephum; quod durius. Recte vertit Hieronymus: *accidit quadam die.* Videtur per ellipsin poni pro כְּהַיּוֹם כָּזֹה וְכָזֶה *die hac vel illa* (cf. Jud. XVIII, 4.), i. e. aliquando. Alias enim, veluti Deut. VI, 24. dictio כְּהַיּוֹם הַזֶּה praesens tempus significat.

14. וַתִּקְרָא לְאַנְשֵׁי בֵיתָהּ *Vocavit viros domus ejus*, i. e. domesticos. Pro לְאַנְשֵׁי in codice Samaritano Genovefensi Parisino legitur לנשי, omisso א, librarii haud dubie vitio, quod tamen, ut unice verum, operose commendavit *Jo. Mich. Lobstein* in *Observatt. critt. in Pentat. loca illustria* p. 20. seqq., et verbis illis hoc dici contendit, uxorem Potipharis convocasse gynaecei mulieres, concubinas. Sed refragatur huic sententiae non tantum codicum omnium et versionum veterum consensus, אַנְשֵׁי exhibentium, verum et illud, quod statim sequitur Pronomen masculinum plurale לָהֶם. „*Advocavit domesticos*, cum ut ne ab Josepho accusaretur, eum antevertit; tum etiam sui contemtum ea ratione ulcisci voluit. Eodem modo, quod alii dudum observarunt, Hippolytum a Phaedra accusatum narrant poetae. Vide *Senecae Hippolytum* Vs. 717. seqq.

Regeramus ipsae crimen, atque ultro impiam
Venerem arguamus. — — — —
Adeste Athenae, fida famulorum manus
Fer opem. — — — — —
— — — — — — — *En! praeceps abiit,*
Ensemque trepidâ liquit attonitus fugâ,
Pignus tenemus sceleris. — — —

Praeter Phaedram, septem alias mulieres, simile fraude usas, cum ad stuprum juvenes sollicitassent, observavit ex Veterum monumentis *M. Anton. Muretus Varr. Lectt.* L. I. Cap. 12.“ *Cleric.* Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 134. p. 185. seqq. רְאוּ הֵבִיא לָנוּ אִישׁ עִבְרִי *Videte, adduxit nobis virum Hebraeum.* Invidiose hoc dicit, quod Hebraei Aegyptiis essent abominationi. Nec exprimit quis adduxerit, quod de marito intelligi posset facile hoc dici. Hebraei putant, modestiae causa id factum. At nos invidiae potius causa, quasi et maritum incuset, ut hujus rei auctorem, qui tantam Hebraeo domi suae potestatem et auctoritatem dederit, qua nunc abutatur. Prae ira igitur mariti nomini parcit, aut nominare dedignatur. לְצַחֶק בָּנוּ *Ad illudendum nobis*, quod

hic turpitudinis et obscoenitatis notam habet, ut ostendit, quod additur, בָּא אֵלַי לִשְׁכַּב עִמִּי *venit ad me, ut cubaret mecum.* Praefixam voci צַחֶק praepositionem ל Clericus recte monet hic ἐκβατικῶς positam. „Neque enim credere, aut simulare se credere potuit haec mulier, virum eo animo, ut uxoris pudicitia tentaretur, servum emisse. Itaque hic sensus horum verborum est: servum adduxit, qui mihi et ipsi contumeliam facere adgressus est. Ita ל sumitur Exod. XVII, 3. Levit. XX, 3. Num. XXXII, 14. Sic saepe לְמַעַן *ut*, et in N. T, ἵνα intelligendum. Vid. Grotium ad Matth. I, 22.“ Utitur Potiphari uxor pronomine primae personae pluralis (בָּנוּ), quo se cum tota familia conjungit, commune faciens hoc factum, quod argumento sit, ne reliquae quidem familiae Josephum parsurum.

15. Pro אֶצְלִי in codice Samaritano legitur בידי *in manu mea*, ut Vs. 12. 13.

17. לְצַחֶק בִּי *Ut mihi illuderet.* Vs. 14. dixerat בָּנוּ *nobis*, quia haec contumelia in totam familiam recidebat; hic vero בִּי *mihi*, quod ipsa potissimum contumelia adficeretur. Haec autem verba, quanquam conjungi hic etiam possunt cum his vocibus: אֲשֶׁר הֵבֵאתָ לָּנוּ *quem adduxisti ad nos*, eo modo quo supra Vs. 14.; attamen commodius nectuntur cum iis, quae paulo ante praecedunt, בָּא אֵלַי *venit ad me.*

20. Nomen סֹהַר, quod non occurrit nisi in hac de Josepho pericopa, Versu hoc et duobus, qui proxime sequuntur, atque infra XL, 3. 5., ipsi Mosi interpretatione opus habere visum, quum hic adjiciat, fuisse מְקוֹם אֲשֶׁר־אֲסוּרֵי הַמֶּלֶךְ אֲסוּרִים *locum, quo vincti regis custodiebantur.* Quod Aben-Esram movit, ut conjiceret, סהר esse vocem Aegyptiacam, quum et alias vocabula exotica Hebraeis exponi soleant, vid. Esth. III, 7. VIII, 10. Atque *P. E. Jablonskius* quidem in *Explicat. Vocc. Aegyptiacc.* in *Opuscc.* P. I. p. 321. סהר ortum putat ex Aegyptiaco *Sonhareh*, composito e *Sonhi*, *vincire*, *ligare*, et

A r e h custodire, ut סֹהַר notet *custodiam vinctorum*. J. D. *M i c h a e l i s* in *Supplemm.* p. 1721. repudiata, quam prius proposuerat in *Biblioth. Orient. priori* T. IX. p. 203., sententia, nomen Hebraicum esse ad شهر referendum, quod tamen non simpliciter *punire*, sed, *per urbem ignominiae causa ducere sontem* significat, malit ad سهر *vigilare* referre, ut בֵּית הַסֹּהַר sit *domus excubiarum*, *praetorium*, in quam ipsam sententiam inciderat et Clericus. Sed Arabicum سهر, uti Syriacum ܣܗܪ *vigilandi* quidem, minime vero *custodiendi* notionem obtinet. Minime repudianda videtur Kimchii, aliorumque Hebraeorum sententia, בֵּית הַסֹּהַר esse *domum rotunditatis*, rotundam, i. e. vel fornicatam, testudinatam, vel *turrem*, collato אַגַּן הַסַּהַר *calix rotunditatis*, i. e. rotundus, Cant. VII, 3. Vel, uti censet Gesenius in Lexico, est non diversum a סֹחַר (nam gutturales literas ה et ח in dialectis haud raro inter se permutari constat), a סָחַר *circumivit, munivit*, unde Syris ܣܘܚܪܐ *munimentum, arx, palatium*. Tale aedificium et intellexisse videntur LXX., qui ὀχύρωμα reddiderunt. סחר exhibent quoque plura codicis Samaritani exempla, vid. Blayney ad h. l. et Lobstein in *Observatt.* supra ad Vs. laudatt. p. 30. seq. מְקוֹם אֲשֶׁר־אֲסוּרֵי הַמֶּלֶךְ אֲסוּרִים *Locum*, in *quo* sunt *regis vincti*, ubi captivi regis detinebantur, i. e. qui regem offenderunt, ex ejus maxime aulicis et domesticis, unde quia herus Josephi erat ex domesticis regis, eum huc conjecit. Pro אֲסוּרֵי ad marginem Masorethae jubent אֲסִירֵי legere, nullo tamen in codice Samaritico hic discrimine, in quo utrobique per ו scribitur. „Videntur Magistri, quibus familiaris lingua Chaldaica aut Syriaca fuit, voluisse distinguere Nomen a Participio, prius scribendo אָסִיר, posterius אָסוּר, et ita discipulos in Synagogis docuisse legendum, quamvis codices אֲסוּרִים tantum haberent.“ *C l e r i c.* Vere Aben-Esra observat, Potipharem non dedisse neci Josephum, uti exspectasse uxorem illius credi-

bile fuerit, sed maritum, quia rem ex mulieris sermone non peractam, et in dubio adhuc putaret, servi vitae pepercisse. In carcere tamen eum detinebat, ut uxoris honori et suo consuleret.

21. וַיִּתֵּן חִנּוֹ בְּעֵינֵי שַׂר בֵּית־הַסֹּהַר *Et dedit gratiam ejus in oculis principis domus carceris*, gratiosum eum reddidit et acceptum praefecto carceris. חִנּוֹ idem valet quod חֵן לוֹ, *gratiam ei*, qui est usitatior loquendi modus.

22. וְאֵת כָּל־אֲשֶׁר עֹשִׂים שָׁם הוּא הָיָה עֹשֶׂה *Et omne quod facientes erant illic*, quidquid fiebat (ex noto Hebraismo, quo activum plurale pro Passivo, seu Impersonali ponitur), *ipse faciebat*, per illum fiebat, omnia per eum administrabantur. Recte Onkelos; *quicquid illic fiebat*, בְּמֵימְרֵיהּ הֲוָה מִתְעֲבֵיד *jussu ejus fiebat.*

23. אֵין שַׂר בֵּית־הַסֹּהַר רֹאֶה אֶת־כָּל־מְאוּמָה בְּיָדוֹ *Non videbat praefectus carceris omne quidquam in manu ejus*, non curabat, quid ab illo aut per illum ageretur, nec disquirebat, aut rationem ab eo reposcebat eorum, quae ageret, ejus arbitrio et prudentiae omnia committens. Similes phrases vid. supra Vs. 6. 8. Sed Onkelos haec verba sic reddit: לֵית רַב בֵּית אֲסִירֵי חָזֵי יַת־כָּל סוּרְחָן בִּידֵיהּ *non vidit praefectus carceris iniqui quidquam in manu ejus.* Quod prolixius Jonathan ita declarat: *non erat necesse ut praefectus carceris custodiret Josephum, sicut reliquos captivos, quia nihil iniqui in manu ejus videbat.* Videntur illi interpretes מְאוּמָה pro מוּם *vitium, peccatum* cepisse (cf. Deut. XXXII, 5.). בַּאֲשֶׁר יְהוָה אִתּוֹ pro בַּעֲבוּר אֲשֶׁר *propterea quod Jova ei adesset.*

4. *Josephus duobus regis Aegypti aulicis in carcerem conjectis somnia interpretatur. Cap. XL.*

Cap. XL. 1. וַיְהִי אַחַר הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה חָטְאוּ *Factum est post res hasce peccarunt*, i. e. ut peccarint, quasi וְחָטְאוּ positum esset. Sed aliquando post וַיְהִי reperitur

Verbo sequenti praemissum ו, aliquando omissum, ut hic. מַשְׁקֵה מֶלֶךְ־מִצְרַיִם וְהָאֹפֶה *Pocillator regis Aegypti et pistor*, nimirum praefecti iis, qui pincernarum et pistorum ministeria in regia obibant, et mox Vs. 2. 7. 9. 16. שַׂר הַמַּשְׁקִים et שַׂר הָאֹפִים vocantur. „Hi vero Pharaonis purpurati cum servis non sunt miscendi; ejusmodi enim ministeria apud reges ab ingenuis solebant obiri. Apud Persas Cambysi Proxaspis, quem praecipuo honore colebat rex, filius fuit *οἰνοχόος· τιμὴ δὲ*, ait *Herodotus* L. III. C. 34., *αὕτη οὐ σμικρὴ*, *honor autem hic non parvus erat. Diodorus* L. I. p. 63. de veteribus Aegypti regibus, ex sacerdotum commentariis: *Περὶ μὲν γὰρ τὴν θεραπείαν αὐτῶν, οὐδεὶς ἦν οὔτ' ἀργυρώνητος, οὔτε οἰκογενὴς δοῦλος, ἀλλὰ τῶν ἐπιφανεστάτων ἱερέων υἱοὶ πάντες. Ad eorum ministeria nullus erat aut emtus, aut domi natus servus, sed omnes ministri erant illustrissimorum sacerdotum filii.*" *Cleric.* Quaerunt Hebraei, qua in re, quove peccati genere aulici illi regem offenderint, et varia comminiscuntur, nunc leviora, nunc graviora: leviora, ut quod in poculum musca incidisset forte, aut in pane calculus esset inventus, quod Jarchi profert. Graviora, uti quod habet Jonathan in paraphrasi: *consilium inierunt, ut injicerent venenum mortiferum in cibum et potum ejus, ut occiderent dominum suum, regem Aegypti.* Sane quum pistoribus praefectus capite plecteretur (vid. infra Vs. 22.), verisimile omnino est, grave aliquod illos in suo munere commisisse, et in suspicionem venisse criminis, quo vita regis peteretur.

3. וַיִּתֵּן אֹתָם בְּמִשְׁמַר בֵּית שַׂר הַטַּבָּחִים *Et dedit eos in custodia domus principis spiculatorum*, i. e. in carcere, quod in domo praefecti satellitum regiorum erat; nec enim aedificia publica detinendis captivis destinata hodienum ubique in Orientis regionibus reperiantur; sed habet Praefectus urbi aut Praetor suarum aedium partem captivis custodiendis aptatam; cf. Jerem. XXXVII, 15., et vid. *das alte und neue Morgenl.* P. IV. No. 1025. p. 288. בְּמִשְׁמַר in regimine positum est, licet notatum sit

Accentu distinguente (Rbia). Nam ubi quatuor voces arctius invicem cohaerentes ponuntur, duae posteriores Accentum conjunctivum appositum habent, eas autem quae proxime praecedit vox Accentu distinctivo minori, et omnium prima distinctivo eo majori notatur. Ceterum שַׂר הַטַּבָּחִים qui hic et Vs. proximo memoratur (de cujus munere vid. not. supra ad XXXVII, 36.), ipsum Josephi herum fuisse, non est cur dubitemus, uti quidam faciunt, quibus non est verisimile, reconciliatam fuisse Josepho Potipharis gratiam, quum ab eo in carcere detineretur. Sed observavimus supra ad XXXIX, 20., qua de causa Josephus neque dimissus fuerit, ut innocentem dimitti oportuit; neque plecteretur eo supplicio, quo servum moechum plecti debuisse credibile est.

4. וַיִּפְקֹד שַׂר הַטַּבָּחִים אֶת־יוֹסֵף אִתָּם *Praefecit autem princeps spiculatorum Josephum cum illis*, i. e. להיות אתם *ut esset cum iis*, ut exponit Jarchi; neque enim eum illis praefecit, ut iis superior esset, sed hoc ei munus demandavit, ut assiduus apud illos esset, וַיְשָׁרֶת אֹתָם *et ministraret iis*, ut subjungitur, omnia iis necessaria suppeditaret, et eorum curam ageret. וַיִּהְיוּ יָמִים בְּמִשְׁמָר *Erantque dies* scil. complures *in custodia*, carcere. יָמִים Hebraei fere *annum integrum* intelligunt, quomodo haec vox plurali numero haud raro, ut 1 Sam. I, 3. 7. II, 19. 2 Chron. XXI, 19. usurpatur. Hic tamen indefinite *tempus aliquod* esse videtur, ut Num. IX, 22. 1 Sam. XXIX, 3.

5. Verba וַיַּחַלְמוּ חֲלוֹם שְׁנֵיהֶם veteres aliqui inter Hebraeos, Jarchio referente, ita capiunt: *somniarunt somnium amborum*, quasi uterque somnium et suum et socii somniarit, et חֲלוֹם sit in statu constructo capiendum. Quod aperte falsum est; nam etsi similia sint somnia, tamen res per ea significata satis ostendit, non potuisse utrumque alterius somnium habere, et scriptor statim se declarat, אִישׁ חֲלֹמוֹ *vir*, i. e. quisque, *somnium suum*. Est ergo חֲלוֹם שְׁנֵיהֶם inversim intelligendum, i. e. וַיַּחַלְמוּ

שְׁנֵיהֶם חֲלוֹם *somniarunt ambo somnium* (ut חֲלוֹם sit status absolutus), quasi dicat: habuere ambo insomnia, quisque suum, eadem nocte, אִישׁ כְּפִתְרוֹן חֲלֹמוֹ *quisque juxta interpretationem sui somnii*, i. e. juxta id quod per illud indicabatur, ut postea utrique evenit, quod in somnio significabatur. פִּתְרוֹן *interpretatio* pro eo quod per somnium indicatur. פָּתַר cum derivatis, uti Chaldaicum פְּשַׁר, non nisi de somniorum interpretatione in V. T. reperitur, unde hoc tantum Capite, et proximo, ubi somniorum fit mentio, legitur; licet Rabbini, uti Arabes suum فسّر, generatim pro *exponere*, *interpretari* usurpent.

6. וַיַּרְא אֹתָם וְהִנָּם זֹעֲפִים *Et vidit eos, et ecce ipsi*, i. e. erant *irati*, tristes, commoti, turbati. LXX. *καὶ εἶδεν αὐτούς, καὶ ἦσαν τεταραγμένοι.* Aquila זֹעֲפִים *ἐμβρασσομένους*, *perculsos*, Symmachus *σκυθρωπούς*, *tristes vultu*, reddit.

7. רָעִים idem quod זֹעֲפִים. Vulgatus bene, *cur tristior solito est hodie facies vestra?*

8. הֲלוֹא לֵאלֹהִים פִּתְרֹנִים *Nonne Deo interpretationes?* i. e. nonne Dei est, somnia interpretari? LXX. Οὐχὶ διὰ τοῦ Θεοῦ ἡ διασάφησις αὐτῶν ἐστι; „Loqui videtur Josephus ex Aegyptiorum sententia, qui, teste Herodoto Lib. II. Cap. 83., existimarunt, ὅτι ἀνθρώπων μὲν οὐδενὶ προσκέεται ἡ τέχνη μαντική, τῶν δὲ Θεῶν μετεξετέροισι, *ad hominem nullum pertinere artem divinandi, sed ad certos Deos.* Videntur credidisse, hujusmodi interpretationes non tam arti alicui deberi, quam Deorum spiritui, qui sacerdotes, aut alios subibat. Ne Chaldaei quidem ab hac sententia abhorrebant. Vid. Dan. II, 17. 30. IV, 6.“ *Cleric.*

10. וְהִוא כְפֹרַחַת עָלְתָה נִצָּהּ הִבְשִׁילוּ אַשְׁכְּלֹתֶיהָ עֲנָבִים *Et ea quasi gemmans, adscendit flos ejus, et maturaverunt racemi uvae*, i. e. ea germinans eliciebat florem, unde uvarum racemi maturescebant. כְּפֹרַחַת *Quasi efflorescens*, quod Jarchi exponit: visa est mihi florere; at R. Mose Ben-Nachman vult ad veritatem rei magis, quam

ad similitudinem *Caph*, ut saepe, pertinere, vel ad tempus (ut supra XXXVIII, 29. in כְּמֵשִׁיב יָדוֹ, vid. ibi not.), hoc sensu: et ipsa cum efflorescceret, s. mox ut effloruisset, ascendit, et abiit, flos in gemmam. נֵץ, recte observante Jarchio, est majus quam פֶּרַח; id enim est *flos*, נֵץ autem id quod flore discusso subnascitur; in vite est *gemma*, quae proprie Hebraice בֹּסֶר aut סְמָדַר appellatur; cf. Jesaj. XVIII, 5. Num. XVII, 23. Pro כְּפֹרַחַת in Samaritano codice est כאפרחת, tertia feminina persona conjugationis Hiphil, formae Chaldaicae. הִבְשִׁילוּ אַשְׁכְּלֹתֶיהָ עֲנָבִים *Coxerant*, maturarant, ad maturitatem produxerant, *ejus botri uvas*, ut quum haec aliquo tempore interjecto sese subsequi soleant, simul tamen visa sint accidere, aut certe non longo post se invicem intervallo; quod non diu differendam rem significatam ostendebat.

11. וָאֶקַּח אֶת־הָעֲנָבִים וָאֶשְׂחַט אֹתָם אֶל־כּוֹס פַּרְעֹה *Et accepi uvas et expressi eas in calicem Pharaonis.* שָׂחַט hoc tantum loco obvium non differt a Chaldaico סְחַט *expressit.* Hinc Onkelos et Syrus: וַעֲצָרִית *et exprimebam.* LXX. ἐξέθλιψα. Videtur tum moris fuisse, ut uvae recentes in calicem regum exprimerentur. Aegyptii enim, ante Psammetichi regis aetatem neque ipsi biberunt vinum, neque Diis libarunt, a sacerdotibus docti, vino inesse pestiferi aliquid, neque a Deo, sed a genio malo (Typhone), Diis et hominibus inimico, illud inventum esse, Plutarcho teste, *de Iside et Osiride*, §. 6. Ὡς οὐ φίλιον θεοῖς, inquit, ἀλλ᾽ ὡς αἷμα τῶν πολεμησάντων ποτὲ τοῖς θεοῖς, ἐξ ὧν οἴονται πεσόντων καὶ τῇ γῇ συμμιγέντων ἀμπέλους γενέσθαι. *Tanquam Diis non gratum, sed sanguinem eorum, qui aliquando bellum Diis intulissent, ex quorum in bello cadentium cadaveribus, terrae permixtis putant vites ortas.* Divites tamen succum ex uvis recentibus expressum, uti hodie Mohammedani, bibere solebant. Vid. *Michaelis Jus Mosaic.* P. IV. §. 190. p. 85.

12. שְׁלֹשֶׁת הַשָּׂרִגִים שְׁלֹשֶׁת יָמִים הֵם *Tres palmites sunt tres dies.* „Pronomen הֵם, ut alias passim, verbi

substantivi vice fungitur. Perinde est, ac si diceret, tribus palmitibus tres dies significari. Sic et in aliis linguis, ubi de somnio agitur, loquimur. Ovidius, qui somniarat vaccam se videre, onirocritae responsum sic refert:

Vacca puella tua est, aptus color ille puellae.

Annibal in Italiam ingressurus fertur, auctore Livio, XXI, 22., in somnis *post se vidisse serpentem mira in magnitudine, cum ingenti arborum et virgultorum strage, ferri, ac post insequi cum fragore coeli nimbum; tum quae moles ea, quidve prodigii esset, quaerens audisse, vastitatem Italiae esse.* Ita quoque Cicero, qui idem ex Coelio narrat *de Divinat.* L. I. No. 49." *Cleric.*

13. בְּעוֹד שְׁלֹשֶׁת יָמִים יִשָּׂא פַרְעֹה אֶת־רֹאשֶׁךָ *In adhuc tribus diebus*, intra tres dies, antequam praetereat triduum, *tollet Pharao caput tuum*, quod non denotat, ut quidam volunt, attollet, evehet te, licet eo sensus recidat, sed, ex usu loquendi Hebraeorum, quo *ferre*, vel *tollere caput* est censum agere, lustrare ac numerum inire (vid. Exod. XXX, 12. Num. I, 49. et infra Vs. 20.), censebit et numerabit te inter servos ac ministros suos; tui rationem et mentionem faciet inter alios suos; subibit tui apud illum memoria inter recensendum alios. Ita recte Jarchi Onkelosum sequutus, qui יִדְכְּרִינָּךְ *recordabitur tui* vertit. LXX. μνησθήσεται τῆς ἀρχῆς σου. Hieronymus: *recordabitur Pharao ministerii tui.* Samaritanus interpres: יתלי פרעה ית סכומך *subducet Pharao rationem tuam*, de qua interpretatione vid. *G. B. Winer de versionis Pentat. Samarit. indole* p. 33. וַהֲשִׁיבְךָ עַל־כַּנֶּךָ *Et reducet te super basin tuam*, pristino tuo statui et dignitati te restituet. LXX. ἀποκαταστήσει σε ἐπὶ τὴν ἀρχιοινοχοΐαν σου. Onkelos: וִיתִיבִינָּךְ עַל־שִׁמּוּשָׁךְ *reducet te ad munus tuum.*

14. Hunc Versum plerique ita exponunt, ut omnia deprecatorie intelligantur, et Particula composita כִּי אִם capiatur pro *tantum*, *modo*, vel pro *sed*, cum Onkeloso, qui אֱלָהֵן posuit; ut hic sit sensus: *tantum*, s. *sed mei*

apud te recorderis, cum tibi bene fuerit, et me hinc educito, id quod facile poteris pristino gradu repositus. Sed potest כִּי אִם et propria sua potestate, *quia si* capi, ut ita cohaereat hic Versus cum praecedente: tibi sane ita certo praedico fore, ut tuo loco restituaris, ac tanta gratia et auctoritate polleas apud Pharaonem, ut, si vel exiguam, mei recordatus, mentionem nominis mei apud illum suggesseris, non dubitem te protinus effecturum, ut ex hoc carcere liberer. Ita ו ante הוֹצֵאתַנִי Latine abundabit, et tantum convertet, non copulabit. Alii partem alteram sententiae inchoari volunt voce וְהִזְכַּרְתַּנִי, hoc sensu: quodsi mei tantum memoria tibi subibit; suggeras, quaeso, mei memoriam Pharaoni, ut ita per te ex hoc carcere educar.

15. כִּי־גֻנֹּב גֻּנַּבְתִּי מֵאֶרֶץ הָעִבְרִים *Nam furto sublatus sum e terra Hebraeorum.* Recte monet R. Mose Ben-Nachman, *terram* sive *regionem Hebraeorum* non esse Cananaeam totam intelligendam, quippe quae post Josuae demum tempora, postquam occupata esset ab Hebraeis, eorum terra potuerit appellari; sed regionem tantum circa Hebronem et Mamren, seu tractum Palaestinae australem, in quo Abrahamus, Isaacus et Jacobus sunt commorati. „Quamquam enim erant peregrini, et Nomades, eorum tamen censeri potuerunt ii agri, in quibus tentoria ut plurimum fixa habebant; praesertim quum a multis annis ea loca, consentientibus veteribus colonis, tenerent. Ex toto autem hoc libro patet, eos ut plurimum vagatos circa Mamren, seu Chebronem, Sichemum usque, partim consensu vicinorum (vid. supra XIV, 13. XXIII, 16.), partim etiam vi, cf. XXVI, 25. seqq. XLVIII, 22. De sedibus Abrahami, Isaaci et Jacobi, quod modo diximus, ostendunt loca supra XIII, 18. XIV, 13. XVIII, 1. XXIII, 2. 17. 19. XXV, 9. XXXV, 27. XXXVII, 14." *Cleric.* Noluit autem Josephus se e terra Cananaea sublatum dicere, ne Cananaeum se videretur profiteri, a qua gente abhorrebat. וְגַם־פֹּה לֹא־עָשִׂיתִי מְאוּמָה כִּי־שָׂמוּ אֹתִי בַּבּוֹר *Neque quicquam hic feci, quod*

me posuerint in fossam, s. *puteum*, hunc. בּוֹר proprie videtur appellatus esse locus cisternae similis in carcere, in quem demittebantur captivi aut rei, quos male habere animus erat; in qualem locum bis demissus est Jeremias propheta, vid. ejus Cap. XXXVII, 16. XXXVIII, 6. Hic vero Josephus per synecdochen totum carcer videtur בּוֹר appellare, quum, uti e Cap. XXXIX, 20. apparet, non sit credibile, illum in tam dura custodia detentum fuisse.

16. וַיַּרְא שַׂר־הָאֹפִים כִּי טוֹב פָּתָר *Quum autem vidisset princeps pistorum, quod bene interpretatus esset*, i. e. feliciter et ex sententia pocillatoris, jucunda videlicet et laeta; id enim טוֹב hic denotat. Minus recte LXX. ὀρθῶς reddidere; neque enim scire poterat pistor, verane esset an falsa interpretatio, ante eventum. Nec satis commode Hieronymus *prudenter* vertit. De dictionis סַלֵּי חֹרִי significatu variae sunt interpretum sententiae ob ambiguitatem nominis חֹרִי. Kimchi in Lexico לבן *candoris* exponit, quod et alii plures sequuntur, ut י sit formativum nominis adjectivi. Sane חוּר est *candidum* Esth. I, 6. VIII, 15., uti Chaldaicum חִוָּר Dan. VII, 9. *Canistra candoris* autem alii ad formam et colorem canistrorum referunt, ut significentur ex viminibus aut virgis decorticatis contexta, alii vero ad opificia pistoria, quae illis canistris continebantur, ut albi e candidissima farina panes sint intelligendi. His adcensendi sunt e veteribus LXX. qui κανᾶ χονδριτῶν reddidere, i. e. *canistra, in quibus panes ex chondro*, i. e. *alica vel zea facti, erant* (ex Bielii explicatione in Thes. sub voc. χονδρίτης); Aquila, *τρεῖς κοφίνους γύρεως*, *tria canistra tritici purissimi plena*; Vulgatus, *canistra farinae*, Jonathan פִּתָּא נְקִיָּא *panis puri*; Saadias حُوَّارِي, *similae*; Arabs Erpenii بيوض *candidorum*; Syrus ܕܚܘ̈ܪܐ (*ciborum*) *candidorum*. Sed quum Versu proximo dicatur, in summo tantum canistro ex tribus, quae capiti imposita gestaret pistor, omne opus pistoris fuisse; tria canistra ab eduliis, quae continebant, non potuerunt סַלֵּי חֹרִי dici. Igitur eo-

rum praeferenda videtur interpretatio, qui חֹרִי ad canistrorum formam referunt, et hanc vocem a חוֹר *foramen*, סַלֵּי חֹרִי exponant *canistra perforata*, quae inter virgas, e quibus sunt plexa, sparsa interjacent; sive *canistra foraminosi operis* (*Körbe von durchbrochener Arbeit*). Qualia e veteribus forsan intellexit Symmachus, qui τρία κανᾶ βάϊνα, *tria canistra e ramis* vertit. Ita et Jarchi סַלֵּי חֹרִי significare ait *canistra virgultorum decorticatorum, quae plena sunt foraminibus, cujusmodi multa sunt apud nos; est enim mos eorum, qui vendunt buccellas placentarum siccarum, quas ארבליש (oubliès) vocant, ut eas in istiusmodi canistris reponant.* Onkelos סַלִּין דְּחִירוּ vertit, quod *Buxtorfius* in *Lex. Chald.* p. 836. *canistra libertatis*, i. e. mundissima interpretatur, in quibus liberis et illustribus hominibus, regibus et principibus ministratur. Quod quum sit coactum non est, quod moneamus. Magis verisimile, quod *J. D. Michaelis* conjicit in *Supplemm.* p. 698., חֵירוּ a חוֹר esse *foramina*. סַל non est dubium esse idem quod سَلّ *qualus, sporta, canistrum, ut in quo panis, fructus, similiaque imponuntur, et in capite portantur.* Additque et hoc loco pistor, fuisse tria illa canistra *super ipsius capite* (עַל־רֹאשִׁי). Quod quamvis per se quidem tanti non sit momenti, ideo tamen observatu est dignum, quod id plane convenit moribus Aegyptiorum, apud quos, Herodoto referente, Lib. II. Cap. 35. τὰ ἄχθεα οἱ μὲν ἄνδρες ἐπὶ τῶν κεφαλέων φέρουσι, οἱ δὲ γυναῖκες ἐπὶ τῶν ὤμων, *onera viri capitibus, feminae humeris bajulant.*

18. שְׁלֹשֶׁת הַסַּלִּים שְׁלֹשֶׁת יָמִים הֵם *Tria canistra tres dies sunt*, i. e. significant, ex analogia trium palmitum in somnio pincernae, supra Vs. 12., ubi not. vid.

19. יִשָּׂא פַרְעֹה אֶת־רֹאשְׁךָ מֵעָלֶיךָ *Tollet Pharao caput tuum desuper te.* In quibus verbis ἀμφιβολία est et detorsio phraseos supra Vs. 13. usurpatae ad sensum infaustum. Nam *tollere caput*, ut ibi vidimus, est *recen-*

censere, numerare. Dicit ergo: *recensebit caput tuum;* sed quum ille exspectaret, ut in superiori somnio, id futurum in bonum, inexspectato addit מֵעָלֶיךָ *desuper te.* quo ostenditur, *levare caput* esse id auferre. Non quod, uti *J. D. Michaelis* intelligit in *Jure Mos.* P. V. §. 235. p. 20., prius esset decollandus, quam suspendatur (neque id recte colligitur e Deut. XXI, 22. 23.); sed caput ab aliquo auferri dicitur, etsi non praecidatur, cum supplicio extremo afficitur; quemadmodum Latini quoque *capite plecti* aliquem dicunt, cum mortis ei poena infertur. Supplicii genus his verbis designat: וְתָלָה אוֹתְךָ עַל־עֵץ *suspendet te super ligno*, cruci te affiget, uti Onkelos reddidit (וְיִצְלוֹב יָתָךְ עַל־צְלִיבָא). *Crux* seu *patibulum* et Latinis in ritualibus libris *arbor* (quod עֵץ quoque Hebraeis est), et *arbor infelix* dicitur, unde: *arbori infelici suspendito*, apud *Livium* L. I. Cap. 26.

29. יוֹם הֻלֶּדֶת אֶת־פַּרְעֹה *Dies*, quo contigerat *nasci Pharaonem*, dies ejus natalis, natalitia. Rationem cur Hophal, הֻלֶּדֶת, Verbi transitivi Passivum, hic usurpetur, Jarchi comminiscitur hanc, quod infans nonnisi ope aliorum in lucem editur, unde *obstetrix* מְיַלֶּדֶת, Participio Piel, dicitur; et conferre jubet Ezech. XVI, 4. בְּיוֹם הוּלֶּדֶת אֹתָךְ *die quo ad nativitatem produxit te* obstetrix, et Levit. XIII, 55. הֻכַּבֵּס אֶת־הַנֶּגַע *lota est plaga*, quia per manus aliorum lavatur. וַיַּעַשׂ מִשְׁתֶּה לְכָל־עֲבָדָיו *Ut convivium fecerit omnibus servis*, ministris *suis*. Hinc liquet, antiquissimum esse morem, diem natalem quotannis solenni laetitia et epulis celebrandi, quem apud Persas suo aevo obtinuisse prodit *Herodotus* L. I. Cap. 133. Ἡμέρην δὲ ἁπασέων μάλιστα ἐκείνην τιμᾷν νομίζουσι τῇ ἕκαστος ἐγένετο. ἐν ταύτῃ δὲ πλέω δαῖτα τῶν ἄλλων δικαιεῦσι προτίθεσθαι. *Ex omnibus diebus praecipue colendum censent suum quisque natalem; nimirum hoc die plus aliis aequum censentes ciborum apponere.* Cf. Grotium ad Matth. XIV, 6. et *Dougtaei Analecta SS.* Exc. XXV. p. 44. seqq. וַיִּשָּׂא אֶת־רֹאשׁ שַׂר הַמַּשְׁקִים וְאֶת־רֹאשׁ שַׂר הָאֹפִים בְּתוֹךְ עֲבָדָיו *Sustulitque caput praefecti pocillato-*

rum et praefecti pistorum in medio servorum suorum, i. e. dum alios recensuit ministros suos, qui convivio illi intersint, subiit inter ceteros et horum memoria, sed diverso, uti mox apparet, fine. De phrasi נָשָׂא רֹאשׁ vid. not. ad Vs. 13.

21. וַיָּשֶׁב אֶת־שַׂר הַמַּשְׁקִים עַל־מַשְׁקֵהוּ *Ac restituit praefectum pocillatorum super poculum suum,* s. *propinationem suam,* i. e. restituit eum suo muneri ministrandi in poculis. Nota, מַשְׁקֶה hic esse nomen substantivum, quum supra Vs. 1. esset adjectivum.

5. *Josephus Pharaonis somnia interpretatur, eumque consilio adjuvat, qua ratione fami per septem annos duraturae prospici possit. Quod quum regi probaretur, Josephus e carcere liberatus toti regno praeficitur.*
Cap. XLI.

Cap. XLI, 1. וַיְהִי מִקֵּץ שְׁנָתַיִם יָמִים *Factum autem est a fine,* s. *post finem biennii dierum,* i. e. evoluto biennio. יָמִים *dierum* additur, ut biennium plenum et absolutum omni ex parte intelligatur. Cf. not. supra ad XXIX, 14. Vere Aben-Esra intervalli hujus initium satis perspicue non signari observat. Dubium enim esse potest, an inchoandum sit ab eo tempore, quo Josephus in carcerem conjectus, an vero ab eo, quo pocillator regis illinc est liberatus. Posterius tamen verisimilius est; sunt enim haec cum ultimis Capitis superioris verbis connexa. Sic et alias in V. T. numerus et terminus alicujus temporis ponitur, de quo dubium, unde ejus initium sit sumendum; vid. e. c. 2 Sam. XV, 7. Jes. VII, 8. Ezech. I, 1. — וּפַרְעֹה חֹלֵם וְהִנֵּה עֹמֵד עַל־הַיְאֹר *Et Pharao somniabat, et ecce stabat ad fluvium,* i. e. Nilum. Est enim יְאֹר *Nilo* nomen proprium et peculiare, et origine Aegyptium, ut observat *P. E. Jablonsky* Lib. IV. c. 1. §. 2. *Panthei Aegyptior.*, et in *Vocc. Aegyptiacc. explicat.* in *Opusc.* P. I. p. 92. Significat scilicet in lingua Aegyptiaca ΙΑΡΟ *fluvium;* et quum V. T. scriptores,

ubi de Nilo loquuntur, hanc vocem adhibeant, idque nomen huic fluvio proprium deprehendatur, ex eo colligi potest, ipsos Aegypti incolas maximum illum et unicum regionis suae fluvium in communi sermonis usu tantum voce IAPO solitos fuisse insignire; ut Italis *urbs* semper *Romam*, Ἄστυ vero Atticis semper *Athenas* significabat.

2. וְהִנֵּה מִן־הַיְאֹר עֹלֹת שֶׁבַע פָּרוֹת *Et ascendebant e Nilo septem vaccae.* Ex Nilo ascendere vidit vaccas, ubertatis et famis symbola; quia prout Nilus inundat agros, aut laetae aut rarae Aegyptiis surgunt segetes. Quum enim Aegyptus pluviis rarius perfundatur, necesse habet ex Nilo rivis manu factis rigari. Vid. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 137. p. 188. seq. Neque sine ratione est, quod *vaccas* e Nilo ascendere sibi visus est. Nam in arcana Aegyptiorum per imagines expressa scriptura, uti refert *Clemens Alexandrinus Strom.* L. V. p. 413. ed. Sylb., ἀλκῆς μὲν καὶ ῥώμης σύμβολον αὐτοῖς ὁ λέων, ὥσπερ ἀμέλει γῆς τε αὐτῆς καὶ γεωργίας καὶ τροφῆς, ὁ βοῦς, *roboris quidem et fortitudinis signum est eis leo, sicut certe et ipsius terrae et agriculturae, et alimenti est bos.* וַתִּרְעֶינָה בָּאָחוּ *Et pascebant in ulva.* אָחוּ esse vocabulum Aegyptiacum, recte observat Hieronymus in Commentario ad Jes. XIX, 7.: *Quum ab eruditis quaererem, quid* Ἄχει *significaret, audivi, ab Aegyptiis hoc nomine lingua eorum omne quod in palude virens nascitur appellari.* Quod confirmant in hodierna lingua Coptica servatae veteris sermonis Aegyptiaci reliquiae; vid. *P. E. Jablonskii Explicat. vocc. Aegyptiacc.* in *Opuscc.* P. I. p. 46. LXX. h. l. habent ἐν τῷ Ἄχει, pro quo in aliis exemplaribus male ἐν τῇ ὄχθῃ, *in ripa.* Sirac. XL, 16. Ἄχει ἐπὶ παντὸς ὕδατος καὶ χείλους ποταμοῦ. Et Scholiastes Graecus in Genes. Ἄχος ἐστὶ τὸ λεπτὸν καὶ βοτανῶδες φυτάριον. *Achos tenuis herbosa planta est.*

3. רַקּוֹת בָּשָׂר *Tenues carne.* In textu Samaritano et in paucis quibusdam codicibus Hebraeis legitur רַקּוֹת,

ut in Hebraeo infra Vs. 19., quod in V. T. nusquam alias, nisi in hac narratione legitur, et ex Arabica lingua explicandum est, in qua رَقَّ, *tenuem esse*, et رُقَاق, atque رَقِيق *tenuem* significat. Posteriore voce utitur Saadias in hac pericope de vaccis et de spicis tenuibus. Ita et Syrus ܢܩܰܦܳܐ *tenuis*. LXX. λεπταὶ ταῖς σαρξί. Hesychius: Λεπτὴ, ἀσθενὴς, ἰσχνή.

6. וּשְׁדוּפֹת קָדִים *Et Euro adustae.* LXX. ἀνεμόφθοροι. Hieronymus h. l. et aliis in locis vertit *ventum urentem.* Bene. Corrumpit enim hic ventus adurens, in Aegypto praecipue et Arabia flans, segetes, testibus iis, qui illas regiones adierunt; ut *Niebuhr* in *der Beschreibung von Arabien*, p. 8. et *Thevenot Voyages*, P. I. Lib. II. c. 34. testantur. צֹמְחוֹת אַחֲרֵיהֶן *Germinabant post illas;* non dixit עֹלוֹת, ut Vs. 6., uti notant Hebraei, quod non vidit hasce spicas paulatim ascendere et crescere, ut superiores, aut ad justam magnitudinem pervenire, ut solent plantae, quae sanae et succulentae sunt.

8. וַתִּפָּעֶם רוּחוֹ *Et consternatus*, in omnem veluti partem agitatus *fuit animus ejus.* LXX. ἐταράχθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. Vid. de Verbo פָּעַם not. ad Ps. LXXVII, 5. וַיִּקְרָא אֶת־כָּל־חַרְטֻמֵּי מִצְרַיִם *Et vocavit omnes obscurorum interpretes Aegypti.* Vocem חַרְטֻמִּים quidam derivant a Syriaco, et Aramaeo verbo חור *vidit*, inde *explanavit, interpretatus est*, et a טום, Hebraice טָמַן *clausit, obstruxit, abscondidit;* ut proinde hoc vocabulo designentur *rerum latentium et obscurarum interpretes.* Ita hanc vocem explicat *D. Millius* in *Dissertatt. SS.* Dissert. XIII. §. 3. p. 412. edit. sec. Alii, ut *Hydius de Relig. vett. Persar.* p. 379. ed. sec. חרטום haud diversum putant a Persico خردمند *Chiredmand*, quod *intelligentem, sapientem* significat. Alias etymologias vide in *Bocharti Hieroz.* P. II. Lib. IV. Cap. XVIII, p. 579. 580. T. III. p. 468. et quae nos ibi annotavimus, in *Repertorio*

Litterat. Bibl. et Orient. P. XIII. p. 18., in *J. D. Michaelis Supplemm.* p. 920. seqq., et in *P. E. Jablonskii Explicat. vocc. Aegyptt.* in *Opuscc.* P. I. p. 401. seqq. Fuere sacerdotes Aegyptiorum in tres divisi ordines; primi erant *προφῆται*, post hos *ἱερογραμματεῖς*, *sacrarum scripturarum periti*, tertii *νεωκόροι*, *templorum custodes.* Vid. *Jablonskii Prolegom. ad Panth. Aegyptior.* Cap. III. Ἱερογραμματέων erat peritia scripturae hieroglyphicae, et quum in ea omnis doctrina, theologia et philosophia Aegyptiorum contenta esset, Pharaonem illos arcanae scripturae peritos credibile est consuluisse, persuasum, numen, quod ei somnium immisisset, iis imaginibus usum fuisse, quae in hieroglyphica disciplina essent usitatae. LXX. h. l. vertunt *ἐξηγητάς*, quo vocabulo, Hesychio interprete, apud Graecos designatur *ὁ περὶ ἱερῶν καὶ διοσημείων ἐξηγούμενος.*

9. חֲטָאַי אֲנִי מַזְכִּיר הַיּוֹם *Memor hodie sum peccatorum meorum.* Intelligit ingratitudinem suam et oblivionem beneficii a Josepho in carcere accepti. Alii referunt ad offensas, propter quas a rege in carcerem est conjectus.

13. אֹתִי הֵשִׁיב עַל־כַּנִּי *Me restituit in statum meum,* scil. Pharao. Alii vocem הֵשִׁיב ad Josephum referunt, hoc sensu: *Josephus me restituit in statum meum*, h. e. restituendum me praedixit; *et illum suspendit*, h. e. suspendendum praedixit. Sed prior explicatio melius textui convenit, quum sermo sit non de praedictione, sed de rei eventu.

14. וַיְרִיצֻהוּ מִן־הַבּוֹר *Et fecerunt eum currere e puteo*, i. e. festinanter e carcere eductus est. De בּוֹר vid. not. supra ad XL, 15. וַיְגַלַּח וַיְחַלֵּף שִׂמְלֹתָיו *Et totondit se et mutavit vestes suas.* Aegyptii enim non, uti Hebraei, barbam promittere solebant, sed eam tondebant; nisi in luctu et captivitate. Herodotus Lib. II. c. 36. *Αἰγύπτιοι ὑπὸ τοὺς θανάτους ἀνιεῖσι τὰς τρίχας αὔξεσθαι, τάς τε ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ τῷ γενείῳ τέως ἐξυρημένοι. Aegyptii in*

morte suorum sinunt capitis barbaeque pilos crescere, cum alioquin antea tonsi fuerint.

16. Verba בִּלְעָדָי אֱלֹהִים יַעֲנֶה אֶת־שְׁלוֹם פַּרְעֹה LXX. sic reddunt: *ἄνευ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον Φαραώ*, quasi לֹא יַעֲנֶה legissent, et negandi particula inserta legitur et in codice Samaritano, consentientibus interprete Samaritano et Syro. Sed monet Hieronymus, in Hebraeo aliter haberi, nempe sic: *sine me Deus respondebit pacem Pharaoni*, additque Symmachum apertius transtulisse: *non ego, sed Deus respondebit pacem Pharaonis.* Recte enim connectendum est בִּלְעָדָי cum verbis, quae sequuntur, unde et Masorethae illi Accentum distinctivum majorem Athnach apposuerunt. Seorsim igitur est capiendum: *praeter me, s. sine me*, subaudi: hoc fiet, hoc fieri poterit; sed *Deus respondebit pacem Pharaonis*, soli Deo gloriam exponendi somnii tribuit, quasi dicat: absque me poterit Deus Pharaoni felicia annunciare, per alios, quibus quid illo somnio significetur, patefaciat. Ita et Onkelos: לָא מִן חוּכְמְתִי אֱלָהֵן מִן קֳדָם יְיָ יִתְּתַב יָת שְׁלָמָא דְפַרְעֹה *non ex sapientia mea, sed a Domino respondebitur pax Pharaonis.* Quod sequutus Jarchi: אין ההכמה משלי אלא אלהים יענה יתן ענייה בפי לשלום פרעה *Non est mea sapientia ista; sed Deus respondebit, i. e. responsum dabit per os meum ad prosperitatem Pharaonis.* Sensum pervertit Jonathan, qui בִּלְעָדַי ita explicavit: בַּר מִנִּי לָא אִית גְּבַר דְּפָשַׁר חֶלְמִין *praeter me non est vir, qui interpretatur somnia.* Quasi Josephus se aliis anteponat, quum id potius studeat, ut omnis gloria sibi adempta soli Deo tribuatur; quomodo et Daniel fecit, vid. Dan. II, 27. 30. Ceterum quod Josephus dicit, Deum fausta annunciaturum esse regi, quum tamen somnium nondum audisset; bene illi ominatur, et regem fausta salutatione compellat.

19. De רַקּוֹת vid. not. supra ad Vs. 3., ubi synonymum דַּקּוֹת (per Daleth) exstat.

21. וּמַרְאֵיהֶן nonnulli capiunt in Singulari, quasi ter-

tia radicalis ה ante Suffixum in Jod transiisset. Sed Aben-Esra in Plurali capit et exponit distributive *adspectus cujusque earum.*

23. Vocem צְנֻמוֹת hoc tantummodo loco in V. T. obviam LXX. non expresserunt; nam quod in codice Coisliniano et duobus aliis codicibus ab Holmesio collatis voci λεπτοὶ, qua דַּקּוֹת expresserunt, praemissum legitur, κατεφθαρμένοι *vitiatae*, expressum quoque in Arabica versione hexaplari, vix dubium est alius esse Graeci interpretis, quum nec ab Hieronymo nec a Coptico interprete exprimatur. Onkelos, quem sequitur Jonathan, vertit נָצָן, quod Jarchi *florentes* exponit, id est tales, in quibus non sit nisi inanis flos, et velut furfur sine grano remansisset. Saadias ضاويات *graciles*, et Arabs Erpenii ناشفات *evanidas, exsiccatas* reddidit. Syrus ܩܛܝܢܬܐ *tenues, subtiles*, et Graecus Venetus μικροί. Sunt quoque Hebraei, qui קטנות *exiguas* exponant, ut in tractatu Talmudico *Berachoth* fol. 39. col. 1. פַּת צְנוּמָה בִּקְעָרָה *buccellam exiguam in scutella* esse volunt, quae videlicet, ut nonnulli dicunt, פרורה, divisa sit in minuta fragmenta, quo facilius maceretur et jure perfundatur. Sed alii exponunt יבשה *aridam*, quae postea jure madefiat. Eodem modo et hic Jarchi צְנֻמוֹת explicat ex Aramaea voce צוּנְמָא sive צִנְמָא *rupes*, ut denotentur *aridae* spicae instar rupis; quam quidem interpretationem unice veram judicamus. Aben-Esra refert, quasdam צלמים *imagines* interpretari; eas enim in lingua Arabica voce Hebraeae similii appellari. Videntur qui ita interpretantur, id velle, adeo inanes fuisse istas spicas, ut simulacra potius spicarum, quam spicae fuisse viderentur. Sane Arabice صَنَم significat *simulacrum*, verum ut taceamus, id nonnisi de *idolis* usurpari, et proprie *lapidem* significare, ut Syriacum ܨܘܡܬܐ, est etiam ista explicatio nimis quaesita. אַחֲרֵיהֶם *post eas*, scilicet spicas plenas, cum Suffixo *masculino*;

at supra Vs. 6., ubi eadem habentur, sed cum Suffixo feminino, אַחֲרֵיהֶן, uti hic quoque legitur in codice Samaritano. Esse שִׁבֳּלִים feminei generis nomen, ostendunt adjectiva feminina ei juncta; hic vero terminationis masculinae videtur ratio haberi.

24. וְאֵין מַגִּיד לִי *Nec est, qui mihi indicet*, scil. הַפִּתְרוֹן *interpretationem*, seu, quid illis somniis indicetur.

25. חֲלוֹם פַּרְעֹה אֶחָד הוּא *Somnium Pharaonis est unum*, i. e. unius ejusdemque significationis. Id quod magos fefellit, quia duo somnia diversae significationis esse conjectabant.

26. שֶׁבַע שָׁנִים הֵנָּה *Septem anni sunt*, i. e. designant septem annos, videlicet ubertatis, שְׁנֵי שָׂבָע, quod ex iis quae sequuntur, ubi mox annorum famis mentionem facit (Vs. 27.), a contrario facile est colligere. Forsan, ut Hebraei conjectant, quod solita esset in Aegypto feracitas, ejus non meminit diserte. חֲלוֹם אֶחָד הוּא *Somnium unum est.* Hoc de prima utriusque somnii parte est intelligendum, quod eodem spectet, nec aliud spicae bonae, aliud vaccae pingues innuant, ut somnii diversitas prae se ferre videbatur. At quod paulo ante, initio suae orationis (Vs. 25.) dixit, somnium unum esse, ad totum utrumque somnium est referendum, quod etsi materia sint diversa, eodem tamen spectent.

27. יִהְיוּ שֶׁבַע שְׁנֵי רָעָב *Erunt septem anni famis.* Quod hic dicit in Futuro יִהְיוּ, non הֵנָּה, eo volunt Hebraei designari, quod mox distinctius est expositurus, non ita prope esse annos famis, sed successuros annis ubertatis, qui jamjam instent.

28. הוּא הַדָּבָר אֲשֶׁר דִּבַּרְתִּי אֶל־פַּרְעֹה *Id est verbum*, ea res, quam *sum loquutus* initio statim *ad* Pharaonem, אֲשֶׁר הָאֱלֹהִים עֹשֶׂה הֶרְאָה אֶת־פַּרְעֹה *quod* scilicet *id quod Deus facit ostenderit Pharaoni*, quod facturus est deinceps. Hieronymus haec omnia contracte ita expressit: *qui hoc ordine complebuntur.*

29. Verbo הִנֵּה שֶׁבַע שָׁנִים בָּאוֹת שָׂבָע גָּדוֹל plene ita erant exprimenda: הִנֵּה שֶׁבַע שָׁנִים בָּאוֹת אֲשֶׁר יִהְיֶה בָּהֶם שָׂבָע גָּדוֹל. *ecce! septem anni veniunt, in quibus futura est magna abundantia* annonae.

30. וְקָמוּ *Et surgent*, i. e. postea emergent, succedent his. Argutius est, quod Hebraeorum nonnulli volunt: *surgent hostis more.* וְנִשְׁכַּח כָּל־הַשָּׂבָע *Et oblivioni tradetur omnis abundantia.* Haec est, inquit Jarchi, interpretatio devorationis in somnio, supra Vs. 20. 24. — וְכִלָּה הָרָעָב אֶת־הָאָרֶץ *Et consumet fames terram*, i. e. homines terrae; multi peribunt fame, quae non solum per Aegyptum, verum et per vicinas regiones saeviet. Erat enim Aegyptus horreum vicinarum circumquaque regionum, ut olim Sicilia Italiae. Ea laborante non poterant non laborare vicini. Cf. infra XLII, 1. 2.

31. וְלֹא־יִוָּדַע הַשָּׂבָע בָּאָרֶץ מִפְּנֵי הָרָעָב הַהוּא *Nec scietur ubertas in terra propter famem illam*, s. *prae fame illa;* non videbitur antea septem annis ubertas tanta fuisse; nam ante biennium septem annorum famis paene exhaustum erit quicquid erat per annos abundantiae repositum, quum id non Aegypto tantum, sed et vicinis circumquaque regionibus esset suppeditandum.

32. וְעַל הִשָּׁנוֹת הַחֲלוֹם אֶל־פַּרְעֹה פַּעֲמָיִם *Et super iterari somnium*, iteratione somnii, quod autem iteratum est somnium *Pharaoni* (pro לְפַרְעֹה) *bis.* Nam hoc quoque explicat, quod difficultate non carebat, cur quum idem utroque somnio significaretur, esset geminatum. Post *iterandi* verbum (הִשָּׁנוֹת) addit פַּעֲמָיִם *bis*, quia non una vice utrumque somnium habuit, sed praeter morem post unum aliquo interjecto tempore alterum (cf. supra Vs. 4. 5.), quod diversitatem rerum significatarum ostendere videri poterat. Post פַּעֲמָיִם subaudiendum est זֶה הוּא *hoc est*, sive, hoc ideo factum est, כִּי־נָכוֹן הַדָּבָר מֵעִם הָאֱלֹהִים *quia firma est res a Deo*, i. e. id pertinet ad ostendendam certitudinem et firmitatem divini decreti. וּמְמַהֵר הָאֱלֹהִים לַעֲשֹׂתוֹ *Et accelerat Deus facere illud,*

illam rem duplici somnio significatam non diutius protrahendam, sed mox eventuram somnii iteratione ostendit.

33. Hucusque somnii interpretatio; jam sequitur Josephi consilium. וְעַתָּה יֵרֶא פַרְעֹה אִישׁ נָבוֹן וְחָכָם *Nunc ergo videbit*, providebit *Pharao virum intelligentem et sapientem.* R. Mose Ben-Nachman ita distinguit, ut נָבוֹן *prudens* referatur ad id, ut sciat primum Aegyptiis frumentum cuique uti opus habebit, suppeditare; postea ex eo quod fuerit reliquum, aliis regionibus, unde augeatur fiscus regis, accepta ab illis pecunia; *sapientem*, חָכָם vero, in eo, ut norit varias frumentorum species rebus ad id aptis. Quod nescio annon sit justo argutius.

34. יַעֲשֶׂה פַרְעֹה *Faciat Pharao*, sequatur hoc consilium. Alii jungunt sequentibus, וְיַפְקֵד פְּקִדִים עַל־הָאָרֶץ, hoc modo: paret *et praeficiat praefectos*, curatores rei frumentariae *super terram.* Saadias: وَيُطْلِقُ لَهُ أَنْ يُوَكِّلَ وُكَلَاءَ عَلَى ٱلْبَلَدِ *et permittat* rex *ei*, summo illi administratori toti terrae praeficiendo, de quo Vs. superiore, *ut constituat curatores super regionem.* וְחִמֵּשׁ אֶת־אֶרֶץ מִצְרָיִם *Et quintet terram Aegypti*, i. e. quintam omnium frugum partem exigat et colligat. Sed Onkelos, quod ipsi quintae partis exactio nimia videretur, sic interpretatur: וִיזָרֵיז יַת־אַרְעָא דְמִצְרָיִם *et accingat*, s. accingant, *terram Aegypti*, excitent omnes ad opus et coacervanda frumenta quemque sibi. Quod sequitur Jarchi, qui ejus interpretationis rationem reddit hanc, quod חֲמֻשִׁים Exod. XIII, 18. sint *accincti, expediti*, unde Verbo חִמֵּשׁ *accingendi* notionem tribuit. Onkelosum sequutus videtur et Saadias, qui reddit: حَتَّى يُعَبُّوا غَلَّةَ مِصْرَ *ita ut accumulent fruges Aegypti*; atque Arabs Erpenii: وَيُمَاوِنَ *et prospiciat de victu terrae Aegypti.*

Sed quintae partis frugum exactionem indicari Verbo חִמֵּשׁ, aperte illud ostendit, quod infra XLVII, 24. *quinta* frugum *pars* (חֲמִישִׁית) Pharaoni danda praecipitur. Recte igitur LXX. Καὶ *ἀποπεμπτωσάτωσαν πάντα τὰ γενήματα τῆς γῆς Αἰγύπτου.* Hieronymus: *et quintam partem fructuum congreget in horrea.* Syrus: ܘܢܣܒܘܢ ܚܕ ܡܢ ܚܡܫ ܡܢܘ̈ܬܐ *et ceperunt unam de quinque* partibus. Eodem modo Jonathan, Hierosolymitanus et Persa. Suadet igitur Josephus, ut per septem fertiles annos quinta frumenti pars colligatur ac reponatur in futuros sterilium annorum usus. Neque vero credibile est, agrorum possessores gratis et sine pretiis quintam annonae partem per septem fertiles annos regis procuratoribus tradidisse. Emit eam sine dubio rex pretio vilissimo futuris usibus prospiciens. Hinc etiam postea, quum anni steriles essent, annona civibus vendi poterat. „Non male fortasse quis conjecerit, Pharaonem decimas duntaxat frugum exegisse, ubi ordinaria esset agrorum fertilitas nec quidquam timeretur; sed hoc tempore duas decimas Aegyptiis, uberrimis tempestatibus, imperasse. Samuel, Israelitis regem flagitantibus, describens mores regum, sine dubio finitimorum, 1 Sam. VIII, 15. 17. *E sementibus vestris*, inquit, *et vineis decimas exiget, ... oves et capras decimabit.* Veteres Atheniensium reges, ex quibus Cecrops ex Aegypto in Atticam venisse fertur, decimas ex suis civibus ferebant, qua sacrorum publicorum et belli, si ingrueret, sumtus sustinerent. Vid. Epist. Pisistrati ad Solonem apud *Diogenem Laërtium* L. I. §. 53. Romani agros coloniarum, qui supererant post aliorum divisionem, *ἐπεκήρυττον ἐν τοσῷδε τοῖς ἐθέλουσιν ἐκπονεῖν, ἐπὶ τέλει τῶν ἐτησίων καρπῶν, δεκάτῃ μὲν τῶν σπειρομένων, πέμπτῃ δὲ φυτευομένων*, *per praeconem invitatis adsignabant, quibuscunque liberet colere, excepta sibi, tributi nomine, in singulos annos, sativorum decima, plantatorum vero quinta*, uti docet Dionysius Halicarnasseus." *Cleric.*

35. וְיִצְבְּרוּ־בָר *Et colligant frumentum.* בַּר He-

braei observant denotare omne frumentum, ubi purgatum ventilatum et diligentius emundatum in horrea reponitur Cf. *Celsii Hierobot.* P. II. p. 122. seqq. תַּחַת יַד־פַּרְעֹה *Sub manu Pharaonis*, auctoritate regia, sive, quod in potestate regia maneat, in horreis regiis. Patet, priorem Versus partem, cum Verbo יִקְבְּצוּ, pertinere ad agrorum dominos, qui singuli illorum proventus colligere debebant posteriorem Versus partem vero, et יִצְבְּרוּ, ad praefectos horreis regiis, quorum erat, quae a singulis advehebantur, in regiis horreis in futuros usus reponere. Verba אֹכֶל בֶּעָרִים connexa sunt cum וְיִצְבְּרוּ־בָר, hoc sensu: coacervent frumentum in *cibum* (לִהְיוֹת אֹכֶל) in *urbibus*, ex agris undequaque advectum, in urbes quas oportebat esse veluti horrea rusticis. וְשָׁמָרוּ *Et custodiant*, asservent illud frumentum usque ad annos famis.

36. Verba וְהָיָה הָאֹכֶל לְפִקָּדוֹן לָאָרֶץ Onkelos recte sic reddidit: וִיהֵי עֲבוּרָא גְנִיז לְעַמָּא דְאַרְעָא *et sit frumentum repositum populo terrae*, in usum futurum incolarum terrae. לְפִקָּדוֹן Symmachus ἐνθήκην, Aquila παραθήκην, eodem sensu, reddiderunt. וְלֹא־תִכָּרֵת הָאָרֶץ בָּרָעָב *Neque succidatur*, i. e. conficiatur, exstinguatur *terra*, populus terrae, *fame*.

37. וַיִּיטַב הַדָּבָר בְּעֵינֵי פַרְעֹה *Et fuit bonum in oculis Pharaonis et in oculis ministrorum ejus*, i. e. hoc consilium a Pharaone omnibusque ejus ministris probabatur.

38. הֲנִמְצָא כָזֶה אִישׁ אֲשֶׁר רוּחַ אֱלֹהִים בּוֹ *An inveniemus virum huic similem, in quo Dei sit spiritus?* i. e. virum ingenii divinitus edocti. LXX. phrasi adfirmativa: μὴ εὑρήσομεν ἄνθρωπον τοιοῦτον, ὃς ἔχει πνεῦμα Θεοῦ ἐν αὐτῷ, alii pro Niphal capiunt: *num invenietur?*

40. אַתָּה תִּהְיֶה עַל־בֵּיתִי *Tu eris super domum meam*, praeeris domui meae. Maxima haec videtur, post regiam, in Aegypto dignitas fuisse, qualis fuit apud Imperatores Romanos *Praefecti Praetorio*, et apud Gallorum reges *Majores domus*. Simile munus fuit apud Hebraeo-

rum reges, vid. 1 Reg. XVIII, 3. 2 Reg. XVIII, 18. וְעַל־פִּיךָ יִשַּׁק כָּל־עַמִּי *Secundum os tuum disponat omnis populus meus*, scil. sua omnia. Ita vertimus collato Arabico نَسَقَ *ordinavit disposuitque recte* rem aliquam. *A. Schultens* in *Commentar. ad Proverb.* XXIV, 26. verbo illi Arabico *compingendi arctius, appingendi* significatum tribuit, unde *A. Lenz* in *Observatt. Miscellann. ad sell. V. T. loca*, in *Sylloge Dissertatt.* T. II. p. 1001. hunc locum sic vertit: *super os tuum appactus erit totus populus meus*, i. e. populus meus jussis tuis obsequium praestabit. „Per metaphorum," inquit, „aliquis *super os* vel *ori alterius appactus* dicitur, qui ejus jussis perfectum obsequium praestare debet, ita ut ab ejus quasi ore recedere seque avellere non possit. Simili quadam phrasi dicitur, *ab ore alicujus pendere.* Eundem sensum confirmant quae sequuntur Vs. 44. *sine te nemo tollet manum suam aut pedem suum in tota terra Aegypti*, i. e. omnes Aegyptii potestati tuae erunt subjecti. Sensum magis quam propriam verborum vim expresserunt LXX. ἐπὶ τῷ στόματί σου ὑπακούσεται πᾶς ὁ λαός μου." Verum ista *appingendi* notio a Schultensio excogitata nullo linguae usu nititur. Quum נֹשְׁקֵי קֶשֶׁת 1 Chron. XII, 2. VIII, 40. 2. Chron. XVII, 17. al. sint *instructi, armati arcu*, sunt, qui hunc locum ita exponant: tuo jussu *arma sumet* totus populus meus, ut quod praecedit: *domui meae eris praefectus*, ad tempus pacis spectet, vel generale sit, quod vero sequitur speciatim ad bellum sit referendum. Verum nihil est, unde jure colligi possit, Josephum rei militari praefectum fuisse. Veterum interpretationes expendimus in Commentat. *de versione Pentateuchi Persica* p. 28. seqq. רַק הַכִּסֵּא אֶגְדַּל מִמֶּךָּ *Tantum solium* quod attinet *major ero te*, tantum regiam dignitatem mihi servo.

41. נָתַתִּי אֹתְךָ עַל כָּל־אֶרֶץ מִצְרָיִם *Dedi te super totam Aegyptum*, i. e. constitui te praefectum totius Aegypti, summum, post me regni administratorem, qualis

olim apud Chalifas et hodienum apud Osmanorum Imperatorem وزير أعظم *Vesirus major.*

42. וַיָּסַר פַּרְעֹה אֶת־טַבַּעְתּוֹ מֵעַל יָדוֹ וַיִּתֵּן אֹתָהּ עַל־יַד יוֹסֵף *Detraxitque Pharao annulum suum a manu sua et indidit Josephi manui*, id quod signum erat imperii summi Josepho a Pharaone commissi. Annulus regius omnibus temporibus apud Orientales signum regiae potestatis fuit. Ita Alexander moriens *detractum annulum digito Perdiccae tradidit*, Curtio teste L. X. c. 5., hinc Aristonus c. 6. dixit, *judicatum ab ipso optimum Perdiccam, cui annulum tradidisset.* Eodem ritu etiamnum Osmanorum Imperator praefectum regni, quem *Vesirum magnum* vocant, constituit, *Carrerio* (*Voyage du Tour du Monde*, Tom. I. Lib. III. Ch. 2.), *Tournefortio* (*Voyages*, Tom. II. p. 28.) aliisque pluribus testibus. Vid. *Paulsen, von der Regierung der Morgenländer*, p. 297., et *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 140. p. 192. seq. וַיַּלְבֵּשׁ אֹתוֹ בִּגְדֵי שֵׁשׁ *Et induit eum byssinis vestibus.* LXX. καὶ ἐνέδυσεν αὐτὸν στολὴν βυσσίνην. Ita vocem שֵׁשׁ vertunt LXX. quoties ea occurrit. Aben-Esra in Exod. XXV.: *Schesch idem est quod* [in serioribus V. T. libris] בוץ *vocatur, species quaedam lini, quod nascitur in Aegypto tantum.* *Jarchius: Schesch est* בוץ, i. e. *linum, quod est in provincia Pelusiaca.* שֵׁשׁ enim ortum esse e voce Aegyptiaca *Schensch*, quae *byssum* significat, ex gossypio arbore vel frutice decerptam, pluribus probavit *J. R. Forsterus* in *Libro Singulari de Bysso Antiquorum etc.* Lond. 1776. §. 10. p. 46. Cf. *P. E. Jablonskii Opuscula* P. I. p. 291. *Plinius Hist. Nat.* Lib. XIX. Cap. 1. *Superior pars Aegypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem alioquin gossypion vocant, plures Xylon, et ideo lina inde facta xylina. Parvus est, similemque barbatae nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur: nec ulla sunt eis candore mollitiave praeferenda. Vestes inde sacerdotibus Aegypti gratissimae.* Et *Ju-*

lius Pollux in *Onomast.* Lib. VII. c. 17., cujus verba brevitatis caussa tantum ex versione latina adscribere lubet: *Byssus lini quaedam species apud Indos. Nunc vero apud Aegyptios. Ex arbore lana quaedam fit, ex qua vestem confectam lino maxime similem esse, quispiam dixerit.* Plura vid. in *A. T. Hartmanni* libro, cui titulum fecit: *die Hebräerin am Putztische*, P. III. p. 34. seqq. Ceterum novae vestis donationem apud Orientis principes et olim fuisse et etiamnum esse singularis benevolentiae signum, quo etiam haud raro ii ornantur, quibus princeps novum idemque grave munus demandat, ex pluribus itinerum commentariis ostendit *Paulsen*, *von der Regierung der Morgenländer*, Cap. 2. Sect. I. p. 450. seqq., et *das alte u. neue Morgenl.* l. c. p. 194. — וַיָּשֶׂם רְבִד הַזָּהָב עַל־צַוָּארוֹ *Posuitque torquem auri super collum ejus.* LXX. *καὶ περιέθηκε κλοιὸν χρυσοῦν περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ.* De רָבִיד vid. not. ad Ezech. XVI, 11.

43. וַיַּרְכֵּב אֹתוֹ בְּמִרְכֶּבֶת הַמִּשְׁנֶה אֲשֶׁר־לוֹ *Et vehi eum jussit curru secundo, qui sibi erat;* qua re Pharao Josephum dignitate a se proximum esse declaravit. Ita Esth. VI, 11. Mardochaeus honore simili ab Assuero ornatus equo regio vehitur. וַיִּקְרְאוּ לְפָנָיו אַבְרֵךְ *Et clamarunt ante eum* (scil. praecones): *Abrech.* Hanc vocem Aegyptiacam esse, plerique interpretes statuunt; sed dissentiunt circa ejus significationem. P. E. Jablonskius a la Crozio edoctus eam interpretatus est OTBE—PEX, i. e. *inclinate contra*, vid. *J. D. Michaelis Orient. Biblioth.* P. IX. p. 204. et *Jablonskii Opuscc.* P. I. p. 4. seqq. Ita etiam Aquila, teste Hieronymo, hoc vocabulum reddidit: *clamavit in conspectu ejus ad geniculationem.* Adstipulatur Origenes, qui in Aegypto vixit, cujusque verba e Codd. MSS. adfert Montefalconius in Hexaplis, Tom. I. p. 49. Hinc Vulgatus, quem plerique recentiorum secuti sunt, *clamante praecone, ut omnes coram eo genu flecterent.* Sed aliter hanc vocem explicavit *Forsterus* in *Mantissis Aegyptiacis* libro supra

laudato *de Bysso Antiquorum* insertis, No. 11. p. 111. 112. Nempe quum annulus regius, torques, byssina vestis essent regius ornatus, quicunque iis indutus et cinctus esset, is summo honore summaque a rege auctoritate afficeretur, verba proclamata esse Forsterus putat 'A—ΠΡΕ—ΧΕΚ, *a rege cinctus*, vel *vestitus!* i. e. en hominem regiis vestibus cinctum! Plura vide in Commentat. nostra *de Persica Pentat. vers.* p. 38. et apud Jablonskium l. l., et quae Te-Water ibi notavit. וְנָתוֹן אֹתוֹ עַל כָּל־אֶרֶץ מִצְרָיִם *Et constituit eum super totam terram Aegypti.* Pro Infinitivo נָתוֹן codex Samaritanus habet ונתן in Praeterito, quod et exprimunt LXX. καὶ κατέστησεν αὐτὸν ἐφ' ὅλης γῆς Αἰγύπτου, quibus adstipulatur Chaldaeus et Arabs uterque. Eandem lectionem exhibent octo codices Kennicottiani et septem de Rossiani. Sed receptum נָתוֹן explicandum est ex idiotismo ellipseos verbi finiti cum Infinitivo constructi, cujusmodi est constructio Num. XXI, 2. נָתוֹן־תִּתֵּן. Cf. *Glassii Philol. S.* p. 290. ed. Dath. et *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 783.

44. אֲנִי פַרְעֹה *Ego Pharao*, i. e. ego sum rex; nam Pharao hic non est instar nominis proprii, sed dignitatem designat. Cf. not. supra ad XXXVII, 36. — וּבִלְעָדֶיךָ לֹא־יָרִים אִישׁ אֶת־יָדוֹ וְאֶת־רַגְלוֹ בְּכָל־אֶרֶץ מִצְרָיִם *Et sine te nemo manum aut pedem tollet in tota Aegypto*, i. e. nemini in Aegypto licebit quidquam imperare, vel rem ullam majoris momenti suscipere, te inscio et invito. Loquutio proverbialis.

45. וַיִּקְרָא פַרְעֹה שֵׁם־יוֹסֵף צָפְנַת פַּעְנֵחַ *Et appellavit Pharao Josephum nomine Zophnath-Paneach.* Mutavit ei nomen, non tam ut novum se habere dominum Josephus intelligeret, ut nonnulli volunt, quemadmodum Pharao Necho Eljakimi regis nomen mutavit, 2 Reg. XXIII, 34. 2 Chron. XXXVI, 4., et Nebucadnezar Danieli sociisque nova nomina imposuit, Dan. I, 7.; quam potius, ut hac nominis commutatione Josephum magis extolleret et populo commendaret, illustre et gloriosum ei nomen dans, quod summam ejus dignitatem ac sapientiam testaretur.

Voces צָפְנַת פַּעְנֵחַ Aegyptiae potius, quam Hebraeae videntur, licet Hebraei ad fontem Hebraeum revocent, quod etsi de priori, צָפְנַת fieri possit, a צָפַן *abscondidit*, posterior tamen, פַּעְנֵחַ, nullo modo Hebraea est. Illi tamen exponunt מגלה הנסתרות, id est, מגלה הנסתרות *detectorem*, explicatorem, interpretem *abstrusorum*. Ita Onkelos: גַּבְרָא דְּמַטְמְרָן גַּלְיָן לֵיהּ *vir cui abscondita sunt revelata*. Jonathan: גַּבְרָא דִּטְמִירָן מְפַרְסֵם *vir qui secreta exponit*. Saadias: مُوضِحُ ٱلْخَفَايَا *manifestator abditorum*. Arabs Erpenii: كاشف الاسرار *detector arcanorum*. Quam interpretationem et adscivit Syrus, qui ܨܦܢܬ ܦܥܢܚ quidem retinuit, sed addidit: ܕܟܣܝܳܬܐ ܓܠܝܳܢ ܠܗ *cui abscondita manifestantur*. Verum bene *Hieronymus* in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l.: „Licet Hebraice hoc nomen *absconditorum repertorem* sonet [sonare conjiciatur]; tamen quia ab Aegyptio ponitur, ipsius linguae debet habere rationem. Interpretatur ergo sermone Aegyptio *Saphaneth Phanee*, sive, ut Septuaginta transferre voluerunt, *Psomthom-Phaneeh*, *salvator mundi*, eo quod orbem terrae ab imminente famis excidio liberavit.“ Et hoc certe, inquit *P. E. Jablonsky* in *Explicat. vocc. Aegyptt.* in *Opuscc.* P. I. p. 212., „vox illa, uti a LXX. interpretibus effertur, sonat. Nam Ψοθομφανὴχ, vel Copticis literis expressum, ΠCΩT϶MΦENEh, significat *salutem seculi*. CΩT enim, *σώζειν*, vox est Coptis frequentissima. ΠCΩT notat et *σωτηρίαν* et *σωτῆρα*. ΦENEh vox pariter oppido trita *αἰῶνα* designat. Est igitur ΠCΩT϶MΦENEh, uti Bernardus ajebat ad Josephi *Antiqq.* L. II. Cap. 6. §. 1., *salus seculi*, sive *salvator mundi*.“ Copticae voci Hebraea accuratius responderet, si unica litera transposita scriptum esset פצנח פענח, vel, unica litera inserta, פצחנח פענח. Et forsan uno alterove modo LXX. in suo Hebraeo codice legerunt, quod postea in צפנח פענח est

mutatum, ut prior saltem nominis pars Hebraice quid notaret. Si quod nunc in codicibus Hebraicis exstat, צָפְנַת פַּעְנֵחַ, e Coptica lingua explicandum sit, Jablonsky l. l. p. 250. proponit *Dschoph-ente-Phaneh*, quod *caput seculi*, seu *mundi* designat. Sed merito priorem illam interpretationem praeferendam censet. Aliam eandemque ab utraque illa diversam explicationem hujus vocis proposuit *J. R. Forsterus* in libro *de Bysso antiquor.* No 1. p. 101—110. Suspicatur, Pharaonem credidisse, Josephum fuisse inter suos gentiles *scribam* vel *sapientem spiritus aeterni*. *Sapientem* enim eum ipse appellat Vs. 39. et simul eum ad *spiritum Dei* pertinere indigitat plane Vs. 38.; non mirum igitur esse, quod et idem expresserit nomine CAX—ПNOTTI ПA—ENE*h*—IX (*sach—pnouti pa—eneh—ich*), *scriba divinus*, *spiritus aeterni*, vel *pertinens*, *spectans ad spiritum aeternum*. Numen enim supremum unicum ab Aegyptiis adoratum, et ab iis ut *spiritus totum permeans mundum* repraesentatum esse videtur. Commendat Forsterus sententiam suam et alio argumento, ex loco infra XLIV, 15. desumto, ubi Josephum ipsum ad nomen suum alludere suspicatur. Dicit enim ille: *num ignoratis, virum talem, qualis ego sum, hariolari posse?* quae verba Forsterus ita explicat: num ignoratis, me ideo vocari *Zaphnath-Pa-eneach*, quia facile futura et res occultas investigare queo? num sine ulla caussa nomen *scribae spiritus aeterni* gero? Quod autem LXX. hanc vocem reddiderunt Ψονθομφανὴχ, sive, ut scribendum putat, et quomodo etiam plures codices habent, Φονθομφανὴχ, Forsterus inde factum conjicit, quod interpretes illi probe noverint verum significatum vocum Aegyptiarum; at titulum CAX, *scriba*, Josepho, proregi totius Aegypti, non satis honorificum credidisse, et quum scivissent, plures in Aegypto sacerdotum ordines, et unum semper cujuslibet collegii praefectum ἀρχιερέα, quem Aegyptii sua lingua vocant *Phont;* eos non dubitasse sic honori Josephi consulere eumque vocare *Phont-empha-eneh-ich*, *summum*

sacerdotem spiritus aeterni. Quae omnia parum tuta sunt. וַיִּתֶּן־לוֹ אֶת־אָסְנַת בַּת־פּוֹטִי פֶרַע כֹּהֵן אֹן לְאִשָּׁה *Deditque ei Asnath, filiam Potipherae, sacerdotis On, uxorem.* Nomen אָסְנַת, quod LXX. Ἀσενὲθ efferunt, *P. E. Jablonsky* in Dissertat. oct. *de terra Gosen* §. 3. *Opuscc.* P. II p. 209., mulieri a Numine quodam Aegyptio, more Aegyptiis perquam familiari, impositum suspicatur, conjicitque postremas literas נת continere nomen Divinitatis in Aegypto religiosissime cultae, quam Aegyptii *Nit*, vel *Neith* nuncupabant, teste Platone in *Timaeo* p. 474. edit. Basil., quamque Graeci *Minervam* interpretantur. Et in *Panth. Aegypt.* L. I. Cap. 3. §. 3. p. 56. Asénethae nomen Coptice scriptum CΣXE-NEIT esse putat, quod Graece commode reddatur Ἀθηνοσεβὴς, *Minervae cultrix.* Nomen פּוֹטִי פֶרַע diversum est a nomine heri Josephi, פּוֹטִיפַר, nullo addito in fine ע (vid. supra XXXVII, 36. XXXIX, 1. seqq.), ut diversa sunt munera Praefecti satellitum et sacerdotis. Utrumque tamen LXX. Πετεφρὴς exprimunt, quod erroris nonnullis causa fuit. Sed in quibusdam versionis Graecae codicibus ab Holmesio recensitis Πεντεφρὴ reperitur, quomodo et scribit Alexander Polyhistor apud *Eusebium Praepar. Evang.* L. IX. Cap. 21. Contractum illud aut corruptum ex Aegyptiaco Π—*h*ONT—ΦΡΗ *sacerdos solis* conjicit *P. E. Jablonsky* in *Panth. Aeg.* L. II. Cap. 1. §. 8. p. 139., in Dissert. octava *de terra Gosen* §. IV. in *Opuscc.* P. II. p. 219. seqq., et in *Explicat. vocc. Aegyptt.* in *Opuscc.* P. I. p. 203., ad quem loc. cf. quae notavit Te Water. „כֹּהֵן אֹן malim reddere cum veteribus plerisque *sacerdotem*, quam cum recentioribus quibusdam *Praesidem* aut *Gubernatorem Onis*, quibus tamen praeiverunt Onkelos et Jonathan [qui רַבָּא דְאוֹן posuerunt], et R. Levi, qui sine dubio putarunt, suadere id pietatem Josephi, ab idololatriae communione alienissimi. Etsi enim non negem, vocem כֹּהֵן, si vim vocis spectes, significare posse virum principem, eaque significatione aliquando accipi, hic tamen nihil in verbis Mosis occurrit, quod nos

cogeret, a communi vocis illius usu discedere. כֹּהֵן infra XLVII, 22. aperte designat sacerdotem Aegyptium. Ita ergo et hic. Rectissime igitur LXX., nec minus Josephus *Antiqq.* L. II. Cap. 6. §. 1. et Philo *de Josepho* T. II. p. 58. ed. Mang. verba Hebraica ita reddunt: *Πεντεφρῆ, ἱερέως Ἡλιουπόλεως*, quos sequuntur vetusti Ecclesiae doctores." *Jablonsky* in Dissert. laud. *de terra Gosen*, *Opuscc.* P. II. p. 210. — אֹן LXX. interpretantur *Ἡλιούπολιν*, eamque interpretationem confirmat Copticus interpres, qui pro Graeco illo nomine (vertit enim non textum Hebraeum, sed Graecam Alexandrinam interpretationem) hic nomen vere Aegyptium illius urbis, suo tempore, uti par est credere, adhuc usitatum, ΩΝ, substituit. Cf. *Jablonskii* Dissert. *de Remphah, Aegyptior. Deo*, §. VI. in *Opuscc.* P. II. p. 20. et in *Panth. Aegypt.* L. II. Cap. 1. §. 8. p. 137., atque *Champollion l'Egypte sous les Pharaons* T. II. p. 41. Fuit Heliopolis Nomi cujusdam inter Nilum et mare rubrum siti metropolis, in qua quotannis *πανήγυρις* erat ad Solis festum celebrandum, Herodoto referente, L. II. Cap. 59., unde urbi nomen impositum; est enim *On* Aegyptiace *sol*, uti docet Cyrillus, qui in Aegypto vixit, in Commentar. in Hoseam p. 145. his verbis: *Ὢν δέ ἐστι κατ' αὐτοὺς ὁ Ἥλιος* Videtur ΩΝ contractum esse ex ΟΥΩΙΝΙ *lumen*, *lux*, ut nomine illo designetur *urbs lucis*, seu *luci*, id est *soli*, consecrata. Observatu praeterea non est indignum, quod refert *Strabo Geogr.* L. XVII. Cap. I. §. 29. *Ἐν δὲ τῇ Ἡλιουπόλει καὶ οἴκους εἴδομεν μεγάλους, ἐν οἷς διέτριβον οἱ ἱερεῖς, μάλιστα γὰρ δὴ ταύτην κατοικίαν ἱερέων γεγονέναι φασὶ τοπαλαιὸν, φιλοσόφων ἀνδρῶν καὶ ἀστρονομικῶν.* *Heliopoli domos amplas vidimus, in quibus sacerdotes habitabant. Hanc enim perhibent olim sacerdotum habitationem fuisse, hominum philosophiae et astronomiae deditorum.* — וַיֵּצֵא יוֹסֵף עַל־אֶרֶץ מִצְרָיִם *Et exiit Josephus super*, s. *per terram Aegypti*, exsequuturus injunctam sibi a rege provinciam. Onkelos et Jonathan: וּנְפַק יוֹסֵף שַׁלִּיט עַל אַרְעָא דְמִצְרָיִם *et egressus est Josephus dominans per terram*

Aegypti. Quum Versu proximo similes phrases recurrant, sunt, qui putent hunc primum egressum tantum fuisse, ut Aegyptum lustraret, et omnia componeret et ordinaret bonis institutis, circiter anno ante septem annos ubertatis; secundum vero egressum, qui mox memoratur, fuisse ad coacervanda frumenta. Sed videtur Versu sequ. mera ἐπανάληψις esse, et idem utrobique significari, coepisse Josephum exsequi consilium illud suum de coacervatione frumenti. Paranda praeterea primum et disponenda per singulas urbes horrea erant, constituendi praefecti, et hujusmodi alia ordinanda.

46. וְיוֹסֵף בֶּן־שְׁלשִׁים שָׁנָה בְּעָמְדוֹ לִפְנֵי פַּרְעֹה *Erat autem Josephus triginta annos natus cum staret coram Pharaone.* Quae Phrasis hic non, ut alias, *ministrare* denotat, sed: cum ante illum consisteret ejus somnia exponens et consilium dans. Aetatis ejus meminit, qua tunc erat, ut significet, eum ita juvenem omnia moderatum in Aegypto. Hoc igitur veluti per parenthesin interjecto, per epanalepsin subjungit: וַיֵּצֵא יוֹסֵף מִלִּפְנֵי פַּרְעֹה *exiit igitur,* uti dictum, *Josephus a conspectu Pharaonis,* mandato et potestate ab illo accepta, ut Job. I, 12. II, 7. de Satana haec phrasis eodem sensu usurpatur. וַיַּעֲבֹר בְּכָל־אֶרֶץ מִצְרָיִם *Et transiit per totam terram Aegypti,* obiit eam, singula ubique ordinaturus.

47. וַתַּעַשׂ הָאָרֶץ בְּשֶׁבַע שְׁנֵי הַשָּׂבָע לִקְמָצִים *Fecit ergo,* i. e. produxit *terra septem annis ubertatis ad pupillos,* i. e. cumulate, manipulatim, magnam frumenti vim, ita ut per manipulos in magna copia colligeretur. Minus commode Onkelos *terram* pro *terrae* incolis sumens vertit: וּכְנַשׁוּ דָיְרֵי אַרְעָא בְּשֶׁבַע שְׁנֵי שׂוֹבְעָא עִבּוּרָא לְאוֹצְרִין *et collegerunt incolae terrae per sptem annos abundantiae frumentum in thesauros, s. horrea.* קְמָצִים significatione haud differre putavit a קוּמָצִים, Chaldaeis pro כּוּמָצִים et גּוּמָצִים usitatum, quod *foveas* denotat; intellexit vero tales foveas aut cellas, in quibus, tanquam in horreis, in Orientis regionibus frumenta recondi so-

lent. Arabes tale subterraneum granarium hodie vocant مَطْمُورَة (vulgo *Mattamore*), quam vocem *Golius* in *Lex. Arab.* p. 1481. ita exponit: *fovea subterranea, crypta, in qua frumentum reconditur, uti fere a Scenitis fit in angustum annonae tempus.* Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. IV. No. 1097. p. 373. Onkelosi interpretationem probat Jarchi, observans, עָשָׂה hic *colligendi* significatu commode sumi posse, quod qui congregat facit opus aliquod. Sed de congregatione frumentorum Versu demum sequenti loquitur, hoc Versu, uti fert naturalis ordo, prius de fructuum proventu. Recte LXX. Καὶ ἐποίησεν ἡ γῆ ἐν τοῖς ἑπτὰ ἔτεσι τῆς εὐθηνίας δράγματα. Liberius, sed tamen bene Hieronymus: *Venitque fertilitas septem annorum, et in manipulos redactae segetes.* Saadias:

ثُمَّ أَنْبَتَتِ ٱلْأَرْضُ فِي سِنِي ٱلشِّبَعِ مِلْءَ ٱلْمَخَازِنِ

Tum protulit terra in annis abundantiae plenitudinem horreorum.

48. Quum ergo septem annis ubertatis terra cumulate vim frumenti magnam protulisset, וַיִּקְבֹּץ אֶת־כָּל־אֹכֶל *collegit* Josephus *omnem cibum*, annonam, commeatum; quicquid scilicet potuit, non omne omnino frumentum, unde enim homines victum habuissent? Per כָּל־אֹכֶל *cibum omnem* R. Mose Ben-Nachman hic non tantum frumentum, sed et alia edulia intelligit, ut ficus, et alia, quae famis tempore sustentare possunt; ut speciatim postea Versu sequenti בַּר *frumentum* dicat. Sed vix dubium est, אֹכֶל et בַּר idem esse, quod praecipua sustentatio sit frumenti et panis. Onkelos utrumque uno עִבּוּרָא *annona* expressit. וַיִּתֶּן־אֹכֶל בֶּעָרִים אֹכֶל שְׂדֵה־הָעִיר אֲשֶׁר סְבִיבֹתֶיהָ נָתַן בְּתוֹכָהּ *Posuitque commeatum in urbibus, commeatum, inquam, agri urbis, qui erat circa eam posuit intra eam*, i. e. cujusque urbis annonam ex ejus agris in urbem inferendam curavit, ut non necesse haberet quaeque urbs ab altera famis tempore commeatum petere.

50. Digressiuncula ad exponendum filios Josepho

sub id temporis natos, quorum posteri in tribus Israeliticas potentissimas evaserunt. Qui quum ei nati essent בְּטֶרֶם תָּבוֹא שְׁנַת הָרָעָב *antequam ingrueret annus famis*, et quum supra Vs. 45. de uxore ducta dixisset; commodiore loco non potuit natos ex illa filios memorare. וּלְיוֹסֵף יֻלַּד שְׁנֵי בָנִים *Josepho natum est duo filii*, i. e. nata ei est soboles, duo videlicet filii, vid. supra X, 21. XXXV, 26.

51. Filium primogenitum Josephus vocavit מְנַשֶּׁה, post quod nomen subaudiendum לֵאמֹר, *dicendo*, vel כִּי אָמַר *dixit enim*, subjungit enim rationem, cur illud nominis filio imposuerit: כִּי־נַשַּׁנִי אֱלֹהִים אֶת־כָּל־עֲמָלִי וְאֵת כָּל־בֵּית אָבִי *quia oblivisci fecit me Deus omnis laboris mei*, aerumnae et miseriae meae, cum qua pluribus annis sum conflictatus, *et totius domus patris mei.* Quae postrema verba non ita sunt capienda, quasi rebus prosperis ita esset inflatus, ut etiam patris memoria ex animo exciderit, sed hoc voluit, se jam ad tantum honorum fastigium esse evectum, ut patriae domus oblivisci facile posset.

52. Filium secundo loco natum appellavit אֶפְרָיִם, formâ Dualis, quod hic secundus esset, quasi geminam dicas foecunditatem, nominis rationem reddens hanc, כִּי־הִפְרַנִי אֱלֹהִים *quia fructificare me fecit*, i. e. foecundavit, auxit gemina prole *Deus*, בְּאֶרֶץ עָנְיִי *in terra miseriae meae*, ubi antea miserrima mea fuit conditio.

54. וַיְהִי רָעָב בְּכָל־הָאֲרָצוֹת *Fuitque fames in omnibus terris*, vicinis, puta, uti recte Aben-Esra notat, et R. Mose Ben-Nachman tres hasce regiones, Phoenicen, Palaestinam, et Arabiam, intelligi ait, quas certe laborare oportet, non ita feraces, quam Aegyptus, quae earum est velut horreum.

55. וַתִּרְעַב כָּל־אֶרֶץ מִצְרַיִם *Et esuriit tota terra Aegypti.* Sed quum in fine Versus superioris dictum esset, fuisse panem in tota Aegypto, vicinis regionibus fame laborantibus, quod hic dicitur intelligendum est de secundo

anno famis, privatis horreis exhaustis. Certe sub adventum Jacobi in Aegyptum duos tantum famis annos elapsos esse, dicitur infra XLV, 6. 11. Recte igitur dici potuit, ingruente fame per Aegyptum, annonam repositam fuisse in horreis regiis, quae non prius Josephus aperuit, quam privata exhausta fuissent.

56. וְהָרָעָב הָיָה עַל כָּל־פְּנֵי הָאָרֶץ *Eratque fames super tota facie terrae*, pro quibus in codice Samaritano est על פני כל הארץ, consentientibus LXX. *ἐπὶ προσώπου πάσης γῆς.* Quae plerique interpretes de vicinis regionibus, ut supra Vs. 54., intelligunt; nos speciatim de tota Aegypto intelligenda putamus. Quae sequuntur, וַיִּפְתַּח יוֹסֵף אֶת־כָּל־אֲשֶׁר בָּהֶם per compendium sunt dicta pro: וַיִּפְתַּח כָּל־בָּתִּים אֲשֶׁר בָּהֶם שֶׁבֶר, quomodo et Onkelos interpretatus est: וּפְתַח יוֹסֵף יַת כָּל אוֹצְרַיָּא דִי בְהוֹן עִבּוּרָא *aperuitque Josephus omnia horrea, in quibus frumentum esset.* Nomen שֶׁבֶר e Verbo denominativo וַיִּשְׁבֹּר, quod statim sequitur, facile suppleri potest, neque opus est, cum Hubigantio e codice Samaritano post בָּהֶם textui בַר inserere. Cf. *Seb. Ravii Exercitatt.* p. 52. Sed minus commode refert is Suffixum in בָּהֶם ad פְּנֵי־הָאָרֶץ. Alii: omnia quae erant apud se, seu Aegyptios. וַיִּשְׁבֹּר לְמִצְרַיִם *Et frumentatus est Aegypto*, i. e. Aegyptiis frumentum vendidit. Verbum שָׁבַר, alias *frangere*, hic est denominativum a שֶׁבֶר, quod proprie *fractionem* significat, metaphorice de *frumento* dicitur. Hebraei causam afferunt, quod frangat famem; alii passive malunt, quod frangatur panis ex illo factus, quia panes in placentarum formam faciebant, ut non scindi cultro necesse esset. Alii, quod magis verisimile, ad id potius in hac frumenti appellatione respici putant, quod molendo grana ejus franguntur, ut a fine suo sic frumentum dicatur. Hinc Verbum שָׁבַר in Cal, et in Hiphil dicitur de frumento tam emendo, ut mox Vs. 57. et infra XLVII, 17., quam vendendo, ut hic, et infra XLII, 6. Am. VIII, 5. 6.

57. וְכָל־הָאָרֶץ בָּאוּ מִצְרַיְמָה לִשְׁבֹּר אֶל־יוֹסֵף *Et tota*

terra, i. e. vicinarum regionum undequaque homines *venerunt Aegyptum frumentum emendi causa ad Josephum.* Verba potius sic ordinanda erant: בָּאוּ מִצְרַיְמָה אֶל־יוֹסֵף לִשְׁבֹּר. Additur ratio: כִּי־חָזַק הָרָעָב בְּכָל־הָאָרֶץ *quia invaluit fames per totam terram*, non Aegypti tantum, sed et vicinarum regionum, uti jam supra Vs. 54. dictum erat. Est vero hic Versus veluti παρασκευή quaedam ad ea, quae deinceps exponuntur de itinere filiorum Jacobi in Aegyptum.

6. *Jacobi filii a patre in Aegyptum fruges emtum missi a Josepho quasi exploratores habentur. Simeon in obsidem acceptus, donec Benjamin adveniat, detinetur. Impletis eorum saccis pecunia injicitur, quam sibi redditam mirantur. Rem patri narrant, qui Benjaminem in Aegyptum deducendum traditurum eis sese negat. Cap. XLII.*

Cap. XLII, 1. לָמָּה תִּתְרָאוּ *Quid vos invicem adspicitis?* i. e. quid cessatis, et moram trahitis? Solent enim se invicem adspicere, qui moras nectunt in aliqua re. Sunt igitur haec verba non, ut multi volunt, increpantis, sed excitantis. Describuntur homines consilii inopes, qui solent se invicem adspicere, veluti alii alios de communi periculo verba facturos audituri. LXX. Ἱνατί ῥαθυμεῖτε; *quare segnes estis?* quia qui ignavi et segnes sunt, solent sese mutuo adspicere, ac cum inopia consilii solet et ignavia conjuncta esse.

2. De nomine שֶׁבֶר et verbo hinc deducto vid. not. ad XLI, 56.

4. פֶּן־יִקְרָאֶנּוּ אָסוֹן *Ne quid mali illi accideret.* LXX. Μή ποτε συμβῇ αὐτῷ μαλακία. Aquila σύμπτωμα, *casum*, Symmachus κίνδυνον, *periculum.* Sed Onkelos, quem Hebraei fere sequuntur, מוֹתָא *mors*, ut Exod. XXI, 22. 23. „Videtur esse quod Gallice dicimus *malheur*, quod etsi quodvis infortunium significet, tamen pro morte etiam usurpatur,

praesertim cum mollius rem volumus exprimere, et veluti male ominato verbo *mortis* abstinere." Cleric.

5. בְּתוֹךְ הַבָּאִים *In medio euntium*, i. e. erant inter eos, qui in Aegyptum ibant; sive quod multi quotidie in Aegyptum undequaque annonam emendi caussa irent, seu quod ἐν συνοδίᾳ, sive in iter simul facientium caterva, ut solebat fieri, proficiscerentur. Cf. not. supra ad XXXVII, 25.

6. וְיוֹסֵף הוּא הַשַּׁלִּיט עַל־הָאָרֶץ *Et Josephus erat dominator super terram*, praefectus terrae. Radix שָׁלַט Chaldaea magis est, quam Hebraea, et summo jure *dominare* significat, vid. Cohel. II, 19. IX, 4. 8. 9. Esth. IX, 2. — הוּא הַמַּשְׁבִּיר לְכָל־עַם הָאָרֶץ *Ipse erat, qui frumentum distrahebat toti populo terrae*. Vix monitu opus, Josephum ipsum, Aegypti proregem, non singula frumenta singulis vendidisse; sed quum συνοδία Cananaea magnam annonae copiam emtura adveniret, id antea ad Josephum deferri debebat, cujus erat definire pretium, et inquirere an tanta frumenti copia peregrinis vendi possit, et utrum advenae suspecti essent nec ne? Aegyptii enim prae aliis gentibus diffidere solebant peregrinis.

7. וַיִּתְנַכֵּר אֲלֵיהֶם *Instar alieni se erga eos gessit*, alienum se simulavit. LXX. καὶ ἠλλοτριοῦτο ἀπ' αὐτῶν. וַיְדַבֵּר אִתָּם קָשׁוֹת *Et loquutus est cum eis dura*, scil. מִלּוֹת *verba*, i. e. aspere eos alloquutus est.

9. וַיִּזְכֹּר יוֹסֵף אֵת הַחֲלֹמוֹת אֲשֶׁר חָלַם לָהֶם *Recordatus est autem Josephus somniorum, quae somniarat illis*, i. e. de illis, עֲלֵיהֶם uti Hebraei exponunt. מְרַגְּלִים *Exploratores*, LXX. κατάσκοποι. Significat proprie pedibus huc illuc circumcursantes explorandi causa. לִרְאוֹת אֶת־עֶרְוַת הָאָרֶץ בָּאתֶם *Venistis nuditatem terrae videre*, i. e. venistis loca minus munita hujus terrae explorare. עֶרְוָה proprie *nuditatem*, deinde ea loca significat, per quae adiri facilius regio aliqua potest, quod sit munimentis aut naturae aut artis destituta. Similis metaphora apud Arabes est usitata, ut apparet ex hoc *Phiruzabadii* loco, quem

A. Schultensius excerpsit in libro de *Defectibus hodiernis Linguae Hebr.* §. CCLXV. العورة سواة الانسان وكل ما يستحي منه العورة كل خال يتخوف منه في ثغر او حرب *Nuditas hominis dicitur* עֶרְוָה, *et omne quod pudendum; ita etiam vocatur omnis locus praesidio vacuus in finibus aut bello, quo timetur.* Neque Latinis est hoc inusitatum; *nuda urbs praesidio, nudata castra, nudi defensoribus muri,* saepe apud Caesarem occurrunt. Aquila et Symmachus vocem עֶרְוָה κρυπτά reddunt; loca enim praesidiis nuda sedulo solent, ut parum firma, recondi. Ceterum et recentibus temporibus haud paucis eorum, qui per Orientes regiones itinera fecerunt, hoc praetextu negotium facessi solebat, quod terras explorandi causa advenissent. Exempla attulimus in *dem alten und neuen Morgenl.* P. I. No. 145. p. 198. seqq.

11. כֵּנִים אֲנַחְנוּ *Recti sumus*, i. e. homines probi, viri bonae fidei sumus. LXX. εἰρηνικοὶ ἔσμεν. Melius Symmachus ἁπλοῖ, *simplices*, reddit.

13. הַקָּטֹן אֶת־אָבִינוּ הַיּוֹם *Natu minimus cum patre nostro est hodie*, i. e. natu minimus domi adhuc est apud patrem nostrum. וְהָאֶחָד אֵינֶנּוּ *Et unus nullus est*, i. e. unus mortuus est. LXX. ὁ δὲ ἕτερος οὐχ ὑπάρχει. Josephi fratres, ut Michaelis ad h. l. observat, qui haud dubie cum συνοδίᾳ Cananaea ad annonam emendam in Aegyptum venerant, videntur reliquis Cananaeis, vel faciei lineamentis, vel moribus vel dialecto dissimiles fuisse. Discrimen igitur, quod inter hos decem homines singulari aliqua ratione sibi similes, reliquosque advenas Cananaeos facile observabatur, ut caussa praetendi poterat, cur ad loca terrae minus firma exploranda venisse existimarentur. Hinc tam saepe *unius patris filios se esse* affirmant, ut appareret ratio similitudinis et dissimilitudinis.

14. הוּא אֲשֶׁר דִּבַּרְתִּי אֲלֵכֶם *Id ipsum est quod sum*

loquutus ad vos, hoc plane arguit verum esse quod ab initio dixeram, vos esse exploratores. Egregie principem agit, quorum est, ut a semel suscepta sententia haud facile dimoveantur.

15. בְּזֹאת תִּבָּחֵנוּ *In hoc probabimini*, hac re seu ratione, quam vobis praescribam, probabimini. חֵי פַרְעֹה *Vita Pharaonis!* per vitam Pharaonis juro. LXX. νὴ τὴν ὑγίειαν Φαραώ. Est jusjurandum *per salutem regis*, quemadmodum Romani per *salutem Caesarum* jurabant. Sic et alii ubivis fere gentium, ex recepto tunc temporum adulandi more. *Herodotus* L. IV. Cap. 68. Τὰς δὲ βασιληΐας ἱστίας, Σκύθῃσί τε μάλιστά ἐστιν ὀμνύναι, τότ᾽ ἐπεὰν κ. τ. λ. *Mos est Scythis praecipue jurandi per solium regium, quum maximum volunt interponere jusjurandum.* Plura de hac re vid. in *Dougtaei Analectt. SS.* Exc. XXVII. p. 48. Et apud Persas recentioribus seculis gravissimum esse jusjurandum *per vitam regis*, non unus eorum, qui istas terras inviserunt, negat; vid. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 146. p. 200. — אִם־תֵּצְאוּ מִזֶּה *Si exibitis ex hoc* scil. loco, הַמָּקוֹם, i. e. non exibitis. Videtur elliptica jurandi formula hujus sensus: vivat Pharao, et a me poenas roposcat, si permisero vos hinc abire. Cf. not. ad Ps. LXXXIX, 36. CXXXII, 3. 4. et *Gesenii ausführl. Lehrg.* p. 844.

16. וְאַתֶּם הֵאָסְרוּ *Vos autem ligamini*, i. e. interim in vinculis detinebimini. Omnes promiscue alloquitur, quia nondum, quis iturus esset, constabat. וְאִם־לֹא חֵי פַרְעֹה כִּי מְרַגְּלִים אַתֶּם *Sin minus, vivit Pharao, quod exploratores estis*, tam certum est vos exploratores esse quam Pharaonem vivere, si quod vobis offero non feceritis. Non quod ideo essent futuri exploratores, nisi fratrem adduxissent; sed quod illi ad innocentiam suam tuendam hoc attulissent, quod essent duodecim fratres, quorum minimus apud patrem superesset; itaque nisi hoc ita se haberet, videbantur in se recipere, quod alioquin vellent haberi pro exploratoribus. Ad calcem hujus Ver-

sus in codice Samaritano additur e XLIV, 22.: *Dixerunt: non poterit adolescens a patre discedere; si discesserit a patre suo, morietur* pater. „Durum critico Samaritano visum est, circumstantiam hic omissam, ubi primum narranda fuit, in iterata demum narratione inveniri. Sed et alia ejusmodi exempla in hac ipsa historia occurrent, et alibi similia observavimus; et Samaritae solent audacius emendare codices.“ *Cleric.* Cf. not. supra ad XXX, 36.

17. וַיֶּאֱסֹף אֹתָם אֶל־מִשְׁמָר שְׁלֹשֶׁת יָמִים *Et recepit eos ad carcerem tribus diebus*, i. e. לִהְיוֹת שָׁם שְׁלֹשֶׁת יָמִים *ut essent ibi per triduum*, uti Hebraei exponunt. אָסַף, proprie *collegit*, haud raro est *recipere*, ut Deut. XXII, 2. וַאֲסַפְתּוֹ אֶל־תּוֹךְ בֵּיתֶךָ *et recipias illud ad domum tuam.* In carcerem illos conjecit, ut deliberarent, quem essent missuri, quum initio nullus eorum solus ad patrem redire sustineret, ne se subito novem filiis orbatum quereretur, qui etiamnum Josephi mortem lugebat.

18. זֹאת עֲשׂוּ וִחְיוּ *Hoc facite et vivite*, i. e. et vivetis; si vita vestra vobis curae est, hoc facite. Saepe enim Imperativus pro Futuro Indicativi ponitur, ut supra XX, 7. ubi vid. not. Cf. *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 776. Hieronymus verba illa perperam ita reddidit: *facite quae dixi et vivetis*; quum ad sequentem conditionem sint referenda, quia jam aliam init rationem et consilium, quam prius. Ante enim in vinculis ceteros detinere volebat, uno misso, qui fratrem minimum adduceret (Vs. 16.). Sed quia hoc patri molestissimum fore judicavit, et, si diutius eos detinuisset, periclitaretur interim fame pater cum tota sua familia, nec erat facile hoc audito missurus Benjaminem; ideo aliud illis offert, ut unus vinctus teneatur, donec ceteri fratrem adduxerint. Sunt itaque verba superiora potius ita capienda: si mihi poenas tanquam sontes et exploratores dare non vultis, hoc quod vobis dicam facite. אֶת־הָאֱלֹהִים אֲנִי יָרֵא *Deum ego veneror*, i. e. neque enim volo me erga vos inique et crudeliter gerere, qui Deum fandi et nefandi memorem colo.

19. אֲחִיכֶם אֶחָד יֵאָסֵר בְּבֵית מִשְׁמַרְכֶם *Frater vester unus*, i. e. unus ex vobis *vinciatur domi custodiae vestrae*, passive, ubi vincti fuistis hoc triduo. LXX. ἀδελφὸς ὑμῶν κατασχεθήτω εἰς ἐν τῇ φυλακῇ. שֶׁבֶר רַעֲבוֹן *Annona famis*, i. e. annona ad pellendam famem comparata.

21. אֲבָל אֲשֵׁמִים אֲנַחְנוּ עַל־אָחִינוּ *Vere in culpa sumus propter fratrem nostrum*, luimus propter fratrem nostrum. אֲשֶׁר רָאִינוּ צָרַת נַפְשׁוֹ בְּהִתְחַנְנוֹ אֵלֵינוּ *Cujus animae angustiam vidimus cum supplicaret ad nos*, nos deprecaretur. חָנַן in Hithpael eum significat, qui *gratiam alicujus supplex implorat*. LXX. ὅτε κατεδέετο ἡμῶν.

23. וְהֵם לֹא יָדְעוּ כִּי שֹׁמֵעַ יוֹסֵף *Illi vero nesciebant quod intelligens Josephus*, scil. הָיָה *esset*, quod intelligeret; Participium pro Praeterito positum, ut saepius. Ita Exod. X, 11. *Hoc vos* מְבַקְשִׁים *requirentes*, scil. הֱיִיתֶם *fuistis*, h. e. requisivistis. Conf. Exod. XIII, 21. Deut. IV, 3. et *Gesenii ausführl. Lehrg.* p. 792. כִּי הַמֵּלִיץ בֵּינֹתָם *Nam interpres inter eos erat*. Ubi aut illi Josephum, aut Josephus illos vellet alloqui, adhibuit sibi Josephus interpretem, qui eorum verba sibi et sua illis exponeret.

24. וַיִּקַּח מֵאִתָּם אֶת־שִׁמְעוֹן *Et deprehendit ex iis Simeonem*. Verisimile est, Simeonem ideo a Josepho electum esse, ut in vinculis maneret, dum fratres redirent, quia omnium maxime ira flagrarat, et totius fortasse sceleris in Josephum commissi fratribus auctor fuerat.

28. וַיֵּצֵא לִבָּם *Atque exiit cor eorum*, i. e. valde perturbati sunt. LXX. ἐξέστη ἡ καρδία αὐτῶν, quam phrasin isti interpretes de animi deliquio usurpare solent, uti pluribus ostendit *Dav. Clericus* in *Quaestt. SS.* p. 130. Hieronymus: *obstupefacti turbatique*.

30. וַיִּתֵּן אֹתָנוּ כִּמְרַגְּלִים אֶת־הָאָרֶץ *Et dedit nos tanquam exploratores terrae*, h. e. habuit seu putavit nos tales. LXX. supplerunt בְּמִשְׁמָר *in custodia*, verteruntque ita: καὶ ἔθετο ἡμᾶς ἐν φυλακῇ, ὡς κατασκοπεύοντας τὴν γῆν.

Sed non opus est isto supplemento, quum, ut docet Glassius, *Philol. S.* Lib. I. Tract. 3. Can. XVIII. (p. 228. edit. Dath.) verba, quae *esse* vel *facere* significant, quandoque pro rei opinione ponantur, et intelligenda sint *φαινομένως*, reputative, conf. 1 Reg. I, 21. Prov. III, 7.

32. אֲנַחְנוּ אַחִים בְּנֵי אָבִינוּ *Nos fratres filii patris nostri*, i. e. fratres nos sumus ex eodem patre.

33. וְאֶת־רַעֲבוֹן בָּתֵּיכֶם קְחוּ וָלֵכוּ *Et famem domuum vestrarum accipite et abite*, i. e. annonam, qua ad levandam familiae vestrae famem opus est, accipite, et abite. רַעֲבוֹן pro שֶׁבֶר רַעֲבוֹן positum; vide supra Vs. 19.

34. וְאֶת־הָאָרֶץ תִּסְחָרוּ *Et terram circumibitis*, negotiandi videlicet causa. Recte Hieronymus: *emendi habeatis licentiam.* LXX. *καὶ τῇ γῇ ἐμπορεύεσθε.*

35. וַיְהִי הֵם מְרִיקִים שַׂקֵּיהֶם וְהִנֵּה אִישׁ צְרוֹר כַּסְפּוֹ בְּשַׂקּוֹ *Factum est autem, ipsi evacuantes* erant (cf. supra ad Vs. 23.) *saccos suos, et ecce vir loculus argenti sui in sacco suo* erat, i. e. contigit, ut quum exhaurirent saccos suos, cujusque loculus cum pecunia in suo sacco inveniretur. Verum supra Vs. 27., fratrum unus tantum in diversorio, suo sacco aperto, in eo pecuniam reperisse dicitur; at infra XLIII, 21. rem ita narrat Juda, quasi omnes eodem in loco, quo primo die reduntes in Cananaeam pernoctarant, pecuniam saccis suis inesse deprehendissent. Hic vero, quasi primum omnes praesente Jacobo in saccis pecuniam suam vidissent, res narratur. Haec ita erunt conciliandа, non quod, ut quidam volunt, ubi unus in diversorio id deprehendisset, ceteri apertis suis saccis, explorandi causa, idem invenerint et fecerint; sed quod *aliquot* idem facere potuerint, verum non *omnes*, nisi tandem domi. Quod autem infra XLIII, 21. id omnibus in diversorio accidisse memoratur, dicendum erit, conjungi utrumque, quod in diversorio et quod domi accidit, ut quia uni aut aliquot in diversorio, id accidit, dicat Judas omnibus accidisse.

36. וְשִׁמְעוֹן אֵינֶנּוּ *Et Simeon nullus est;* actum enim de illo putabat, quasi eorum culpa sublatus aut amissus esset sibi. עָלַי הָיוּ כֻלָּנָה *Super me haec omnia* sunt, in me recidunt omnes hae calamitates, nec ad vos has jacturas pertinere putatis.

37. תְּנָה אֹתוֹ עַל־יָדִי *Da eum in manum meam*, i. e. in meam fidem, committe eum curae meae.

38. וּקְרָאָהוּ אָסוֹן בַּדֶּרֶךְ אֲשֶׁר תֵּלְכוּ־בָהּ וְהוֹרַדְתֶּם בְּיָגוֹן שְׁאֹלָה *Mali quidpiam ei in via, quam ingrediemini, accidet, et canitiem meam prae moerore in sepulchrum demittetis*, i. e. si vel huic in itinere aliquid adversi acciderit, ego jam senex prae dolore morerer vestra culpa; vos dabitis occasionem mortis meae.

7. *Jacobi filii a patre Benjaminem in Aegyptum secum abducendum impetrant. Josephus eos trepidos benigne alloquitur, et convivio excipit. Cap. XLIII.*

Cap. XLIII, 2. שִׁבְרוּ־לָנוּ מְעַט־אֹכֶל *Emite nobis aliquantulum cibi*, i. e. annonae. Non est credibile, frumentum a novem viris asportatum tam numerosae Jacobi familiae, quae tot aluit servos, potuisse vel ad paucos dies sufficere. Videntur igitur servi Jacobi aliis fructibus victitasse, ita ut non plus emptum fuerit annonae quam quod Jacobo, liberis et nepotibus ejus ad tempus aliquod sufficeret.

3. הָעֵד הֵעִד בָּנוּ הָאִישׁ *Testando testatus est in nos vir ille*, Josephus, i. e. testibus velut adhibitis et jurejurando nobis denunciavit.

7. עַל־פִּי הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה *Ad os verborum illorum*, i. e. omnino ut ferebant ejus quaesita sic ei respondere nos oportuit. Hieronymus: *juxta id, quod fuerat sciscitatus.* LXX. *καὶ ἀπηγγείλαμεν αὐτῷ κατὰ τὴν ἐπερώτησιν ταύτην.*

9. וְחָטָאתִי לְךָ כָּל־הַיָּמִים *Peccavi tibi omnibus diebus*, i. e. peccati in te commissi reus sim per omnem vitam. Sic Bathseba ad Davidem dixit 1 Reg. I, 21. *Ego*

Ego et filius meus Salomo חַטָּאִים *peccatores erimus coram te*, i. e. rei et sontes habebimur.

11. קְחוּ מִזִּמְרַת הָאָרֶץ בִּכְלֵיכֶם *Sumite de cantico terrae in vasis vestris*, i. e. sumite vobiscum de nobilissimis terrae fructibus, quae alias sunt rariora, ac omnium ore decantantur et celebrantur, quemadmodum vocabulum מִזִּמְרַת et Onkelos intellexit, dum vertit, מִדִּמְשַׁבַּח *ex eo quod laudatum est* in terra. LXX. λάβετε ἀπὸ τῶν καρπῶν τῆς γῆς. וְהוֹרִידוּ לָאִישׁ מִנְחָה מְעַט צֳרִי וּמְעַט דְּבַשׁ נְכֹאת וָלֹט בָּטְנִים וּשְׁקֵדִים *Et deferte ad virum munus, aliquantum balsami et mellis ex uvis passis, aromata, ladanum, pistacea, et amygdala.* De vocibus צֳרִי, נְכֹאת, et לֹט egimus supra ad XXXVII, 25. דְּבַשׁ veteres omnes *mel* verterunt. E recentioribus *Bochartus, Hieroz.* P. II. Lib. IV. Cap. 12. et *Celsius, Hierobot.* P. II. p. 462. succum ex dactylis palmarum nomine דְּבַשׁ indicari putant. Sed utrumque parum verisimile videtur. Mel apiarium enim, ut monet *Michaelis* in *Supplemm.* p. 391., non vile modo donum fuisset, nec ab opulento Jacobo Aegypti proregi offerendum, sed etiam Aegyptio plane superfluum, quum Aegyptus ipsa melle abundet praestantissimo; et profecto parum credibile est, Jacobum aliquid fuisse muneri daturum, quod altera regio abundanti produceret copia. Nec de palmarum melle cogitari potest; palmis enim Palaestina nec nunc abundat, nec umquam valde abundavit, contra Aegyptus earum dives est. Verisimilior igitur videtur sententia Shawii in Itinerario p. 293. vers. german., cui etiam adstipulantur Michaelis loco supra citato, et Warnekros in *Comment. de fertilitate Palaestinae* (Tom. XIV. XV. *Repertorii für biblische und morgenländische Litteratur* inserta), Tom. XV. §. 19., significare דְּבַשׁ *succum ex uvis passis ad mellis propemodum spissitatem decoctum*, Arabibus eodem nomine دِبْس *Dibs* vocatum, cujus nostro etiam aevo ex tractu solo Hebronitico quotannis in Aegyptum tantum mittitur, quantum trecenti cameli ferre possunt. Idem

videtur esse succus, de quo *Kaempferus*, *Amoenitat. Exot.* Fasc. II. p. 380. *Magna uvarum pars coctione redigitur in syrupum, qui butyri locum in mensis pauperum, et pro abstemiis, admixta aqua, vini vices suppleat.* Aegyptus autem vitium vinique inops fuit, ut ostendit Michaelis §. 190. *Juris Mosaici;* oportebat igitur ejusmodi donum Aegyptio valde acceptum esse. בָּטְנִים *pistacia* esse probarunt *Bochartus* in *Geograph. S.* P. II. Lib. I. cap. 10. et *Celsius* in *Hierobot.* Tom. I. p. 24—27., quibus adstipulatus *Michaelis* in *Supplemm.* p. 171. Fuerunt enim pistacia inter Palaestinae dotes. *Plinius Hist. Nat.* Lib. XIII. c. 10. *Syria praeter hanc peculiares habet arbores. In nucum genere pistacia nota. Prodesse adversus serpentium traduntur morsus, et potu et cibo.* *Dioscorides* Lib. I. c. 17. Πιστάκια τὰ μὲν γεννώμενα ἐν Συρίᾳ, ὅμοια στροβίλοις, εὐστόμαχα· ἐσθιόμενα δὲ καὶ πινόμενα ἐν οἴνῳ λεῖα, ἑρπετοδήκτοις βοηθεῖ. *Pistacia, quae quidem in Syria gignuntur, pineis nucibus similia stomacho amica sunt. Sive edantur, sive trita in vino bibantur, contra serpentium morsus auxiliantur.* LXX. τερέβινθον reddunt. Onkelos, Syrus et Arabs vocem retinent; *terebinthum* fortasse, i. e. terebinthi nuces intelligentes, ut suspicatur Michaelis l. c., quia arbor pistacia efferens ad terebinthorum genus refertur. Sed cf. *Winer bibl. Realwörterb.* p. 540. Samaritanus interpres bene פיצטקין *pistacia* reddidit: שְׁקֵדִים *amygdali fructus*, LXX. κάρυα, *nuces*, a radice שָׁקַד *vigilavit*, quia, ut observat Kimchi, ista arbor prima omnium proferat flores, quod et testatur *Plinius, Hist. Nat.* L. XVI. c. 25.

12. כֶּסֶף מִשְׁנֶה קְחוּ בְיֶדְכֶם *Pecuniam iterationis sumite in manu vestra*, i. e. vobiscum, in promtu afferte; sic enim Hebraei loquuntur de eo, quod in promptu et paratum est, ut *in manu esse*, aut *sumi in manum* dicatur. כֶּסֶף מִשְׁנֶה Jarchi *argentum duplex*, seu pecuniam geminam intelligit, respectu ejus, quam primo itinere attulerant, et qua emptum fuerat frumentum, quod, in-

valescente, ut fit, fame, cariore etiam reddito frumento, jam duplo esset illis opus argento. Sed videtur nonnisi altera pecuniae summa, qua iterum frumentum esset emendum, intelligenda, quum infra Vs. 22. כֶּסֶף אַחֵר dicatur. Cf. supra XLI, 43. מִרְכֶּבֶת הַמִּשְׁנֶה.

14. De voce שַׁדַּי vid. supra ad XVII, 1. Verba וַאֲנִי כַּאֲשֶׁר שָׁכֹלְתִּי שָׁכָלְתִּי *ego vero quando orbatus fuero orbatus ero*, varie explicant. Alii ex loco huic simillimo Esth. IV, 16. וְכַאֲשֶׁר אָבַדְתִּי אָבָדְתִּי *sin autem periero periero*, h. e. si me oportet hoc in conatu perire, aequo animo mortem oppetam, nostro loco hunc sensum inesse putant: si me orbari liberis necesse sit, hanc jacturam, quam patientissime potero, feram. Alii, ut Aben-Esra, Munsterus, Dathius: *perinde mihi erit, ac si omnibus filiis orbatus essem*, uti sum jam orbatus Josepho et Simeone, sic et nunc Benjamine orbatus ero. Alii: ubi Josepho orbatus fui, perinde mihi fuit, ac si omni prole essem orbus, quod is mihi longe carissimus esset, et id etiam nunc mihi post illum amissum accidit, ut et alterum amittam, Benjaminem, ita plane sim orbus, quia hic mihi carus restabat. Alii ad omnes referunt, quod jam omnes a se filios dimitteret, quasi diceret: ut jam ante orbatus eram uno et altero, omnibus orbabor deinceps. Sed praestat, ad solum Benjaminem referre, ea, quam Aben-Esra proposuit, ratione.

15. Pro כֶּסֶף מִשְׁנֶה, uti legitur supra Vs. 12., hic est מִשְׁנֶה־כֶּסֶף *iteratum* s. alterum *argentum*, praemisso Adjectivo, quod rarius, ut supra XVII, 14. Jerem. II, 20.; neque enim מִשְׁנֶה est nomen substantivum in statu regiminis, tunc enim מִשְׁנֵה scriptum foret.

16. וַיֹּאמֶר לַאֲשֶׁר עַל־בֵּיתוֹ *Dixitque ei qui super domum ejus*, i. e. ut Hieronymus vertit: *simul praecepit dispensatori domus suae*. וּטְבֹחַ טֶבַח וְהָכֵן *Et mactare mactationem, et parare*, i. e. macta bestias coquendas ad eos laute excipiendos, ac para eos, seu cibum, cibaria. Infinitivi pro Imperativis positi, ut alias saepissime;

vid. *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 783. Nomen טֶבַח LXX. male *θύματα*, et Hieronymus *victimas* reddidere, quum tamen nulla hic sit sacrificii mentio. Significantur pecudes mactandae et convivio parandae, de quibus eadem, quae hic, formula legitur et Prov. IX, 2.; cf. et 1 Sam. XXV, 11. Addit Josephus: כִּי אִתִּי יֹאכְלוּ הָאֲנָשִׁים בַּצָּהֳרָיִם *quia mecum comedent viri illi in meridie*, mecum prandebunt. Onkelos pro בַּצָּהֳרָיִם posuit בְּשֵׁירוּתָא *in prandio*, quum aliis locis, quibus vox Hebraea *merum diei*, seu *meridiem* denotat, טִיהֲרָא ille interpres usurpare soleat, monente Jarchio.

18. וַיִּירְאוּ הָאֲנָשִׁים כִּי הוּבְאוּ בֵּית יוֹסֵף *Timuerunt autem viri, quod adducerentur in domum Josephi.* Metuunt sibi, ubi se vident inusitato more in domum proregis introduci, quum ceteri, qui emptum venirent frumentum, in diversorio aliquo in urbe diversari solerent, uti Jarchi observat, hinc rei novitatem mirati sibi putant insidias strui. עַל־דְּבַר הַכֶּסֶף הַשָּׁב בְּאַמְתְּחֹתֵינוּ *Propter negotium argenti redeuntis*, ob pecuniam repositam *in saccis nostris* בַּתְּחִלָּה *initio*, i. e. prima nostra in Aegyptum profectione. Ita, pro *prima vice* usurpatur בַּתְּחִלָּה et supra XIII, 3. — לְהִתְגֹּלֵל עָלֵינוּ וּלְהִתְנַפֵּל עָלֵינוּ *Ad devolvendum se super nos et ad irruendum super nos.* Haec Infinitiva alii speciatim ad Josephum referunt, *ut sese devolvat et irruat*; alii ad occasionem et furtum, *ut devolvatur in nos* furtum et occasio nos retinendi servos. Sed ut infinita ab omni persona certa sunt exempta, sic haec exponi possunt: *ut sese* Josephus et ejus ministri *devolvant*, et velut dejiciant, *irruant in nos*, per fas et nefas, quacunque arrepta occasione insiliant in nos, ut cum quis in alium se conjicit, simulans quasi ab alio sit impulsus; id enim לְהִתְנַפֵּל indicat. לְהִתְגּוֹלֵל *ad volutandum* supra nos, Clericus metaphoram esse putat e lucta deductam, ubi qui alterum in terram dejicit supra prostratum pro arbitrio volutatur, uti et לְהִתְנַפֵּל idem proprie esse censet, quod Luciano in Dialogo de Gymnasiis per *ἐπικαταπεσεῖν*, *in jacentem irruere* exprimit. Quod pluribus exposuit

P. Zorn in *Biblioth. antiquar. exeget.* p. 905. seqq. Sensum LXX. ita expresserunt: τοῦ συκοφαντῆσαι ἡμᾶς καὶ ἐπιθέσθαι ἡμῖν, eosque sequutus Hieronymus: *ut devolvat in nos calumniam et violenter subjiciat servituti.* Onkelos: לְאִתְרַבְרָבָא עֲלָנָא וּלְאִסְתַּקָּפָא עֲלָנָא *ut dominetur nobis et quaerat occasionem contra nos.*

20. בִּי R. Mose Ben-Nachman interpretatur *in me* scil. dominare; q. d. tuum in me dominium recipio et agnosco, unde semper haec vox cum אֲדֹנִי jungitur, veluti Exod. IV, 10. 13. Alii, *per me*, scil. quaeso. Jarchi putat cum Aramaico בְּיָא convenire, quod tamen ejulantis magis est et dolentis. Sed Onkelos hic habet obsecrantis Particulam, בְּבָעוּ *cum petitione*, i. e. quaeso, qua solet et Hebraeum בָּא reddere. Gesenius in Lexico contracte positum putat pro בְּעִי *precatio*, Job. XXX, 24., ut בֵּל pro בַּעַל.

21. וַיְהִי כִּי־בָאנוּ אֶל־הַמָּלוֹן *Et factum est cum venissemus ad diversorium.* כִּי hic temporis est pro כַּאֲשֶׁר. Simul hic complectuntur tam quod in diversorio, quam quod domum reversis acciderat (cf. not. supra ad XLII, 35.); neque enim voluerunt dicere, domi tantum se hoc deprehendisse. כַּסְפֵּנוּ בְּמִשְׁקָלוֹ *Argentum nostrum invenimus in pondere suo*, pecuniam ut a nobis allata, et nostra opinione persoluta fuit. Utebantur enim, uti supra ad XXIII, 16. notatum est, tum pecunia in certa pondera divisa.

23. שָׁלוֹם לָכֶם *Pax vobiscum;* quae verba hoc loco non sunt salutantis, sed bene sperare jubentis, idemque significant, ac *estote bono animo;* recte habent omnia et salva sunt vobis.

25. כִּי שָׁמְעוּ כִּי־שָׁם יֹאכְלוּ לָחֶם *Audiverant enim se ibi panem comesturos*, i. e. pransuros. LXX. ἤκουσαν γὰρ ὅτι ἐκεῖ μέλλει ἀριστᾷν. Ita *panem comedere* saepius convivari significat, ut Exod. II, 20.

27. וַיִּשְׁאַל לָהֶם לְשָׁלוֹם *Et interrogabat eos de pace*, i. e. interrogabat eos, quomodo valerent. LXX. bene: Ἠρώτησε δὲ αὐτοὺς, πῶς ἔχετε. „Post responsum filiorum

Jacobi sequuutur in Samaritico codice haec verba: ויאמר ברוך האיש ההוא לאלהים *dixitque* (Josephus): *benedictus vir ille Deo*, *εὐλογημένος ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος τοῦ Θεοῦ*, ut habent LXX., qui ea in codice suo legerunt. Neque enim, ut quidam censent, ex Graeco codice haec verba in Samariticum translata crediderim, quum neque umquam versionem illam magni fecerint Samaritae, utpote a Judaeis profectam, neque credibile sit, verba narrationi non necessaria e codice Graeco sumsisse Samaritas, qui passim, ut vel e chronologia liquet, ab eo discrepant." *Cleric.*

29. בֶּן־אִמּוֹ *Filius matris suae*, frater eadem matre natus, seu uterinus, quem ideo prae ceteris diligebat; uterque enim ex Rachela erat. אֱלֹהִים יָחְנְךָ בְּנִי *Deus tibi faveat, mi fili.* Benignior, ut Clerici verbis utar, haec est appellatio, non aetatis multo minoris significatio, quum Josephus Benjamine nisi septem aut octo annis major natu esset, et Benjamin decem jam liberos genuisset, uti liquet ex iis, quae infra XLVI, 21. leguntur.

30. כִּי־נִכְמְרוּ רַחֲמָיו אֶל־אָחִיו *Incaluerunt enim viscera ejus erga fratrem suum;* i. e. amore erga fratrem commotus erat. רַחֲמִים proprie sunt *viscera*, *σπλάγχνα*, quae quum prisci homines sedem affectuum, praesertim misericordiae et amoris existimarent, factum est, ut illo nomine ipsi illi affectus designarentur, et Verbum רָחַם idem sit quod Graecorum *εὐσπλαγχνίζειν*, quasi *intimis visceribus commoveri.* Cf. not. ad Amos I, 11.

31. וַיִּרְחַץ פָּנָיו *Et lavit faciem*, ne lacrimatum esse eum fratres animadverterent. Non male exprimas dissimulationem Josephi verbis *Plinii Epist.* 16. Libr. III. de dissimulatione Arriae loquentis: *Cum diu cohibitae lacrymae vincerent, prorumperentque, egrediebatur; tum se dolori dabat. Satiata, siccis oculis, composito vultu redibat.*

32. כִּי לֹא יוּכְלוּן הַמִּצְרִים לֶאֱכֹל אֶת־הָעִבְרִים לֶחֶם כִּי־תוֹעֵבָה הִוא לְמִצְרָיִם *Quia non possunt Aegyptii comedere*

cum Hebraeis, abhorrentque ab hoc Aegyptii. Rationem addit Onkelos: אֲרֵי בְּעִירָא דְּמִצְרָאֵי דַּחֲלִין לֵיהּ עִבְרָאֵי אָכְלִין *quia pecus, quod Aegyptii colunt, Hebraei comedunt.* Sane obstitere specialia quaedam Aegyptiorum in cibis parandis instituta, ob quae Aegyptii cum peregrinis coenare non poterant. Erant autem illa instituta ita Aegyptiis propria, ut eadem extraneis apud se habitantibus, qualis erat Josephus, non imponerent. Id quod etiam apparet ex Capite sequenti, ubi narratur, Josephum plane contra Aegyptiorum morem cum fratribus cibos sumsisse eosdem. Ita cum Graecis non comedebant Aegyptii, Herodoto teste, Lib. II. c. 41., quia metuebant, ne, si cum Graecis aliisque peregrinis comederent, carnibus vescendum esset cultro impuro, sectione vaccae, quas sacras omnes habebant, polluto. Cf. *das alte u. neue Morgenl.* F. I. No. 149. p. 206.

33. וַיֵּשְׁבוּ לְפָנָיו הַבְּכוֹר כִּבְכֹרָתוֹ וְהַצָּעִיר כִּצְעִרָתוֹ *Et sederunt coram eo primogenitus secundum primogenituram suam, et parvus secundum parvitatem suam,* i. e. primo aetate major, ultimo loco minor collocabatur. וַיִּתְמְהוּ הָאֲנָשִׁים אִישׁ אֶל־רֵעֵהוּ *Et mirati sunt viri quisque ad vicinum suum*, i. e mutuo, non quod, ut nonnulli putant, se tanto viderent honore ab ignoto, ut putabant, homine, terrae principe, affici; sed quod Josephus eos omnes suo quemque ordine juxta aetatis seriem disposuisset.

34. וַיִּשָּׂא מַשְׂאוֹת מֵאֵת פָּנָיו אֲלֵהֶם וַתֵּרֶב מַשְׂאַת בִּנְיָמִן מִמַּשְׂאֹת כֻּלָּם חָמֵשׁ יָדוֹת *Et tulit portiones a conspectu suo ad illos, et auxit portionem Benjaminis supra partes omnium quinque partibus.* Sensus est, Josephum fercula de mensa sua ad fratres adferri jussisse, Benjaminis vero portionem quintuplo quam reliquorum fratrum majorem fuisse. Sic apud Homerum quoque unicuique convivarum sua carnis pars aequa divisione distribuitur, nisi quis honoris causa majore portione donatur. Vid. *Feithi Antiqq. Homericc.* L. III. Cap. 5. p. 304. et *das*

alte und neue Morgenl. P. I. No. 150. p. 207. וַיִּשְׁתּוּ וַיִּשְׁכְּרוּ עִמּוֹ *Et biberunt et inebriati sunt apud eum;* i. e. largius potarunt. Nam ut *satietas* interdum in bonam partem, sic et *inebriandi* Verbum Hebraeis sumitur. עִמּוֹ *Apud eum,* עִם enim non semper denotat *cum,* sed nonnunquam *apud,* ut Ps. CXXX, 4.

8. *Josephus fratres dimittit, atque ex itinere revocat ficto furti crimine; sed territis sese agnoscendum praebet, atque in Cananaeam, muneribus onustos, ut Jacobum patrem accersant, amandat. Cap. XLIV. XLV.*

Cap. XLIV, 4. הֵם יָצְאוּ אֶת־הָעִיר *Ipsi exierunt urbem.* יָצָא hic cum Accusativo construitur, ut Amos IV, 3. et Latine.

5. הֲלוֹא זֶה אֲשֶׁר יִשְׁתֶּה אֲדֹנִי בּוֹ וְהוּא נַחֵשׁ יְנַחֵשׁ בּוֹ *Nonne id ex quo dominus meus bibit? et ipse augurando auguratur eo,* i. e. per eum, calicem, vel et: per quod auguratur, indefinite. Hoc utitur ad auguria et divinationes. De variis modis divinandi per cyathos vid. quae attulimus in *dem alten u. neuen Morgenl.* P. I. No. 153. p. 211. sequ., et κυαθομαντείαν recentioribus adhuc temporibus in Aegypto notam fuisse, patet e Nordenii testimonio illic allato. Neque igitur erat, cur interpretum nonnulli negarent significari hic illum divinandi sive augurandi modum, ut *Wolfg. Balth. Rauner* in Dissertat. *de Josepho non e scypho divinante,* in *Thes. theol. philol. vet.* T. I. p. 239. seqq., *Jo. Casp. Krause de scypho Josephi, Viteb.* 1706., in *Thes. theol. phil. novo* T. I. p. 214. seqq.; et *Car. Aurivillius* in Dissertat. ad h. l., quae inter eas viri hujus Dissertationes, quas edidit J. D. Michaelis, est *decima,* p. 265. seqq. Et ille quidem verbis וְהוּא נַחֵשׁ יְנַחֵשׁ בּוֹ nil aliud dici putat, nisi hoc: *hic,* Josephus, facile *de eo,* s. ea de re *potuit divinare.* Sed recte LXX.: αὐτὸς τε οἰωνισμῷ οἰωνίζεται ἐν αὐτῷ. Et Hieronymus: *et in quo augurari solet.* Prae-

fectus domui Josephi jussu heri, cujus videtur ludi conscius fuisse, sermonem accommodat ad rem institutam.

7. חָלִילָה לַעֲבָדֶיךָ *Profanum* sit *servis tuis*, i. e. absit, ut servi tui tale facinus committant. Onkelos reddidit חַס, proprie: *propitius sit*, scil. nobis Deus, deprecandi et aversandi vox, pro qua seriores Hebraei et חס ושלום usurpare solent. De utraque hac, et Hebraica et Chaldaica, deprecandi formula docte disputarunt *Nic. Fullerus* in *Miscellan. SS.* L. II. Cap. 2. et *Ludov. de Dieu* in *Animadverss. ad Matth.* XVI, 22.

10. גַּם־עַתָּה כְדִבְרֵיכֶם כֶּן הוּא *Etiam nunc juxta verba vestra sic est*, ita fiat. Recte Hieronymus: *fiat juxta vestram sententiam.* Quod tamen non ad omnia, quae illi dixerunt, est referendum, quum aliud statuat, quam ipsi, mitigans poenam, cui se subjecerant, sed ad perquisitionem tantum scyphi, quam admiserant. R. Levi ad eorum probitatem et innocentiam refert, hoc modo: ita est, ut dicitis; non dubito vos innocentes esse; sed interim ego remittam, quod a vobis affertur. Nos illud כֵּן הוּא *ita est*, potius hoc significare censemus: fiat ut vultis; perquiratur, apud quemnam vestrum inveniatur, sed quia nimium severa in vos admittitis, age satis mihi erit, quod vobis proponam.

15. הֲלוֹא יְדַעְתֶּם כִּי־נַחֵשׁ יְנַחֵשׁ אִישׁ אֲשֶׁר כָּמֹנִי *An nesciebatis, virum similem mei*, parem, principem, qualis sum in Aegypto, *omnino auguraturum*, per auguria cogniturum, quid scypho factum esset? Hoc ex Aegypti more dicit, in qua auguria erant usitata. Non vero haec sunt ita accipienda, ut verba praefecti domui Josephi, supra Vs. 5., hoc sensu: num ignorastis virum mihi parem augurari per illum scyphum? neque enim hic exprimitur בל, at antea. Sed hoc vult, illos non ita perfide et temere secum agere debuisse, quem scire potuerint in tanto rerum fastigio facile divinatione et auguriis cogniturum, ut alioqui Aegyptii solent, quis suum scyphum surripuisset.

16. וּמַה־נִּצְטַדָּק *Et quomodo justificabimus nos?* h. e. qua excusatione utemur? quomodo nos defendemus? Hieronymus: *quid juste poterimus obtendere?* Minus accurate. Nam verbum צָדַק in Hithpaël est *ostendere se esse innocentem*, sese a crimine sibi intento purgare, vid. Job. XXXIII, 32. Jerem. III, 11. Ezech. XVI, 52. — הָאֱלֹהִים מָצָא אֶת־עֲוֹן עֲבָדֶיךָ *Deus invenit*, i. e. quum Deus ipse invenerit, in lucem produxerit, deprehenderit *scelus servorum tuorum*, quod nos latere putabamus. Sunt, qui ad crimen venditionis Josephi hoc referant, ob quod se nunc puniri dicant. Sed videtur simplex sensus hic esse, se agnoscere, occulto Dei judicio esse factum, quod illud in ipsis deprehensum fuerit, quasi dicerent: quum plurimorum peccatorum rei essemus, divinitus factum est, ut huc eorum, quae impune tuleramus, poenas daturi descenderemus. Quia cum ignoratur scelus quodpiam, aut sceleris auctor, hic impune abit; ideo *invenire iniquitatem*, quod contrarium est, perinde est, ac ejus poenas exigere. Cf. Hos. XII, 9. et ibi not.

17. הָאִישׁ אֲשֶׁר נִמְצָא הַגָּבִיעַ בְּיָדוֹ הוּא יִהְיֶה־לִּי עָבֶד וגו׳ *Apud quem inventum est poculum, is sit servus meus, vos vero incolumes ad patrem vestrum redire potestis.* Quum Josephus tantam fratribus sollicitudinem strueret, consilium ejus non videtur fuisse, ut eis illuderet aut aegre faceret, atque ita eorum injuriam ulcisceretur, sed ut videret, quomodo erga patrem, et praecipue erga Benjaminem affecti essent, et an Benjamini similiter ut sibi olim in domo paterna infesti essent. Hoc scire volebat: poterantque fratres per hanc occasionem tuto animum suum aperire. Nisi enim patrem sincere amant, si Benjamini invident, non recusabunt, eo in Aegypto relinquere propter culpam ab ipso contractam. Quae bene observat *Hess Geschichte der Israeliten*, P. II. p. 287.

18. Orat Judas Josephum, ne sibi succenseat, si eum in diversum rogarit, quam statuerit, hanc addens rationem, כִּי כָמוֹךָ כְּפַרְעֹה *quia sicut tu sicut Pharao,*

i. e. tu auctoritate et potestate Pharaonem aequas, ideo te aeque irritare metuo ac Pharaonem. כ ita ut hic geminatum similitudinem omni ex parte absolutam indicat, vid. Levit. VII, 7. XXIV, 16.

21. וְאָשִׂימָה עֵינִי עָלָיו *Et ponam oculum meum super eum*, i. e. ut eum videam, Aben-Esra exponente. Sed recte LXX, ἐπιμελοῦμαι αὐτοῦ. Ejus curam habebo, ei prospiciam; cf. Jerem. XXIV, 6. XXXIX, 12.

30. וְנַפְשׁוֹ קְשׁוּרָה בְנַפְשׁוֹ *Et anima ejus alligata est ejus animae*, h. e. pendet vita patris ab hujus filii vita. Occurrit et 1 Sam. XVIII, 1.

31. Pro הַנַּעַר Samaritanus addit אתנו *nobiscum*, consentientibus LXX. Syro et Chaldaeo.

Cap. XLV, 5. אַל־יִחַר בְּעֵינֵיכֶם *Neque ira sit in oculis vestris*, h. e. neque nimium animos angat commissi in me peccati memoria. LXX. μὴ δὲ σκληρὸν ὑμῖν φανήτω. כִּי לְמִחְיָה שְׁלָחַנִי אֱלֹהִים לִפְנֵיכֶם *Nam ad victum me Deus misit ante vos*, i. e. me vobis praemisit, ut victui necessaria vobis suppeditarem. Ceterum, apposite observante Clerico, Josephus ut fratrum animos a sceleris ipsorum sui recordatione averteret, eorum culpa missa, illud eis ante oculos ponit, quam feliciter Deus mala eorum consilia in utilitatem et ipsorum et fratris convertisset; quasi eos hisce verbis compellaret: tantum abest, ut doleam nunc, me olim a vobis venditum, et in Aegyptum abductum esse, ut contra hac de re mihi gratuler; quia Deus opera mea ad vos servandos utitur. Quando enim dolorem commissi peccati minuere volumus, quid boni inde fluxerit, memoramus.

7. וַיִּשְׁלָחֵנִי אֱלֹהִים לִפְנֵיכֶם *Misit me Deus ante vos.* Repetit hoc iterum iterumque, ut fratres, suam sceleratam fratris venditionem animo versantes, a tam tristi cogitatione abducantur, atque ut intelligant, ipsum ab omni vindictae cupiditate vacuum esse. לָשׂוּם לָכֶם שְׁאֵרִית בָּאָרֶץ *Ad ponendum vobis residuum in terra*, i. e. ut superstites maneatis. וּלְהַחֲיוֹת לָכֶם לִפְלֵיטָה גְּדֹלָה *Et ad vivifi-*

candum vobis in liberationem magnam, i. e. ut mirum in modum servemini. Potest et פְּלֵיטָה גְּדֹלָה ad magnitudinem posteritatis deinceps e tribubus propagandae referri.

8. וַיְשִׂימֵנִי לְאָב לְפַרְעֹה *Et posuit me in patrem Pharaoni.* „Observandum, loquutionem hanc gentibus ad Orientem positis valde fuisse frequentem, sive ea designaretur dignitas quaedam ex eminentioribus, sive, honoris tantum causa, viri de republica bene meriti titulo hoc compellarentur. In apocrypho libro Esther XIII, 6. Artaxerxes Persarum rex ita de Hamane scribit: ὑπὸ Ἀμὰν τοῦ τεταγμένου ἐπὶ τῶν πραγμάτων, καὶ δευτέρου πατρὸς ἡμῶν. Ubi videntur quaedam excidisse, quae illustrari possint ex Cap. XVI. 11., ubi haec habentur: ἔτυχεν (Ἀμὰν) φιλανθρωπίας ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε ἀναγορεύεσθαι ἡμῶν πατέρα, καὶ προσκυνούμενον ὑπὸ πάντων τὸ δεύτερον τοῦ βασιλικοῦ θρόνου πρόσωπον διατελεῖν. Ita quoque 1 Maccab. XI, 32. Demetrius Syriae rex Lastheni, uni ex ducibus suis bellicis, hunc in modum scribit: Βασιλεὺς Δημήτριος Λασθένει τῷ πατρὶ χαίρειν. Saracenorum porro imperatores, sive Chalifas, praecipuos regni sui administros, quos Vezirios vocant, nuncupasse etiam *patres* suos, ex Elmacino colligi potest in Vita Harunis ar-Raschidii in *Hist. Sarac.* p. 112. Vid. etiam *Herbelotii Biblioth. Orient.* sub voc. *Atabeck*, et Historiam vitae Tamerlanis ex Persico in Gallicum sermonem conversam T. III. p. 221." *P. E. Jablonskii Opuscc.* T. I. p. 206. Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 154. p. 213.

9. אַל־תַּעֲמֹד *Ne stes*, i. e. ne cuncteris.

10. Quum Jacobo molestum esse potuerit, inter Aegyptios vivere, peculiarem illi assignat tractum Aegypti incolendam. וְיָשַׁבְתָּ בְאֶרֶץ־גֹּשֶׁן *Et incoles terram Gosenitidem.* De ejus situ valde dissentiunt eruditi, quorum sententias potiores docte expendit *P. E. Jablonsky* in *octo de terra Gosen Dissertt.*, quae junctim prodierunt *Francofurti ad Viadrum* 1736. et repetitae sunt in *Opuscc.* T. II. p. 77. seqq. Et ipse qui-

dem terram Gosen in Aegypto superiori collocat, in Heptanomide sive illa Aegypti parte, quae inter Thebaidem et Aegyptum inferiorem intermedia est; eandemque esse putat, quae a scriptoribus Graecis νομὸς Ἡρακλεώτης *Nomus Heracleopolites*, sive *praefectura Heracleopolica* appellari solet. Erat autem haec praefectura insula, quam facit Nilus et canalis ex illo derivatus, qui *canalis Josephi* ad hunc usque diem dicitur, Nili aquas ad regionem Fijum deferens. Hanc vero insulam multo latius patere, atque adeo regionem Fijum complecti, et in hac maxime consedisse vult Israelitas. Sed refutavit et plane falsam esse hanc Jablonskii sententiam ostendit Michaelis in *Supplementt.* p. 379. Collocat enim Jablonskius Gosenitidem ad sinistrum latus Nili, quem tamen egredientes ex Aegypto Israelitas superasse, nusquam legimus. Nec potuisset tertiis castris populus Israeliticus ex hac regione in sinum Arabicum pervenire, quod tamen dicitur Exod. XIII. XIV. Aliam igitur proponit sententiam de terrae Gosen situ Michaelis l. l. p. 374—378. Nempe Gosenitidis latus septentrionale a Philistaea usque ad ostium Taniticum, ubi nunc est Damiata, exporrectum fuisse putat. Philistaeam enim ab oriente Gosenitidi vicinam fuisse, apparet ex Exod. XIII, 17. et 1 Paralip. VII. 21. Ad occidentem vero haec terra desertum Gofar complexa esse videtur, arenosum quidem et sterile, paucos tamen fontes habens, ac loca, in quibus oves pasci possent; nec minus illa, quae Heliodorus in Aethiopicis descripsit circa Nili ostia, bucolia, armentorum gregibus pascendis inprimis apta. Limes fuisse videtur ad occidentem non Nilus ipse, sed agri ad Nilum siti; hi arabantur, quod vero ultra eos ad Orientem porrigebatur, Gosen, pascuum desertum erat. Porro a mari mediterraneo, in confiniis Palaestinae et Aegypti, i. e. Raphia, lineam ducendam existimat Michaelis ad Heroopolin; huc enim usque Gosenitidem pertinuisse putat versione LXX. Interpretum permotus, qui Genes. XLVI, 28 ubi bis גֹּשֶׁן occurrit, verterunt καθ᾽ Ἡρώων πόλιν εἰς γῆν Ῥαμασσῆ, quibus cur non

fides habenda sit in rebus Aegyptiacis nulla causa est Praeterea dubium vix est, quin et magna pars Arabiae Aegyptiae, Heroopoli et Heliopoli, ad austrum sita (nunc Matarea), Gosenitidi accensa fuerit, quamquam definiri non potest, quousque patuerit. LXX. enim h. l. גֹּשֶׁן vertunt Γεσὲν Ἀραβίας, Arabiae autem nomine in geographia Aegypti eam intelligendam esse partem, quae ab Oriente Nili est, Michaelis monet l. l. Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 155. p. 215. וְהָיִיתָ קָרוֹב אֵלַי *Erisque mihi vicinus.* Oportebat enim Josephum perpetuo in aula versari, quum praefectus regni esset. Metropolis autem Aegypti eo tempore, quo Israelitae in Aegypto fuerunt, erat vel Memphis vel Tanis; utraque urbs in vicinia ejus, quam descripsimus, Gosenitidis sita erat. Hinc Josephus dicere potuit, patrem suum non nimis ab ipso remotum fore.

11. פֶּן־תִּוָּרֵשׁ אַתָּה וּבֵיתְךָ *Ne forte ad inopiam adigaris tu et domus tua*, ne cum familia tua inedia absumi et perire cogaris omnibus divenditis emendi frumenti causa. יָרַשׁ passim idem quod רוּשׁ *pauperem esse* vel *fieri*, significatione *haereditandi* in contrariam quasi exhaereditandi et spoliandi rebus omnibus mutata.

12. וְהִנֵּה עֵינֵיכֶם רֹאוֹת וְעֵינֵי אָחִי בִנְיָמִין כִּי־פִי הַמְדַבֵּר אֲלֵיכֶם *Et ecce oculi vestri et oculi fratris vestri Benjaminis vident, quod os meum loquitur ad vos*, i. e. vos ipsi et frater meus Benjamin me videtis et me auditis vobiscum colloqui; non alium audistis, qui me incolumem narraret et nomine meo vos alloqueretur, sed me ipsum vidistis et audivistis loquentem.

18. וְאֶתְּנָה לָכֶם אֶת־טוּב אֶרֶץ מִצְרַיִם *Dabo vobis bonitatem Aegypti*, i. e. opimum Aegypti tractum, et alendis pecoribus aptissimum. טוּב enim est Substantivum, sed טוֹב, per Cholem, Adjectivum. וְאִכְלוּ אֶת־חֵלֶב הָאָרֶץ *Et comedite*, i. e. comedetis *adipem terrae*, fovemini optimis quibusque hujus regionis. Sic חֵלֶב et alias, veluti Deut. XXXII, 14. Ps. LXXXI, 17., pro מֵיטַב, id est,

opima parte et optima quaque sumitur. טוב speciale erit ad terram lectiorem et opimam, *adeps* autem generale ad optima quaeque.

19. וְאַתָּה *Et tu*, apostrophe ad Josephum. צֻוֵּיתָה *Jussus es*, scil. a me, ut hoc scilicet iis injungas. Tu ipse potes quaecunque visum erit Aegyptiis super patre tuo huc vehendo mandare. קְחוּ-לָכֶם מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם עֲגָלוֹת *Sumite vobis e terra Aegypti plaustra.* Plaustra, sive currus tum in Palaestina nondum in usu fuisse videntur. In Aegypto autem, quae plana est regio, et prima prae reliquis terris utebatur equis, eorum usus jam invaluerat. Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 156. p. 216.

20. וְעֵינְכֶם אַל תָּחֹס עַל כְּלֵיכֶם *Oculus vester non parcat vasis vestris*, i. e. ne vos tantus amor et desiderium teneat vestrorum utensilium, aut suppellectilis vestri, ut ea vos illinc, aut patrem detineant, aut doleat vobis, quod aliqua commode vobiscum auferre non possitis. Hebraei contrario sensu ita verba capiunt: ne quicquam relinquite utensilium vestrorum. Alii utrumque complectuntur hoc modo: ne grave sit vobis aut in plaustra imponere et illis comportare quicquid voletis utensilium vestrorum, plaustris ita non parcentes, aut etiam missum facere, si quid commode exportari non potest; hic enim vobis etiam optima quaeque abunde suppetent. Sed usui loquendi, quo Hebraei *oculum* parcere dicunt iis, quae servantur, *non parcere* iis, quae perduntur (vid. Deut. VII, 16. XIX, 18. 21.), et iis quae sequuntur, accommodatius videtur, solo hoc sensu capere: nolite ita pretiosa et chara vestra suppellectilia ducere, ut ea relinquenda vobis non censeatis.

22. לְכֻלָּם נָתַן לָאִישׁ חֲלִפוֹת שְׂמָלֹת *Omnibus dedit, unicuique mutationes vestium*, i. e. vestes splendidas, quibus priores permutarent. Saadias vertit خلعة, quo nomine *vestis pretiosior*, qua quis a principe honoris

ergo donatur, designatur. Onkelos: אִסְטְלָוָן דִּלְבוּשִׁין *stolas vestimentorum.* Alii *geminas vestes* intelligunt, quia vestes, ut mutari queant, geminas saltem esse oportet. Ita reddiderunt LXX. *διασὰς στολὰς*, Hieronymus *binas stolas*, et Syrus: ܙܘܓܐ ܕܢܚܬܐ *par vestimentorum.* Textus Samaritanus Singularem habet, חליפת, cum quo tres codices Hebraei consentiunt. Ceterum ex itinerum commentariis constat, vestimenta etiamnum in Oriente regum et magnatum munera esse, quibus eos, quibus favent, ornant. Vid. *Paulsen von der Regierung der Morgenländer*, L. II. Cap. II. Sect. I. p. 450.—454., et *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 157. p. 217.

23. וּלְאָבִיו שָׁלַח כְּזֹאת *Patri autem suo misit sicut hoc*, i. e tale munus quod sequitur. Alii ad praecedentia referunt: talia quae fratribus, et insuper insequentia. Ita LXX. *κατὰ τὰ αὐτὰ*, et Hieronymus: *tantumdem pecuniae et vestium mittens patri suo.* Sed tum oporteret sequi praemissa copula: וַעֲשָׂרָה. Quae quum hic absit, verba ita sunt capienda uti diximus, ut patri alia missa fuerint, quam fratribus nunc data; quia adducendus erat e terra Cananaea commodissime, illi mittit quae protinus recensentur.

24. Verba אַל־תִּרְגְּזוּ בַּדָּרֶךְ verti possunt vel, *nolite timere in via* sive *in itinere*, vel, *nolite rixari in itinere.* Verbum רָגַז enim significat et *pavore commoveri*, ut Exod. XV, 14. Deut. II, 25. Ps. IV, 8. occurrit, et *irasci, ira commoveri*, i. e. *rixari*, ut Proverb. XXIX, 9. et Es. XXVIII, 21. Ps. IV, 5. Si priorem significationem h. l. adhibemus, sensus hic erit, *nihil timeatis*, ut eos moneret, ne iter facientes tale quid vererentur, quod eis in priore itinere accidisset; si vero posteriorem, *ne irascamini*, scil. alii aliis, erit: ne rixemini, venditionem meam vobis invicem exprobrantes.

26. Verba וַיָּפָג לִבּוֹ plures ita reddunt: *animi deliquium passus est*, scil. prae nimia laetitia. Sed hoc verbis, quae sequuntur, כִּי לֹא הֶאֱמִין לָהֶם *nam fidem eis*

non habuit, parum aptum est. Igitur melius פוג ex significatione verbi Syriaci et Arabici, *frigere*, vertitur, ut Michaelis et Dathius fecerunt, ita ut sensus sit: *verum ille hoc parum commovebatur.* Michaelis: *sein Herz blieb aber kalt.*

9. *Jacobus in Aegyptum, Deo volente, proficiscitur cum universa familia, quae recensetur. Obviam ei procedit et cum eo congreditur Josephus, fratresque ad Pharaonem intromissurus quid dicendum sit docet.*

Cap. XLVI.

Cap. XLVI, 1. Initio hujus Capitis (Vs. 1—4.) refertur visio et oraculum Dei ad Jacobum, quo confirmatur, ne timeat in Aegyptum descendere. Licet enim a filio vocaretur, tamen in dubio erat, num id Deo placeret, a quo promissionem acceperat de haereditate et possessione terrae Canaan, et vereri poterat, ne eo itinere irrita fieret tam insignis promissio. Ut igitur certus fieret, priusquam e finibus terrae Canaan prorsus excederet, Deum ea de re consulere secum statuit. וַיָּבֹא בְּאֵרָה שָׁבַע וַיִּזְבַּח זְבָחִים לֵאלֹהֵי אָבִיו יִצְחָק *Venitque Beersabam et immolavit* illic *victimas Deo patris sui Isaaci.* De Beersaba vid. not. ad Genesin XXI, 14. 33. Quum hic locus esset ad meridiem Hebronis, ubi Jacobus habitabat, per eum transeundum fuit, si quis in Aegyptum proficisci voluit. Hoc in loco Abrahamus sacra olim Deo fecerat et quercetum plantaverat. Erat igitur locus ille precibus et sacrificiis ac oraculis accipiendis accommodatissimus.

4. אָנֹכִי אֵרֵד עִמְּךָ מִצְרַיְמָה *Ego descendam tecum in Aegyptum*, i. e. tibi illic descensuro tanquam comes adero. וְאָנֹכִי אַעַלְךָ גַם־עָלֹה *Et ego faciam adscendere te etiam ascendendo*, i. e. certo efficiam, ut inde rursus adscendas, illinc te reducam, i. e. posteros tuos. Jacobus enim ipse numquam in Palaestinam rediit. Progenitor pro posteris nominatur, uti saepius. Ipsum enim in Ae-

gypto moriturum esse protinus his verbis innuit; וְיוֹסֵף יָשִׁית יָדוֹ עַל־עֵינֶיךָ *Et Josephus manum oculis tuis imponet*, i. e. claudet tibi oculos, morituro tibi aderit et ultimum officium praestabit. Antiquissimus, non solum Hebraeorum verum et Graecorum mos erat, ut morituro carissimus quisque clauderet oculos. Ita apud Homerum Laertes dolet, quod Ulyssi ab uxore oculi non clausi essent. *Odyss. XXIV.* v. 294. — Φίλον πόσιν, ὡς ἐπέοικεν, Ὀφθαλμοὺς καθελοῦσα· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. (*Non ploravit in lectis*) *dilectum maritum, sicut decebat, Oculos claudens; hic enim est honos mortuorum.* Vid. et *Odyss. XI.* 424. *Iliad. XI.* 452. Cf. *Dougtaei Anall. SS.* Exc. XXX. p. 52., et *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 158. p. 218.

7. בְּנֹתָיו *Filiae suae.* Enallage numeri, frequens in Genealogiis; habuit enim Jacobus unam tantum filiam, Dinam. Ita hoc ipso Capite Vs. 23. dicitur: *et filii Dan Chuschim.* Similia exempla occurrunt Numer. IV, 27. XXVI, 8. Cf. not. supra ad XXXVII, 35.

8. Hic incipit catalogus filiorum et nepotum Jacobi, qui cum eo in Aegyptum venerunt, usque ad pronepotes jam tum natos, usque ad Vs. 27. — אֵלֶּה שְׁמוֹת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל הַבָּאִים מִצְרַיְמָה *Haec sunt nomina filiorum Israelis venientium in Aegyptum*, i. e. qui venerunt, quasi in actu ipso positorum, ut venirent simul cum Jacobo in Aegyptum, ideo Participio usus est, non Praeterito, Jarchio notante his verbis: על שם השעה קורא להם הכתוב באים ואין לתמוה על אשר לא כתב אשר באו *Respectu temporis, quod tunc erat, vocat illos venientes Scriptura*, i. e. usurpavit Moses Praesens, *nec est, cur miremur, quod non scripserit* אֲשֶׁר בָּאוּ *qui venerunt*, i. e. quamvis eo tempore, quo haec scripsit Moses, jam longe antea venerint in Aegyptum. Cf. infra Vs. 26. Ceterum quum praefatus esset, se velle nomina filiorum Israelis, sive Jacobi, qui in Aegyptum migrassent, recensere, tamen illorum nominibus Jacobi nomen praemittit (יַעֲקֹב וּבָנָיו). Sed

quia Jacobus dux et caput erat illorum, qui in Aegyptum migrarunt, ideo eum cum filiis connumerat, et primo loco ponit. Deinceps sequitur catalogus ipse, ubi non eundem observat ordinem, quem supra XXIX, 32. seqq., et XXX, 5. seqq. in recensendis filiis Jacobi est sequutus, eum, puta, quo nati sunt singuli; at hic, uti supra XXXV, 23. seqq., cujusque uxorum et ancillarum filios simul ponit, non habita ratione nativitatis eorum, nunc prius nunc posterius natos afferens. Itaque primo loco (Vs. 9—14.) Leae, dominae, filios omnes ponit, et ex his procreatos nepotes et pronepotes, qui in Aegyptum cum Jacobo descenderunt, licet duo ultimi, Issachar et Sebulon, sint nati penultimi ante Josephum et Benjaminem, post ancillarum filios. Mox subjungit (Vs. 15—18.) Silpae, ancillae Leae filios, etsi non sint nati nisi post filios Bilhae, ancillae Rachelae. Sed hoc fecit, quia semel absolvere voluit filios Leae, dominae et ancillae ejus. Sic postea tandem ad filios alterius dominae, Rachelae, transibit (Vs. 19—22.), etiam ejus ancillae, Bilhae, filiis subjunctis (Vs. 23. 24. 25.). Ceterum de nominibus, quae in hoc catalogo recensentur, docte disputavit *Ed. Bernardus* in Annotatt. ad Josephi *Antiqq.* L. II. Cap. 7. §. 2.

10. Filiis Simeonis hoc Versu recensitis praemittendum fuisse patris, Simeonis nomen, quemadmodum Rubenis filiis (Vs. 9.) praemissum fuit patris nomen (Vs. 8.), et sic etiam reliquorum patriarcharum filiis deinceps recensitis praemittenda esse ipsorum nomina, eaque a Mose adjecta fuisse, sed librariorum incuria omissa, statuit *Sam. Shuckford* in opere, cui titulum fecit: *the sacred and profane history of the World connected* T. II. L. VII. p. 141. vers. teuton., atque nomina illa textui restituenda censet, quia, si nominum, quae expresse ponuntur, numerum computes, tot in calculo omnium a Mose facto defuturi sint, quod nomina antea neglecta. Verum nihil textu excidisse, et recensionem patriarcharum, praeter Rubenem, ab ipso Mose neglectam fuisse,

ostendit *Geo. Dav. Kypke* in Dissertat. *de integritate Capitis XLVI. Geneseos contra celeb. Angli Sam. Shuckfordii dubia vindicata*, Hal. 1744. in quat. „Supervacaneam,“ inquit p. 13., „fuisse illam recensionem, ipse textus suadet. In catalogum stirpis Jacobi in Aegyptum venientis, referendos esse filios Jacobi omnes, patet ex ipso Vs. 8. collato Genes. XLIX., sive Exod. I, 1. seqq., ubi expresse dicitur, venisse in Aegyptum Jacobum et filios ejus, et hos quidem omnes. Quot vero fuerint filii Jacobi, et quaenam eorum nomina, illud jam ex antecedentibus Geneseos Capitibus abunde constabat, et implicite hoc quoque loco indicabatur. Ex eo autem, quod Rubenis speciatim traditur nomen, reliquorum quoque nomina adjecta fuisse, concludi minime potest. Ita enim, quando Numer. XXVI, 5. seqq. in familiarum ex progenie Jacobi ortarum recensione, solius Rubenis seorsim ponitur nomen, reliquorum vero nomina omittuntur, parem esse rationem, et ibi quoque eandem in textum irrupisse labem contenderem. Rubenis non ideo hic expresse dicitur nomen, quasi numero filiorum Jacobi inserendum, hoc enim ex eo capite necessarium non erat, quum ille jam sub communi denominatione בְּנֵי יַעֲקֹב contineretur; sed haec potius suberat ratio, ut illum significaretur Jacobi fuisse primogenitum; quod quum de reliquis dici non posset, nomina eorum negligi tuto poterunt. Sed supererit adhuc quaestio: cur tandem infra Vs. 19. nomina filiorum Rachelis seorsim adjecta sint? Respondeo, primo id factum esse forsan, ut a reliquis per hoc etiam distinguatur, quae primaria et dilectissima Jacobi conjux erat Rachel, quia etiam expresse hic et prae aliis אֵשֶׁת יַעֲקֹב appellatur, et deinde quoque, ut nexus, qui ob variatum Versu 20. recensendi modum haud ita planus fuisset, conservetur.“ Ceterum quinque Simeonis filii hoc Versu recensiti, Jemuel, Jamin, Ohad, Jachin, et Zohar, videntur ex una matre fuisse, sextus vero, Saul, fuit ex alia matre, dicitur enim בֶּן־הַכְּנַעֲנִית *filius Cananaeae.* Verisimile est, voluisse Mosen damnare factum Simeonis, qui

praeter majorum morem Cananaeam uxorem duxerit, ideo seorsim hunc filium commemoravit.

12. וַיָּמָת עֵר וְאוֹנָן בְּאֶרֶץ כְּנָעַן *Mortuus est autem Er et Onan in terra Canaan*, ideo non sunt connumerandi cum iis, qui una cum Jacobo in Aegyptum descenderunt. Sed quia Moses simul totam genealogiam afferre voluit eorum, qui nati sunt ex Jacobo, priusquam in Aeyptum descenderet, sive sint mortui ante ejus descensum, sive eum illuc sint comitati, ideo hos praetermittere noluit inter ceteros. Neque enim in hac genealogia exhibenda Mosen hoc solum spectasse, ut nonnisi eos Jacobi posteros, qui cum eo in Aegyptum migrarunt, recenseret (Vs. 26.), verum consilium ejus simul et hoc fuisse, ut cum integram posterorum Jacobi genealogiam hoc uno loco, tum praeterea numerum eorum omnium, qui e Jacobi prosapia in Aegyptum venerunt, exhiberet, sive una cum Jacobo, sive ante eum, ut Josephus, illuc venerint, sive denique post Jacobi demum adventum illic nati fuerint, recte monet *J. A. Kanne* in *den bibl. Untersuchungen u. Auslegungen* P. II. p. 58. seqq. Quae quum ita sint, nihil jam difficultatis habebit, quod in hoc catalogo infra Vs. 20. Josephi filii in Aegypto nati, et hoc nostro Versu 12. Pherezi filii, Chezron et Chamul, recensentur, qui Jacobo in Aegyptum sese conferente vix jam nati esse potuerunt, uti subductis calculis concludit Shuckfordus l. l. p. 144., quocum convenit Ilgenii quamvis aliter instituta ratio, in *dem Jerusalemschen Tempelarchiv*, p. 417. Quibus duumviris quum varia illam quam huic loco inesse difficultatem putarunt, tollendi interpretum tentamina non satisfacerent, totum hunc locum mendosum esse judicarunt. Quod tamen recte perspecto Mosis in hoc catalogo exhibendo consilio minime necesse erit, uti Kanne l. l. pluribus ostendit. Operosius nodum, quem plures interpretes hic sibi deprehendere visi sunt, solvere tentavit Kypke in Dissertat. ad Vs. 10. laud. p. 21. seqq.

13. Qui hic יוֹב vocatur, is Num. XXVI, 24. et 1 Paral. VII, 1. יָשׁוּב appellatur. Illud nomen magis

Arabicum, hoc Hebraeum est; utrumque vero *reverten-tem* denotat. Vid. not. supra ad XXVI, 34.

15. אֵלֶּה בְּנֵי לֵאָה אֲשֶׁר יָלְדָה לְיַעֲקֹב בְּפַדַּן אֲרָם *Hi sunt filii Leae, quos peperit Jacobo in Mesopotamia.* Atqui ex his omnibus sex tantum nati sunt in Mesopotamia, reliqui in terra Canaan. Sed hoc ad ipsa horum capita et parentes primos sex est referendum; nam ceteros non proprie peperit Lea. Sunt igitur verba ita capienda: hi sunt sex Leae filii, una cum nepotibus et pronepotibus inde ortis, quos ea Jacobo genuit in Mesopotamia, licet ceteri deinceps in terra Canaan nati sint. כָּל־נֶפֶשׁ בָּנָיו וּבְנוֹתָיו שְׁלֹשִׁים וְשָׁלֹשׁ *Omnis anima*, i. e. animae *filiorum filiarumque ejus erat triginta tres;* exclusis scilicet duobus Judae filiis, qui in Cananaea obierunt, et numerato Jacobo.

20. Post Manassem et Ephraimum LXX. haec addunt: *Ἐγένοντο δὲ υἱοὶ Μανασσῆ, οὓς ἔτεκεν αὐτῷ ἡ παλλακὴ ἡ Σύρα Μαχίρ. Μαχὶρ δὲ ἐγέννησε τὸν Γαλαάδ. Υἱοὶ δὲ Ἐφραῒμ ἀδελφοῦ Μανασσῆ, Σουτελαὰμ καὶ Τααμ· υἱοὶ δὲ Σουταλαὰμ Ἐδώμ.* Quae translata sunt ex 1 Paral. VII, 14. et fortasse olim ad marginem ab aliquo fuerunt adscripta, deinde textui illata. Certe non exstant in textu Samaritano.

23. וּבְנֵי דָן חֻשִׁים *Et filii Dan: Chuschim*; cf. not. supra ad XXXVI, 25.

26. כָּל־הַנֶּפֶשׁ הַבָּאָה לְיַעֲקֹב מִצְרַיְמָה *Omnis anima veniens*, i. e. omnes venientes *Jacobo*, cum eo *in Aegyptum*, יֹצְאֵי יְרֵכוֹ *egressi e femore ejus*, i. e. ex eo descendentes, non quidem ab ipsomet geniti, sed vel ab eo, vel a filiis, aut nepotibus ejus, sunt שִׁשִּׁים וָשֵׁשׁ *sexaginta sex.* In quo numero jam noli superiorem numerum (Vs. 15.) XXXIII. statuere, quum in eo esset Jacobus, nec ipse potuerit e suo femore egredi, sed tantum XXXII.; alioqui essent LXVII. Jam recte omnia procedent: XXXII. et XVI. sunt XLVIII., adde XIV. e Rachela, fient LXII.; jam e VII. e Bilha ortis tolle tres, qui in Aegypto jam erant, Josephus cum duobus filiis, habebis LXVI.

27. כָּל־הַנֶּפֶשׁ לְבֵית־יַעֲקֹב הַבָּאָה מִצְרַיְמָה שִׁבְעִים *Summa igitur totius familiae Jacobi*, quae venit *in Aegyptum*, *fuit capitum septuaginta.* Nam ad LXVI. (Vs. 26.) adde Josephum et duos ejus filios, qui jam erant illic, fiunt LXIX., adde Jacobum, caput omnium, erunt LXX. Ideo in hoc summo numero non dicit, ut in Versu superiore: *omnes animae egressae e femore Jacobi;* sed: *omnes animae domus Jacobi ingressae Aegyptum,* quae videlicet aut tunc cum Jacobo venerunt, aut jam venerant. LXX. addunt *quinque*, ἑβδομήκοντα πέντε ob quinque illos Manassis et Ephraimi filios Vs. 20. ab illis ex 1 Paral. VII, 14. additos. Sequitur τῶν LXX. versionem Stephanus, Act. VII, 14. quia cum Judaeis Hellenistis, qui ea utebantur, disputat. Cf. Act. VI, 9. Varia Stephanum cum fonte Hebraeo conciliandi tentamina vid. in *Sebast. Schmidii Dissertat.* ad h. l., quae prodiit Argentor. 1688., et repetita legitur in *Thesauro theol. philolog.* (vet.) T. I. p. 246. seqq.

28. לְהוֹרֹת לְפָנָיו גֹּשְׁנָה *Ad monstrandum ante eum Goschenam*, i. e. dirigendum et praeparandum omnia, ut recte Onkelos: לְפַנָּאָה קֳדָמוֹהִי לְגֹשֶׁן *ut praepararet locum ante se in Gosen.* Rogat Jacobus Josephum, ut locum sibi ab eo destinatum paratum, nec ab aliis occupatum inveniret, in quo cum suis tabernacula sua figere posset. Pro לְהוֹרֹת codex Samaritanus habet לקראות, quod et LXX. legisse videntur, qui habent συναντῆσαι αὐτῷ, *ut obviam ei veniret*, ex quo *Michaelis Orient. Biblioth.* P. IX. p. 208. conjecit, genuinum id esse. Ita קְרָא esset pro קְרָה, ut supra XLII, 4. 38. XLIX, 1. et Infinitivus קראות plene occurrit Judic. VIII, 1. Nulla tamen mutatione est opus.

30. אָמוּתָה הַפָּעַם אַחֲרֵי רְאוֹתִי אֶת־פָּנֶיךָ *Moriar hac vice*, jam libens moriar, *postquam vidi faciem tuam*, postquam tuo adspectu rursum frui datum est, ante injucunda et molesta fuisset mors. Onkelos: אִילּוּ אֲנָא מָאִית זִמְנָא הָדָא מְנַחַם־אֲנָא *si ego nunc morerer jam solatium accepissem*, *postquam vidi faciem tuam.*

34. כִּי־תוֹעֲבַת מִצְרַיִם כָּל־רֹעֵה צֹאן *Quia abominatio Aegypti est omnis pastor ovium.* Quae verba Mosis esse possunt rationem reddentis, cur Josephus id, quod Pharaoni dicere debeant fratres, ipsis suaderet, vel etiam ipsius Josephi, morem Aegyptiorum fratribus exponentis, quod ita effecturi essent, ut ipsis terra Gosen ad habitandum assignaretur; peculiari enim terrae Aegypti loco iis opus esse, ubi commode artem suam et vitae institutum exerceant, quod ab omnibus ovium pastoribus abhorreant Aegyptii. Id vero, uti monet *P. E. Jablonsky* in *Panth. Aegypt.* Prolegomm. p. XXI., „nonnisi de pastoribus peregrinis, quales tum erant Israelitae, dici potuit. Nam ceteroquin ipse Aegyptiorum rex ex Israelitis *quosdam gregibus suis pastores praeficere* cogitabat, infra XLVI, 6., et apud veteres pastorum Aegyptiorum mentio sane plurima occurrit. Inter septem hominum genera, in qua tota Aegyptiorum gens erat divisa (vid. Herodot. L. II. Cap. 164. et Diodor. Sic. L. I. p. 67. edit. Wechel.), numerantur etiam pastores; in Praefectura vero Mendesia *caprarios* honore affectos fuisse plane singulari, testatur Herodotus L. II. Cap. 46., et inter pastores Aegyptios solos tantum subulcos et societate hominum, et communione Sacrorum indignos reputatos fuisse, idem refert Herodotus l. l. Cap. 47. Posset quis haec secum perpendens ad eam suspicionem delabi, Israelitas, cum in Aegypto habitarent, a suibus alendis non adeo alienos fuisse, ac postea quidem, lege Mosaica intercedente, redditi sunt. Verum enim vero talis suspicio parum videretur probabilis, et praeterea vera ratio, cur Aegyptii pastores Israelitas, et in universum peregrinos, detestarentur, haec est: peregrini gregum pastores, a moribus Aegyptiorum alieni, animalia cujuscumque generis sic pascebant et nutriebant, ut ea promiscue etiam jugularent, eorumque carne vescerentur. Id vero Aegyptii, animalium cultores superstitiosissimi, toto pectore abominabantur, et nullo modo ferendum esse censebant." Cf. *Jo. Adolph. Mulleri* Dissertatt. duas *de pastore Aegyptiis inviso,*

Viteberg. 1715., repetitae sunt in *Thesauro theolog. philolog. novo* P. I. p. 220. seqq., et *Conr. Dieterici Antiquitt. biblic.* p. 136. seqq.

10. *Josephi fratres et pater coram Pharaone sistuntur, tractum Goseniticum a rege incolendum accipiunt, atque a Josepho frumento sublevantur. Cap. XLVII, 1—13.*

Cap. XLVII, 1. וְהִנָּם בְּאֶרֶץ גֹּשֶׁן *Et ecce illi sunt in terra Gosen,* quippe quae in finibus Aegypti Canaanem versus sita fuit. Nondum erat illis expresse assignata a Pharaone, sed Josephus non dubius de ejus voluntate eos illic subsistere jusserat, donec ea ab illo impetrata esset, id quod facile norat impetratum iri. Vult autem eos tractum illum a rege petere, ut magis in ejus possessione regis auctoritate confirmentur.

2. וּמִקְצֵה אֶחָיו *Et de extremitate fratrum suorum,* i. e. e summa et numero eorum, vid. not. ad Ezech. XXXIII, 2., et supra XIX, 4.

4. כִּי־אֵין מִרְעֶה לַצֹּאן *Nulla enim erant amplius pascua ovibus.* Pluviae penuria sterilitatis caussa fuisse videtur; nam ut desint pascua ovibus, oportet esse summam siccitatem, adeoque sterilitatem et famem; quum oves vel brevissimum gramen depascere soleant. Igitur addunt, *gravem esse in Cananaea famem.*

6. אֶרֶץ מִצְרַיִם לְפָנֶיךָ הִוא *Terra Aegypti in conspectu tuo est,* i. e. Aegyptus tibi patet, ut quocunque velis patris familiam mittas. Conf. supra XIII, 9. XX, 15. אַנְשֵׁי־חַיִל *viros fortitudinis,* i. e. industrios, qui strenue omnia pastorum munia obire possint. חַיִל generale nomen est ad quamcunque praestantiam, strenuitatem et industriam, non bellicam tantum, verum et in ceteris artibus et operibus, unde Prov. XXXI, 10. אֵשֶׁת־חַיִל est *mulier praestans,* strenua et industria. וְשַׂמְתָּם שָׂרֵי מִקְנֶה עַל־אֲשֶׁר־לִי *Et constituas eos principes super pecus, quod*

mihi est, i. e. eos pecudibus, quae mihi sunt, praeficias. Quamquam enim, ut Cap. super. dicebatur, ovium pastores apud Aegyptios contemti erant, tamen oves oviumque pastores Pharao habere poterat; sicut subulcos in Aegypto fuisse novimus, licet ita contemti essent, ut alii Aegyptii eorum connubia refugerent, ut narrat Herodotus Lib. II. Cap. 47. De bubulcis vero nusquam apud veteres legitur, eos apud Aegyptios contemtos fuisse.

7. וַיְבָרֶךְ יַעֲקֹב אֶת־פַּרְעֹה *Et Jacobus Pharaoni bene precatus est.* בֵּרֵךְ enim h. l. non de benedictione intelligi potest, sed tantum *salutare* significat. Jacobus vota pro regis salute concepit, ut solebat fieri ab iis, qui reges adibant. Talis salutatio est Esth. II, 2. *Rex in aeternum vive.* Cf. Dan. II, 4. VI, 6.

9. יְמֵי שְׁנֵי מְגוּרַי שְׁלֹשִׁים וּמְאַת שָׁנָה *Dies annorum peregrinationum mearum centum triginta sunt.* Nonnulli interpretes, ut Clericus ad h. l., et *Hessius* in *Historia Patriarcharum*, P. II. p. 322. existimant, Jacobum vitam suam ideo *peregrinationem* vocare, quia vitam egisset sceniticam, modo in Mesopotamia, modo in Cananaea. Sed non opus est hac interpretatione. Hebraei enim et Aegyptii, ut Michaelis in notis ad h. l. et in Commentat. *de argumentis immortalitat. e Mose collectt.*, in *Syntagm. Commentatt.* P. I. p. 117. observat, vitam cum peregrinatione, et sepulchrum cum diverticulo sive cum domo comparare solebant. Utraque gens igitur sepulchrum *domum aeternam* vocabat. Hac imagine etiam Jacobus hic utitur, et comparat se cum aliquo, qui patriae desiderio tenetur, et in eam redire cupit. Cf. *J. H. Pareau de immortalitatis notitiis* etc. p. 49.

11. וַיִּתֵּן לָהֶם אֲחֻזָּה בְּאֶרֶץ מִצְרַיִם בְּמֵיטַב הָאָרֶץ בְּאֶרֶץ רַעְמְסֵס *Deditque eis possessionem in terra Aegypti, in optima terrae* parte, *in terra Rahmses.* At in superioribus semper terrae Gosen, tanquam Israelitis assignatae, facta est mentio. Nec aliam terram illis assignasse Pharaonem, inde patet, quod et infra Vs. 27., L. 8. Exod. VIII, 22. IX, 26. XIII, 17. Gosen ut Israelitarum sedes

memoratur. Oportet igitur Rahmses aut synonymum τοῦ גֹּשֶׁן, aut, quod potius reor cum *J. D. Michaele* in *Supplemm.* p. 2256., parti Gosenitidis, in qua Jacobus domicilium fixit, proprium esse. LXX. quidem Rahmses et Gosen unam eandemque censuerunt. Capite enim superiori Vs. 28. גֹּשֶׁן vertunt καθ' Ἡρώων πόλιν εἰς γῆν Ῥαμασσῆ. Exporrectam igitur eam existimabant Heroopolin usque, ita ut haec, caput provinciae, ipsa quoque Gosen, i. e. metropolis Gosenitidis dici potuerit. *Josephus Antiqq.* Lib. II. c. 7. §. 6. Rahmsen Heliopolin esse censet: Συνεχώρησεν αὐτῷ ζῆν μετὰ τῶν τέκνων ἐν Ἡλιουπόλει, ἐν ἐκείνῃ γὰρ καὶ οἱ ποιμένες αὐτοῦ τὰς νομὰς εἶχον. *Concessit* (Pharao) *ei* (Josepho) *cum liberis suis Heliopolin habitare. Illic enim Regis pastores habebant pascua.* Ceterum recte observat Aben-Esra, quae hic memoratur רַעְמְסֵס regio diversam esse ab urbe רַעַמְסֵס Exod. I, 11. commemoratam, ad quam aedificandam adhibiti sunt Israelitae. Quam regionis et urbis diversitatem Masorethae punctorum vocalium, quamvis exigua, diversitate videntur indicare voluisse. *P. E. Jablonsky* in Dissertat. IV. *de terra Gosen* §. VII. *Opuscc.* T. II. p. 136., qui et ipse terram Rahmses et urbem Raahmses distinguendam censet, nomen רַעְמְסֵס terrae Gosen ex re ipsa adhaesisse arbitratur. „PEMΣXΩC," inquit, „Aegyptiace dicuntur *homines vitam pastoritiam agentes.* ΣXΩC enim lingua Aegyptiorum, ac speciatim dialecto Thebaidis, dici *pastorem*, praesertim *ovium*, etsi vox illa in monumentis adhuc editis non occurrat, commodiori loco demonstrabo [Fidem liberavit Jablonsky in *Explicat. vocc. Aegyptt.* sub voc Ὑκσως, in *Opuscc.* T. I. p. 362.]. PEM vero est ex voce PΩMI *homo*, et in compositione cum aliis nominibus ita ut hic expressimus, centies adhibetur. Nemo igitur sermonis Aegyptiaci gnarus dubitabit, quin PEMΣXΩC sint *homines vitae pastoralis.* Ab his, Israelitis nempe, Gosen dicta est רַעְמְסֵס, quasi dicas *regionem pastorum*, sicut ἀπὸ τῶν βουκόλων, *bubulcis*, qui in palustribus Aegypti habitabant, et ex latrocinio vivebant,

aliam Aegypti regionem Βουκολίαν dictam fuisse, scriptores memoriae prodiderunt. Vid. *Heliodori* Aethiopica, L. I. p. 11. ed. Bourdel. etc.“ Cf. *Ignat. Rossi Etymologiae Aegyptt.* p. 280., qui nomen ΣΧΩC *pastores* traxisse putat a ΣΧΩΣΧ *probrum, dedecus*, „quod etymon vocis,“ addit, „belle concordat, quod Gen. XLVI, 34. dicitur, *odio et probro esse Aegyptiis omnes pastores gregis.* Itaque vis ac ratio nominis, rei ipsius, quae sacris literis commendata est, veritatem comprobat, et vicissim Mosis narratio vocabuli, de quo agitur, originem et linguae Copticae antiquitatem demonstrat.“

12. וַיְכַלְכֵּל יוֹסֵף אֶת־אָבִיו וְאֶת־אֶחָיו וְאֵת כָּל־בֵּית אָבִיו לֶחֶם לְפִי הַטָּף *Et sustentavit Josephus patrem suum et fratres suos et totam domum patris sui pane* (pro בְּלֶחֶם) *ad os infantis*, i. e. parvulorum. Quod bifariam intelligunt; vel: pro numero parvulorum, qui multi erant in ea familia; vel: omnibus providit de cibo, tam parvulis, quam adultis. Alii exponunt: usque ad parvulos. Sed פִּי haud raro est syllabica adjectio, modum et aestimationem significans, ut כְּפִי *secundum modum*, Levit. XXV, 52. Num. VI, 21., et לְפִי Exod. XII, 4. Hinc malim: singulis ut parvulis demensum suum dedit. LXX. σῖτον κατὰ σῶμα. Hieronymus: *praebens cibaria singulis.*

13. וַתֵּלַהּ אֶרֶץ מִצְרַיִם וְאֶרֶץ כְּנַעַן מִפְּנֵי הָרָעָב *Et elanguit*, extabuit, *terra Aegypti et terra Canaan prae fame.* „Pro וַתֵּלַהּ Textus Samaritanus exhibet ותלא (lege וַתֵּלָא), glossam egregiam. Viderunt enim antiquissimi quique interpretes, לָהָה (unde Futurum Cal apocopatum וַתֵּלַהּ) esse idem quod לָאָה, quod de terra prae siccitate deficiente occurrit Ps. LXVIII, 10. Ita ex Hebraeis R. Saadias apud Kimchium: הגאון רב סעדיה פירש כמו ותלא. Ipse Kimchius derivavit quidem a radice לָהָה, hanc vero (sine auctoritate) de furente intelligit [hoc sensu: ad rabiem acta est terra, i. e. incolae terrae]. Recentiores post *J. D. Michaelem* in *Supplemm.* p. 1078. vocem nostram ad radicem יָלַהּ وَلَهَ *tristis fuit* referre voluerunt,

sed *πρῶτον ψεῦδος* in eo ponitur, quod latuit Michaelem, וַתֵּלַהּ admodum *ἀναλογῶς* a לָהָה derivari posse, ut וַתֵּבֵה a בָּהָה." *Gesenius de Pentat. Samarit.* p. 32. Ceterum famis in Aegypto grassantis caussam valde verisimilem indicat *Josephus Antiqq.* Lib. II. Cap. 7. §. 7. Ὁ δὲ λιμὸς τοῖς Αἰγυπτίοις ἐπετείνετο, καὶ τὸ δεινὸν ἀπορώτερον ἔτι καὶ μᾶλλον αὐτοῖς ἐγίνετο, μήτε τοῦ ποταμοῦ τὴν γῆν ἐπάρδοντος, οὐ γὰρ ηὔξε, μήτε ὕοντος τοῦ Θεοῦ, πρόνοιάν τε μηδὲ μίαν ἑαυτῶν ὑπ' ἀγνοίας πεποιημένων. *At fames indies Aegyptiis augebatur, malumque illis magis magisque ingravescebat, quum nec fluvius terram irrigaret (non enim exundabat Nilus), nec Deus pluviam immitteret, nec populus ex inscientia futuri vel minimam sui curam adhiberet.*

11. *Fame confecti Aegyptii omnia sua vendunt ad comparandam annonam. Imponuntur illis a Josepho vectigalia perpetua ex agrorum reditibus regi quotannis solvenda. Cap. XLVII, 14—26.*

Cap. XLVII, 14. וַיָּבֵא יוֹסֵף אֶת־הַכֶּסֶף בֵּיתָה פַרְעֹה *Et duxit Josephus pecuniam in domum Pharaonis*, i. e. in fiscum regium intulit.

15. הָבָה־לָּנוּ לֶחֶם וְלָמָּה נָמוּת נֶגְדֶּךָ *Da nobis panem, quare moriemur in conspectu tuo?* nulla ratio est, quare nos fame perire sinas, quum tu frumentum habeas, nosque pecunia simus destituti. Videntur gratis frumentum a Josepho petere, quod ille non tenebatur gratis dare, quum non sua, sed regis ageret negotia.

18. וַתִּתֹּם הַשָּׁנָה הַהִוא וַיָּבֹאוּ אֵלָיו בַּשָּׁנָה הַשֵּׁנִית *Finito autem anno illo, venerunt ad eum anno secundo*, non secundo ab initio famis, sed a consumta pecunia: quod anno septimo videtur factum, ut anno tandem quinto tota pecunia sit exhausta, sexto dederint pecora pro frumento, quum nihil restaret pecuniae, septimo tandem pecoribus datis haec dixerint.

19. לָמָּה נָמוּת לְעֵינֶיךָ גַּם־אֲנַחְנוּ גַּם־אַדְמָתֵנוּ *Cur moriemur coram te*, cur committeres, ut inedia periremus, *tam nos, quam terra nostra? Terra* dicitur *mori*, cum deseritur vasta et inculta, ut tunc, cum penuria frumenti non sereretur, sed squallida jaceret et neglecta. קְנֵה־אֹתָנוּ וְאֶת־אַדְמָתֵנוּ בַּלָּחֶם וְנִהְיֶה אֲנַחְנוּ וְאַדְמָתֵנוּ עֲבָדִים לְפַרְעֹה *Eme*, para, acquire, *nos et terram nostram pro pane, et erimus* sive simus *nos et terra nostra servi Pharaoni;* servituti perpetuae nos tibi et Pharaoni addicimus et terram nostram, ut tantum simus coloni sub eo agrorum, qui deinceps sint in ejus dominio et proprietate. *Henslerus* (in *den Bemerkungen über Stellen in den Psalmen und in der Genesis*, p. 404. seqq.) his verbis hoc tantummodo putat innui, fuisse Aegyptios regi tantum stipendiarios seu tributarios factos; qui sensus non nisi artificiis e textu potest elici. וְתֶן־זֶרַע *Da* nobis *semen*, sementem, quam spargamus in terram hactenus pro fame neglectam. LXX. δὸς σπέρμα ἵνα σπείρωμεν. Hoc petunt, quia sperabant instare finem famis ex praedictione Josephi post septem annos. Ideo anno septimo sementem petunt, quam humo mandent, ut sequenti anno terra more solito producat. וְהָאֲדָמָה לֹא תֵשָׁם *Et terra non desoletur*, vasta remaneat, a יָשַׁם, quod est idem quod שָׁמֵם.

20. וַיִּקֶן יוֹסֵף אֶת־כָּל־אַדְמַת מִצְרַיִם לְפַרְעֹה וגו' *Itaque omnem Aegyptum Pharaoni emit Josephus, Aegyptii enim suum quisque agrum, quia inter eos invaluerat fames, vendiderunt, et ita omnis Aegyptus Pharaonis facta est.* Quum antea jurisdictionis et regni jure tantum esset ipsius tota terra, nunc jure proprietatis ipsius facta est, ut Aegyptii tantum coloni essent suorum agrorum, quos urgente fame Pharaoni vendiderant. Quod nobis durissimum videtur, non item Aegyptiis, ut patet ex Vs. 25. Neque totus regni Aegyptiaci illis temporibus status nobis ita est cognitus, ut de iis, quae a Josepho instituta esse hic legimus, judicium omni ex parte aequum facere possimus. Legenda tamen sunt, quae pro Josepho dicunt, quamvis non satis firmata veterum scriptorum te-

stimoniis, tamen ingeniose, Michaelis in notis ad h. l., *Jerusalem* in *den Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion*, P. II. Commentat. III. Sect. 3. p. m. 280—284. *Hess* in *der Geschichte der Patriarchen*, P. II. p. 324. seqq. *Hensler* in *den Bemerkungen etc.* p. 406. seqq. et *Anquetil du Perron* in Observationibus ad calcem versionis Gallicae Itinerarii Indiae Orientalis auctore Paulino a S. Bartholomaeo (Paris. 1808.), T. III. p. XLI. seqq. (*Dissertation sur la propriété individuelle et fonciére dans l'Inde et en Egypte*).

21. וְאֶת־הָעָם הֶעֱבִיר אֹתוֹ לֶעָרִים מִקְצֵה גְבוּל־מִצְרַיִם וְעַד־קָצֵהוּ *Populum etiam transire fecit*, i. e. transtulit *in urbes* scil. alias, *ab extremis Aegypti finibus ad extremos fines*, i. e. quam longe lateque patebat Aegyptus, populum totius Aegypti. לֶעָרִים positum pro מֵעָרִים לֶעָרִים uti recte Onkelos vertit: מִקִּרְוֵי לְקִרְוֵי *ex urbibus in urbes*. Quod fecisse videtur, tum ut manifesto signo demonstraret, regem omnis terrae dominum factum esse, uti monet Jarchi, tum ut in ipsis civibus veteris dominii memoria, et ex memoria dolor aboleretur. „Longe," inquit Grotius ad h. l., „a natali solo eos transtulit, ac inter se cognatos notosque segregavit, ut seditionibus, quae gravissimae fuerant, materiam subtraheret. In Africa Vandalorum feminae atrocissimam seditionem commoverunt, quod haerere permissae essent in fundis, quorum jus bello amiserant." Henslerus vero, ne Josephus incurrat in reprehensionem injustae tyrannidis, haec verba hoc arbitratur sensu capienda, jussos esse Aegyptios in urbes ire, ut sementem ibi peterent ex horreis, quae per singulas urbes disposita esse, dictum erat supra Cap. XLI, 48. Cui sententiae tamen totius narrationis tenor adversatur. Textus Samaritanus pro העביר אתו לערים legit העביד אתו לעבדים *fecit eum servos*, consentientibus LXX. *καὶ τὸν λαὸν κατεδουλώσατο αὐτῷ εἰς παῖδας*, quod sequutus Hieronymus: *subjecit eam Pharaoni et cunctos populos ejus*, et probavit Hubigantius. Verum recte monuit *Seb. Ravius*

in *Exercitatt.* p. 42., phrasin העביר לעבדים Mosen nusquam usurpare, sed nude verbum הֶעֱבִיר accusandi casui jungere, vid. Exod. I. 13. „Construitur quidem apud scriptores ipsum sequutos הֶעֱבִיר cum עֲבוֹדָה, tanquam conjugato, sed abstracto, nec non cum Infinitivo, neque incommode Hebraeis dicitur: *servire servitutem*, et: *in servitutem redegit ad serviendum*, velut 2 Chron. XXXIV, 33. At quis feret dicentem: *servire fecit in servos?*" Neque tamen quam Ravius ipse proposuit verborum הֶעֱבִיר אֹתוֹ לֶעָרִים interpretatio, Josephum populum jussisse e pagis et vicis, in quibus bonam sui partem dispersus habitabat, in urbes sese paulisper conferre, ut intelligeret quae Josephus haberet exponenda, aliis facile probetur.

22. רַק אַדְמַת הַכֹּהֲנִים לֹא קָנָה *Agros tantum sacerdotum non emit.* Additur ratio: כִּי חֹק לַכֹּהֲנִים מֵאֵת פַּרְעֹה וְאָכְלוּ אֶת־חֻקָּם אֲשֶׁר נָתַן לָהֶם פַּרְעֹה *quia statutum*, certum demensum *sacerdotibus* assignatum fuit *a Pharaone, et comederunt demensum suum*, victitabant eo *quod dederat iis Pharao.* Hinc factum, ut sacerdotum agri multis etiam post Mosen seculis immunes fuere, uti testantur Herodotus et Diodorus Siculus. Hic enim Lib. I. p. 66. postquam dixit, ex tribus partibus, in quas divisa erat Aegyptus, primam sibi sacerdotes vindicasse atque eos ex agrorum reditu sumtus in res sacras facere et dignitatem suam tueri, adjecit: Εἰσὶ δὲ οὗτοι πάντων τε ἀτελεῖς καὶ δευτερεύοντες μετὰ τὸν βασιλέα, ταῖς δὲ δόξαις καὶ ταῖς ἐξουσίαις. *Hi omnium onerum sunt immunes, et primum post regem honorem et potestatem obtinent.* Herodotus Lib. II. Cap. 168. Γέρεα δέ σφι ἦν τάδε ἐξειραιρημένα μούνοισι Αἰγυπτίων, πάρεξ τῶν ἱρέων, ἄρουραι ἐξαίρητοι δυώδεκα ἑκάστῳ ἀτελέες. *His solis Aegyptiorum* (de militibus loquitur), *praeter sacerdotes hoc eximii honoris habebatur, ut singulis duodecim Arurae essent exemtae et immunes.* Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 161. p. 222.

23. הֵא־לָכֶם זֶרַע *Ecce vobis semen*, i. e. accipite semen. הֵא particula est demonstrantis et porrigentis, He-

braeis rarissima, occurrit praeter hunc locum tantum Ezech. XVI, 43. Dan. II, 43.; at reliquis dialectis Orientalibus perquam usitata. هَا Arabum lexicographi explicant خُذْ, *cape, accipe*, quod nostro loco aptissimum. Habent hanc particulam et Chaldaei, Samaritani, et longe frequentissime Syri, qui eam ܗܳܐ efferunt.

24. וְהָיָה בַּתְּבוּאֹת וּנְתַתֶּם חֲמִישִׁית לְפַרְעֹה וְאַרְבַּע הַיָּדֹת יִהְיֶה לָכֶם לְזֶרַע הַשָּׂדֶה וּלְאָכְלְכֶם וְלַאֲשֶׁר בְּבָתֵּיכֶם וְלֶאֱכֹל לְטַפְּכֶם *Fiet autem* scil. frugum percipiendarum tempore, *dabitis*, ut detis, *quintam* proventuum *partem* Pharaoni, *quatuor vero partes erunt vobis* (quod Hebraice est, וְאַרְבַּע הַיָּדוֹת יִהְיֶה, ad nostrarum linguarum genium ita est solvendum: דְּבַר אַרְבַּע יָדוֹת יִהְיֶה *res quatuor partium erit*), *in semen*, sementem agri, *ac in cibum vestrum atque iis, qui sunt in domibus vestris, et ad vescendum parvulis vestris.* Quartam igitur partem sementi destinat, tres esui Aegyptiorum, quintam Pharaoni. Quae exactio tolerabilis fuit, ut in regione illa praesertim ita fertili paucis annis etiam hac conditione sibi imposita potuerint Aegyptii pristino statui et divitiis restitui, quasi numquam praecessisset fames.

25. הֶחֱיִתָנוּ *Vivificasti nos*, i. e. vitam servasti nobis. LXX. σέσωκας ἡμᾶς. Et sane sine Josephi consilio de maxima Aegypti parte actum erat. נִמְצָא־חֵן בְּעֵינֵי אֲדֹנִי וְהָיִינוּ עֲבָדִים לְפַרְעֹה *Gratiam inveniamus in oculis domini mei, et servi simus Pharaoni*, hanc a te gratiam ineamus, ut illi serviamus hac conditione terram sub eo colentes, quam nobis praescripsisti.

26. וַיָּשֶׂם אֹתָהּ יוֹסֵף לְחֹק *Itaque posuit Josephus illud*, eam rem, *in statutum*, irrevocabilem sanctionem. עַד־הַיּוֹם הַזֶּה *Usque ad hodiernum diem*, ad tempora scilicet Mosis. עַל־אַדְמַת מִצְרַיִם לְפַרְעֹה לַחֹמֶשׁ *Super terram Aegypti Pharaoni ad quintam*, mirum compendium, quasi dicat (subaudito לָתֵת *ad dandum*); ut daretur Pha-

raoni proventus agrorum ad quintam usque partem, i. e. ut quinta fructuum pars Pharaoni quotannis penderetur. Nec videtur haec res magnam post Mosis tempora mutationem subiisse. Saltem Diodorus narrat, sat magnos reditus fuisse Aegyptiorum regibus ex agris, ut necesse non haberent, nimia populo imponere tributa: Τοὺς ἰδιώτας, inquit, *διὰ τὴν ἐκ τούτων εὐπορίαν οὐ βαπτίζουσι ταῖς εἰσφοραῖς, privatos, quia affatim ex his agris eis suppetit, tributis non demergunt.*

12. *Jacobus terrae Gosen possessionem adit, et in ea habitat. Postulat a Josepho, jurejurando interposito, ut ipsum curet in terra Cananaea sepeliendum, atque aegrotans filiis Josephi bene precatur. Cap. XLVII, 26. — XLVIII, 22.*

Cap. XLVII, 27. Nunc ad Jacobum et ejus filios redit, et quid de illis actum sit, maxime sub Jacobi mortem, usque ad finem libri non interrupto sermone exponit. וַיֵּאָחֲזוּ בָהּ *Et apprehensi sunt*, seu detenti *in ea*, ejus possessionem adierunt. Eodem verbo ab אֲחוּזָּה *possessione* usi sunt Sichemitae ad filios Jacobi supra XXXIV, 10.

29. אִם־נָא מָצָאתִי חֵן בְּעֵינֶיךָ *Si quaeso inveni gratiam in oculis tuis*, si apud te gratiam inii, si mihi vis gratum facere; non quod de filii in se animo et voluntate dubitaret, sed rogat eum per benevolentiam, qua se complectitur. שִׂים־נָא יָדְךָ תַּחַת יְרֵכִי *Pone manum tuam sub femore meo*, i. e. jurejurando mihi promitte. De hoc jurejurandi modo vid. not. supra XXIV, 2. וְעָשִׂיתָ עִמָּדִי חֶסֶד וֶאֱמֶת *Et facias mecum beneficentiam et veritatem*, hanc mihi gratiam concede, et fideliter ubi promiseris serva. אַל־נָא תִקְבְּרֵנִי בְּמִצְרָיִם *Ne me in Aegypto sepelias*, sed, uti sequitur Vs. seqq., hinc me sublatum in patrum monumentum me inferas. Non videtur alia causa fuisse Jacobo optandi, ut in majorum sepulchro sepeliretur, quam amor erga majores. Quantopere veteres

Graeci optarint, ut, si extra patriam diem obierint, in patriam reducerentur et in majorum sepulchris conderentur, patet ex iis quae de heroibus Homericis passim legimus, veluti *Iliad.* XVI, 458. seqq. XXIII, 82. seqq. Vid. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 163. et 176. p. 225. et 239.

31. וַיִּשְׁתַּחוּ יִשְׂרָאֵל עַל־רֹאשׁ הַמִּטָּה *Et adoravit Israel super caput lecti,* i. e. ad ejus verticem seu spondam anteriorem. Sensus est, Jacobum, quum jusjurandum et promissionem a filio accepisset, prae senectutis imbecillitate super lectum cubantem, cervicali suo se incubuisse, ut Deo de ea re gratias ageret. Saadias (vid. Varr. Lectt. in T. VI. Polyglottor. Londinn.): *et adoravit Israel Deum supra extremitate lecti* شاكرا *gratias agens.* Ita etiam Davides senex Deum in lecto suo veneratus esse legitur 1 Regg. I, 47. LXX. hic verterunt, προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τοῦ ῥάβδου αὐτοῦ, pro מִטָּה legentes מַטֶּה. Hanc lectionem sequutus etiam est Apostolus Hebr. XI, 21. Eam alii ita explicant, quasi Jacobus ad filii sui sceptrum, quod tanquam insigne proregiae dignitatis Josephum in manu tenuisse putant, sese inclinans, et eum osculans, filium honoraverit (juxta somnium Gen. XXXI, 7.) et gratias ei egerit pro illa promissione, se eum non in Aegypto sed in Cananaea sepulturum esse. Sic lectionem Alexandrinam explicat *J. E. Faber* in *Observatt.* ad *Harmeri Beobachtungen über den Orient,* P. II. p. 50—55. Alii eam ita intelligunt, quasi Jacobus baculo suo innixus Deum adorarit. Alia interpretamenta recensuit *H. A. Zeibich* in Commentat. *de Jacobo ad caput scipionis adorante,* Gerae, 1783. in quat. Sed ei, quam supra dedimus, interpretationi textus Hebraei favent plerique veterum interpretum. Aquila: προσεκύνησεν ἐπὶ κεφαλὴν τῆς κλινῆς. Symmachus: προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλινῆς. Vulgatus: *adoravit Deum conversus ad lectuli caput.*

Cap. XLVIII, 1. וַיֹּאמֶר scilicet הָאוֹמֵר *dicens*, i. e. dictum, nunciatum est. LXX. ἀπηγγέλη. Participium istud ad verbum אָמַר sicut ad verbum קָרָא saepe subaudiendum; cf. supra XI, 9. XXXVIII, 3. 1 Sam. III, 9.

3. וַיְבָרֶךְ אֹתִי *Et benedixit mihi*, h. e. haec bona mihi pollicitus est. Loquitur Jacobus de ea Dei apparitione, quae ei post reditum ex Mesopotamia Bethelae obtigit supra XXXV, 9., non de ea, quae supra XXXVIII, 12. narratur.

4. וּנְתַתִּיךָ לִקְהַל עַמִּים *Dabo te in coetum populorum*, i. e. faciam, ut posteri tui in magnam gentem evadant.

5. שְׁנֵי־בָנֶיךָ הַנּוֹלָדִים לְךָ בְּאֶרֶץ מִצְרַיִם עַד־בֹּאִי אֵלֶיךָ מִצְרַיְמָה לִי־הֵם וְעַתָּה *Nunc ergo duo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti donec*, i. e. priusquam *ad te in Aegyptum veni*, *mihi erunt*, i. e. eos adoptabo. יִהְיוּ־לִי אֶפְרַיִם וּמְנַשֶּׁה כִּרְאוּבֵן וְשִׁמְעוֹן *Ephraim et Manasse instar Rubenis et Simeonis mihi erunt*, i. e. Ephraim et Manasse eadem quae Ruben et Simeon, jura habebunt; censebuntur non quasi nepotes mei, uniusque ex filiis haeredes, sed quasi eos ipse genuissem. Dicit autem se illos habiturum ut Rubenem et Simeonem, non ut Judam, Levin, Danem aut alium quempiam e ceteris filiis suis, quod hi duo, Ruben et Simeon, primi essent, ut significet, Ephraimum successurum Rubeni in primogenituram, et deinceps Manassen, ejus fratrem, Simeoni, secundo. Nam licet Manasses nascendi ordine primogenitus esset, postponetur tamen infra (Vs. 13. 14. 19.) a Jacobo fratri suo, et Ephraimus primogenitus constituetur. Primogenitura, uti dicitur 1 Chron. V, 1., ablata est Rubeni, quod lectum patris violasset, et data filiis Josephi, quod ad fructum attinet, et duplicem portionem, quae primogenito debebat, juxta legem Deut. XXI, 16. 17. Itaque Josephus duplicem portionem nactus est in duobus filiis suis, ita ut suum ambo patrem repraesentarint, et tantum sint consequuti simul, quantum unus ex filiis Ja-

cobi. Sicut filii omnes Rubenis simul patri suo successerunt, nec amplius habuerunt, quam pater Ruben habuisset; sic omnes filii Benjaminis, decem numero, non amplius quam solus pater, ita et ceteri Jacobi nepotes. At Ephraim et Manasses quisque portionem unam in terra Canaan habuit, perinde ac si essent filii Jacobi, non nepotes.

6. וּמוֹלַדְתְּךָ אֲשֶׁר־הוֹלַדְתָּ אַחֲרֵיהֶם *Generatio autem s. proles tua, quam,* filii quos *genuisti post eos,* i. e. genueris, δυνητικῶς, si quos forte gignas praeter illos. Neque enim pro Praeterito הוֹלַדְתָּ, uti sonat, capiendum est, quasi ei jam nati fuissent alii filii praeter Ephraimum et Manassen, quos tacuisse Mosen vix credibile est. Nec mirere, Praeteritum pro Futuro sumi, quod in conditionibus passim fit. Hic inclusa est conditio, quasi diceret אִם־הוֹלַדְתָּ pro אִם תּוֹלִיד, *si quos deinceps genueris.* לְךָ יִהְיוּ *Tibi erunt,* non mei filii, ut hi. עַל שֵׁם אֲחֵיהֶם יִקָּרְאוּ בְּנַחֲלָתָם *Super nomen,* i. e. de nomine *fratrum suorum vocabuntur in haereditate sua,* i. e. in haereditate dividenda connumerabuntur cum fratribus suis, non peculiare novarum tribuum nomen gerent, sed fratribus suis annumerabuntur inter Ephraimi et Manassis tribus dividendi. בְּנַחֲלָתָם habet affixum referendum ad Ephraimum et Manassen, et notat partes Cananaeae Ephraimo et Manassi obventuras.

7. וַאֲנִי בְּבֹאִי מִפַּדָּן *Ac ego,* ad me vero quod attinet, *cum venirem ex Paddane,* i. e. Mesopotamia; vid. not. ad Cap. XXV, 20. מֵתָה עָלַי רָחֵל *Mortua est Rachela super me,* quod Hebraeorum plures exponunt אֶצְלִי *apud me.* Sed videtur potius dolor ejus indicari, q. d. magno meo damno, quod aegerrime tuli. Merito quaeritur, quorsum hic affert mortem et sepulturam Rahelae? Varia, sed maximam partem frivola comminiscuntur Hebraei. Rectum videntur ii vidisse, qui Jacobum causam indicare putant, cur Ephraimum et Manassen adoptarit. Quod Rahelae nepotes filiorum instar habebat, voluit ea

re illam post mortem honorare; maxima enim laus mulierum erat, multorum liberorum matrem esse. Bene hujus commatis sensum expressit *Hessius* (*Geschichte der Patriarchen*, P. II. p. 138.): *Dieſs thu' ich auch noch um der Rahel willen, die mir so frühe — dort — eine Meile von Ephrata — im Lande der Kananiter hinweg starb.* De voce כִּבְרַת vid. not. supra ad XXXV, 16.

8. וַיַּרְא יִשְׂרָאֵל אֶת־בְּנֵי יוֹסֵף וַיֹּאמֶר מִי־אֵלֶּה *Et vidit Israel Josephi filios et dixit, quinam illi sunt?* Sensus est: quum Jacobus animadvertisset duos homines Josephum esset comitatos (neque enim oculis prae senectute caligantibus, infra Vs. 10., vultus eorum agnoscere poterat), quinam essent, rogavit.

9. בָּזֶה *In hoc*, scil. הַמָּקוֹם *loco*, הָכָא *hic*, ut Onkelos vertit (cf. supra XXXVIII, 21.), i. e. in Aegypto. קָחֶם־נָּא אֵלַי *Cape eos ad me*, i. e. adduc eos mihi. LXX. προσάγαγέ μοι αὐτοῦς.

10. וְעֵינֵי יִשְׂרָאֵל כָּבְדוּ מִזֹּקֶן *Et oculi Israelis graves erant prae senio.* „Latini oculos *graves* dicunt moribundorum aut somno oppressorum, qui vix eos aperire possunt; sed hic agitur de infirmitate visus ex senectute orta. Haec autem verba, si ordinis ratio haberetur, deberent in commate 8. legi. Sed Hebraei saepe ordinem in narrando negligunt.“ *Cleric.*

12. וַיּוֹצֵא יוֹסֵף אֹתָם מֵעִם בִּרְכָּיו *Tunc eduxit, s. amovit eos Josephus a genibus ejus*, scil. patris, Jacobi. Neque enim reciproce Suffixum est intelligendum, quasi Josephus a suis genibus, seu a suo gremio eos removerit, ut patri sisteret, quum jam eos Jacobus sibi admotos complexus et osculatus esset, sed quum in gremio Jacobi essent adducti ad lectum decumbentis aut sedentis, inde Josephus eos eduxit, ut collocaret eos eo ritu et ordine, quo a patre benedicerentur. וַיִּשְׁתַּחוּ לְאַפָּיו אָרְצָה *Adoravitque ad* faciem *suam*, scil. procidens, pronus *ad terram*, patri gratias agens et honorem deferens, quod filios

suos adoptasset. In textu Samaritano est Pluralis, ישתחוו *adorarunt*, scil. Ephraim et Manasse, probante J. D. Michaele. Quum enim jam solemnis benedictio a Jacobo deberet peragi; genua flectentes denuo accedunt Josephi filii. Ita et LXX. quos sequitur Syrus: καὶ ἐξήγαγεν αὐτοὺς Ἰωσὴφ ἀπὸ τῶν γονάτων αὐτοῦ, καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ ἐπὶ πρόσωπον ἐπὶ τῆς γῆς. Tum לְאַפָּיו erit: *uterque in faciem suam.*

13. וַיִּקַּח יוֹסֵף שְׁנֵיהֶם וגו׳ *Deinde Josephus Ephraimum ad suam dextram et Israelis sinistram, Manassen autem ad sinistram suam et dextram Israelis constituit.* Quia Josephus sciebat, patrem filiis imposita eorum capitibus manu bene precaturum, eos ita collocabat, ut primogenito imponenda esset dextra, minori natu sinistra; dextra enim sinistrae praeferebatur, vid. 1 Reg. II, 19. Ps. XLV, 10. CX, 1. 5.

14. שִׂכֵּל אֶת־יָדָיו *Intelligere fecit manus suas,* i. e. de industria sic imposuit eis manus; non temere eas projecit, nec palpandi causa huc vel illuc transtulit, sed delectu adhibito, sciens ac volens dextram Ephraimo, minori natu, sinistram primogenito imposuit, quod nonnisi transversis manibus, uti respectu illorum situs erat, facere potuit. Manibus tribuit scientiam, quasi ipsae scirent quid agerent. Eadem prosopoeia Ps. LXXI, 72., ad quem loc. cf. not. LXX. ἐναλλάξας τὰς χεῖρας, Vulgatus, *commutans manus,* sensum magis quam propriam verborum significationem exprimentes. כִּי *quamvis,* ut saepius, veluti supra VIII, 21. Exod. XIII, 17. 2 Sam. XXIV, 10.

15. הָאֱלֹהִים אֲשֶׁר הִתְהַלְּכוּ אֲבֹתַי לְפָנָיו *Deus ille in cujus conspectu patres mei ambularunt,* ad cujus leges et voluntatis normam et praescriptum sese composuerunt, cf. supra ad V, 22. Onkelos: יְיָ דִּי פְּלַחוּ אֲבָהָתַי קֳדָמוֹהִי *Deus quem coluerunt patres mei.* הָאֱלֹהִים הָרֹעֶה אֹתִי *Deus qui me pascit.* Haec imago, qua Jacobus Deum tanquam tutorem et rectorem suum describit, e vita pastoritia, quam ille egit, desumta est. Cf. Ps. XXIII, 1.

מֵעוֹדִי *Ex quo sum*, i. e. a vitae meae initio, a pueritia mea. LXX. ἐκ νεότητός μου.

16. הַמַּלְאָךְ הַגֹּאֵל אֹתִי מִכָּל־רָע *Angelus, qui me redemit*, asseruit, liberavit *ab omni malo.* Intelligitur idem ille *Angelus*, qui luctatus cum Israele narratur supra XXXII, 24. et quem Jacobus tutelarem suum putabat. Quum autem angelo hic tribuatur quod Dei solius proprium sit; nostri *angelum increatum*, sive Messiam hic indicari fere putant, quem passim patribus angeli specie apparuisse volunt (cf. quos supra ad XXXII, 25. laudavimus). Quam sententiam contra Grotium et Clericum defendit *Deyling* in *Observatt. SS.* P. II, Observ. VII. p. 98. seqq. Codex Samaritanus male legit המלך *rex.* וְיִקָּרֵא בָהֶם שְׁמִי וְשֵׁם אֲבֹתַי *Et vocetur in eis nomen meum, et nomen patrum meorum*, i. e. dicantur filii mei, et patrum meorum, licet ex te nati sint; idem omnino jus habeant quod ceteri filii mei in divisione terrae et constitutione tribuum.

19. יִהְיֶה מְלֹא־הַגּוֹיִם *Erit plenitudo gentium;* i. e. ingens hominum multitudo, ut Jesaj. XXXI, 4. מְלֹא רֹעִים *plenitudo pastorum* sunt multi pastores. Sensum expressit Onkelos his verbis: וּבְנוֹהִי יְהוֹן שַׁלִּיטִין בְּעַמְמַיָּא *filii ejus erunt dominantes in populis.* Cujus interpretationis rationem *A. Schultens* in *Animadverss. philologg.* ad h. l. inde repetit, quod מלא مَلَأ Arabibus sunt *optimates, nobiles*, qua significatione saepius in Corano ista vox occurrit. Vix tamen credimus, notam fuisse Onkeloso illam nominis Arabici vim. Exhibuisse videtur eum sensum, qui historiae Israelitarum respondet; quemadmodum enim ex posteris Judae orti sunt reges Judae, ita penes Ephraimi posteros sceptrum decem tribuum fuit.

20. בְּךָ יְבָרֵךְ יִשְׂרָאֵל לֵאמֹר *Per te bene precabitur Israel dicendo*, i. e. bene precabitur populus ex me proditurus; a te sumet bene precandi formulam, ubi sibi aut suis liberis, aut aliis quis fausta ominari volet.

22. וַאֲנִי נָתַתִּי לְךָ שְׁכֶם אַחַד עַל־אַחֶיךָ *Et ego dedi tibi partem unam super*, s. supra, ultra *fratres tuos*. In nomine שְׁכֶם est *ἀμφιβολία*. Nam quum שְׁכֶם proprie *humerum*, seu partem, quae est ab humero uno et latere corporis notet, et hinc in universum *partem, portionem*, est et nomen proprium urbis, cujus mentio facta supra XXXIII, 18., nec diversa videtur ab ea, quam Simeon et Levi diripuerunt caesis in ea summa saevitia ac perfidia omnibus maribus, uti narratur supra XXXIV.; nomen enim nacta est a Sichemo, Chamoris filio. Hoc itaque loco, quod alius sermo assequi nequeat, sub nomine שְׁכֶם, *partis* unius, significat Jacobus simul, se Josepho dare ultra portionem fratrum urbem Sichem, ut postea Ephraim eam in sorte sua nactus est (Jos. XXI, 21.), et eo sunt relata Josephi ossa, vid. Jos. XXIV, 32. Ideo et LXX. simpliciter Σίκιμα verterunt, et pro אַחַד posuerunt ἐξαίρετον, quasi *eximiam* partem. *Ikenius* in *Dissertatt. Philologico-Theol.* P. I. Dissert. IV. p. 38. שְׁכֶם ex Arabico شكم *remuneratus fuit, donum pro dono, praemium vel mercedem largiens*, unde شُكْمٌ *donum pro dono*, hic significare putat *donum, praemium*, ut Jacobus non simpliciter dicat, se dare Josepho portionem unam prae fratribus; sed eam inprimis vocabulo שְׁכֶם insignire, quia illam dedit in *praemium*, sive in *remunerationem omnis illius amoris atque benevolentiae*, quam Josephus patri ejusque familiae tot annis in Aegypto exhibuerat. אֲשֶׁר לָקַחְתִּי מִיַּד הָאֱמֹרִי בְּחַרְבִּי וּבְקַשְׁתִּי *Quam cepi e manu Amoraei*, Amoraeorum, *gladio meo et arcu meo*. Non intelligit tantum agrum, quem prope Sichem emerat, supra XXXIII, 18., nam *emere* non est armis acquirere; sed totum agrum Sichemitarum, quem ob stupratam Dinam sibi Simeon et Levi armis suis acquisiverunt. Quod factum quamvis Jacobus summopere improbaret, nil tamen obstat, quo minus tractus ille, quum vacuus relictus esset, nullis vicinorum eum occupantibus, Jacobo cesserit. Dicit autem se illum sibi suis armis acquisivisse,

quamvis filii illo vi injusta potiti fuerint, quum pater et posteri quasi homo unus habeantur; vid. e. c. supra XLVI, 4. et ibi not. Minime opus est, cum nonnullis Hebraeorum לָקַחְתִּי pro Futuro capere, quasi dicat: *quam accipiam*, i. e. quam mei posteri suis armis, cum Canaaneam occupabunt, Amoraeis eripient. Ad quam sententiam ideo delapsi videntur, quia si haec Jacobi verba referuntur ad ea, quae supra XXXIV. narrantur, non apparet, quomodo Jacobus Amoraeis tractum Sichemiticum eripuisse dicere possit, quum Sichemus supra XXXIV, 2. *Chivaeus* dicatur. Quem nodum alii ex Hebraeis ita solvere tentarunt, ut dicerent, occupasse Amoraeos, cum Jacobus in aliam Canaanis regionem secessisset, tractum Sichemiticum, quumque eundem ipsi reddere abnuerint, coegisse illum, ut eos vi expelleret, sibique et suis bello vindicaret. Longam narrationem, quam de isto bello comminiscuntur, e Commentario *Jalkut Schimeoni* dicto refert Ikenius in Dissertat. laud. p. 42. seqq., cui fabulosae narrationi mirum est Virum praestantissimum tantum fidei tribuere potuisse, ut illam hisce Jacobi verbis insignem lucem foenerari sibi persuaserit. Simplicissimum fuerit, Amoraeos pro Cananaeis generatim dici existimare, ut Amos II, 9. (ad quem loc. cf. not.), quod illi Canaaneorum, quibus et Chivaei accensebantur, potentissimi essent, quippe quorum dominatio et ultra et citra Jordanem longe lateque patebat. Onkelos pro בְּחַרְבִּי וּבְקַשְׁתִּי posuit בִּצְלוֹתִי וּבְבָעוּתִי *per orationem meam et preces meos*. Quam interpretationem magistrum suum Hebraeum et tradidisse Hieronymo, colligimus ex his ejus verbis in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l.: „Quod autem dicit *se eam in arcu et gladio possedisse; arcum* hic et *gladium*, justitiam vocat, per quam meruit peregrinus et advena, interfecto Sichem et Emor, de periculo liberari. Timuit enim, ut supra [XXXIV, 30.] legimus, ne vicina oppida atque castella ob eversionem foederatae urbis adversum se consurgerent; et Dominus non dedit eis, ut nocerent illi. Vel certe sic intelligendum: dabo tibi Sicimam, quam emi

in fortitudine mea, hoc est, in pecunia, quam multo labore multoque sudore acquisivi."

13. *Jacobus filiis valedicit, futuram posterorum sortem praedicit, et moritur, postquam se in majorum suorum monumento sepeliri jussisset.* *Cap. XLIX.*

Cap. XLIX, 1. Convocatis filiis suis omnibus Jacobus significat sese velle annunciare quae eis, i. e. eorum posteris sint eventura, אֵת אֲשֶׁר־יִקְרָא אֶתְכֶם, ubi observa, יִקְרָא hic esse pro יִקְרֶה *obveniet*, accidet, quomodo verbum tertiae radicalis א, קָרָא, significatu convenit cum קָרָה, verbo tertiae ה; ut supra XLII, 38. XLIV, 29. Jesaj. LI, 19. Voces hujus Versus postremas, בְּאַחֲרִית הַיָּמִים LXX. ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμέρων, et post eos Hieronymus *in diebus novissimis*, eundemque in modum Onkelos, בְּסוֹף יוֹמַיָּא *in fine dierum* reddidit. Qui quidem interpretes finem exitumque stati cujusdam temporis videntur intellexisse; et quum in prophetis phrasis illa passim ad Messiae tempora indicanda adhibeatur; fuere et inter Hebraeos, veluti R. Mose Ben-Nachman, et inter Christianos, qui Jacobum spectasse tempus nascituri Messiae, ejusque vaticinationem tum demum completum iri putarent; quam quidem sententiam commendari eo, quod infra Vs. 10. Jacobus e Judae prosapia Messiam oriundum innuat. Verum recte Salomo Dubnensis in Commentario ad h. l. observat, quae Jacobus filiis praenunciat referenda potius esse ad divisionem terrae Canaanis inter filios, postquam eam ex Aegypto redituri fuerint occupaturi, idque apparere potissimum inde, quod infra Vs. 13. Sebuloni assignet tractum Canaanis aquilonarem, qui illius posteris et in distributione terrae a Josua facta vere obtigit, Jos. XIX, 10. seqq., quum contra in divisione terrae Messiae temporibus futura, quae apud Ezechielem Cap. XLVIII. habetur, Sebuloni in meridionali terrae parte sors sua assignetur, Vs. 27.; esse igitur hoc Geneseos loco formulam בְּאַחֲרִית הַיָּמִים indefinite capiendam

de tempore futuro in universum, sive propius fuerit, sive remotius. Quod et propria nominis אַחֲרִית vis suadet. Id enim a radice אַחַר *post fuit*, designat *quidquid sit posterius*, diciturque tum de *posteritate*, ut Ps. XXXVII, 37. 38. Prov. XXIV, 20. Jerem. XXIX, 11.; tum de *statu* alicujus *posteriore*, respectu prioris, רֵאשִׁית, Deut. XI, 12. Job. XLII, 12. Cohel. VII, 8. Ubicumque autem praemissa Particula ב de *tempore* adhibetur, nomen הַיָּמִים illi junctum fere reperitur; vid. Num. XXIV, 14. Deut. IV, 30. Jesaj. II, 2., cf. Dan. II, 28. Recte Saadias formulam illam hic reddidit في اخر الايّام *post hos dies*, posthac. Ceterum quae dehinc sequuntur ultima Jacobi vota alio stilo, poetico magis et grandiore, quam reliqua hujus libri conscripta esse, cuique legenti patet. Ea autem verborum sententiarumque sublimitas et imaginum splendor, quum vix exspectanda sit a sene decrepito mortique vicino, fuere jam superioris aevi interpretes, uti Clericus, qui an haec αὐτολεξεὶ a Jacobo dicta, an vero a Mose, aut Israelita quopiam alio, Jacobo vel aequali vel recentiore, novissima Jacobi verba in eam, quae nunc comparent carminis formam redacta fuerint, dubitarent. Nostra vero aetate longius progressi *Jo. Godofr. Hasse* in prooemio ad eam quam ipse dedit hujus carminis interpretationem in *dem Magazin für die biblisch-oriental. Literat.* Fasc. I. p. 6. seqq., *Jo. Henr. Heinrichs* in Commentat. *de autore atque aetate Capit. XLIX. Genes.* Goetting. 1790., cujus epitomen dedit *Eichhorn* in *der allgemeinen Biblioth. der bibl. Literat.* P. III. p. 166. seqq., et *J. S. Vater* in *Commentar. in Pentat.* P. I. p. 314., fidentius pronunciarunt, quod hoc Capite continetur carmen neque a Jacobo proficisci, neque ad ejus aetatem satis apposite referri posse. Etenim non tam hoc in iis quae hic legimus agere Jacobum, ut auguretur atque ominetur filiis, ut nonnumquam ingenii praestantia ac judicio singulari praediti solent homines, licet in incertum saepe; quam ita potius illum

hic induci, ut satis aperte respiciat mox ad situm eorum tractuum, qui aliquot secula post ipsum filiorum suorum posteris sorte obtigere in terra Cananaea ab ipsis expugnata, mox ad ea, quae a singulis tribubus gesta et facta sunt tam in terrae Cananaeae, Josua duce, expugnatione, quam postea. Quae omnia quum Jacobus nullo modo praenosse potuerit, nisi spiritu illum divino afflatum putemus, quod sine ratione idonea sumitur, effici dicunt, esse totum hoc carmen non compositum ante expugnatam atque inter singulas tribus divisam Cananaeam terram. Atque Davidis quidem temporibus esse confectum, verisimile est Heinrichsio cum ob memoratam Vs. 20. regiam dignitatem, tum ob equorum Vs. 17. factam mentionem. Quod argumentum tamen quid valeat nos quidem non satis perspicere fatemur, quum quid obstet, quo minus Jacobus utriusque illius rei mentionem injicere potuerit, haud facile appareat. Neque reliqua argumenta, quae arguere volunt, posse hoc Capite allata a Jacobo non pronunciata esse, validiora videntur. Primum enim, quod dicunt, tale dictionis ὕψος, quale in hoc Jacobi testamento deprehendamus, a sene decrepito et morti vicino exspectandum non esse; videant, annon majori sublimitatis et elegantiae laude efferant novissima haec Jacobi effata, quam quae merito iis sit tribuenda. Insunt quidem illis audaciores imagines et insolentiores loquendi formulae, quales poësi sunt propriae; sed priscorum minusque excultorum nec subtili dicendi generi assuetorum hominum sermonem sponte sua ad poësin proxime accedere, quis nescit? Praeterea venerandi senis, filios ultimum congregatos coram conspicientis, animum ita concitatum fuisse, ut ipsius sermo sese altius solito efferret, et animi commoti affectum ultimis suis verbis pondus et gravitatem addidisse, ipsa fert animi humani natura. Alterum vero quod attinet, quod obstare putant, quo minus hac pericopa Jacobi effata contineri credamus, esse in illa quae singulis tribubus post expugnatam et distributam terram Cananaeam acciderint, clarius definita et de-

scripta, quam illa praenosse Jacobus potuerit, id ipsum recte contendi negamus. Legenti enim sine praejudicata opinione carmen apparebit, spectasse Jacobum in novissimis suis votis et in assignandis filiorum singulis terrae Canaan portionibus illorum ingenia et mores. Hinc factum, quod tribus prioribus, eo quod atrociora commisissent, adversa praedicit; reliquis fere nonnisi laeta aut certe indifferentia praenunciat; quibusdam etiam e nominibus omina ducit (vid. Vs. 8. 16. 19.). Seriorem Mose scriptorem quae de Rubene et Levi Vs. 3. 5. 6. leguntur consignasse, aut tribus illis oriundas talia ab alio quopiam conficta aequo animo tulisse, parum est verisimile. Omnino autem totum hoc carmen remotissimam redolet antiquitatem, quam et arguunt quorundam e filiis cum animalibus factae comparationes, quales et apud vetustissimum Graecorum vatem, Homerum, deprehendimus (vid. Vs. 9. 14. 17. 21. 27.). Neque quomodo Moses Jacobi effata accipere potuerit, intellectu est difficile. Illa enim morituri progenitoris ultima vota a filiis summa fide et religione conservata, et a singulis ad posteros propagata et tanquam oracula habita fuisse, vix est quod dubitemus. Alia quae credibile faciant, contineri hoc Capite Jacobi effata, observarunt *Teller* in libro vernaculo sermone conscripto, cujus statim mentionem faciemus, p. 17. seqq. *Hensler* in *den Bemerkungen etc.* p. 417. seqq. et p. 432., *Jo. Ernest. Christ. Schmid* in Prolegomenis ad interpretationem hujus cantici vernacule scriptam, quae hanc gerit epigraphen: *Eins der ältesten und schönsten Idyllen des Morgenlandes, 1 B. Mos. XLIX. neu übersetzt mit Anmerkungen*, Giessae, 1793. et *Christoph. Guil. Moessler* in Dissertat. quae inscribitur: *Vaticinium Jacobi Genes. XLIX. historice, philologice, exegetice, critice consideratum, Part. I. II.*, Viteberg. 1808. in quatern. Praeterea de hujus capitis interpretatione optime meriti sunt: *Herm. Venema* in *Commentario* ad hoc caput, qui inest *ejusdem Dissertationibus Selectis ad Sacram Scripturam veteris Testa-*

menti, Leovard. 1750. 4. et T. I. P. II. totam facit; *Wilh. Abrah. Teller* in *Notis Criticis et Exegeticis in Genes. XLIX. Deut. XXXIII. Exod. XV. Jud. V.* Hal. et Helmst. 1766. 8. et in *Uebersetzung des Seegens Jacobs und Mosis, ingleichen des Lieds der Israeliten und der Debora, mit beygefügten practischen Anmerkungen*, Hal. und Helmst. 1766. 8., *Georg. Christ. Knapp* in *Dissertat. ad Vaticin. Jacobi*, Hal. 1774., *Guilielm. Green* in *the Poetical Parts of the old Testament, with notes etc.* Cambridge 1781. (in vernaculam versa a *J. F. Roos*, Giessae, 1784. 8.), *Joh. Gotth. Herder* in *Briefen das Studium der Theologie betreffend*, P. I. Weimar 1780. 8. p. 66—93. et in libro, cui titulus est: *Vom Geist der hebräischen Poesie*, P. II. Dessau, 1783. 8. p. 187—211. atque *Jo. Theoph. Plüschke* in Dissertat. ברכת יעקב *Oratio Jacobi morientis ad filios duodecim*, Lips. 1805. in quat. Denique versiculorum *decem* priorum hujus carminis interpretatio inest Dissertationi VIII. et IX. *Dissertatt. Aurivillii* a Michaele editt. Goetting. 1790.

3. רְאוּבֵן בְּכֹרִי אַתָּה כֹּחִי וְרֵאשִׁית אוֹנִי *Ruben! primogenitus meus tu, vis mea et principium roboris mei*: Periphrasis est ornatior primogeniti. כֹּחַ hic est *robur virile, quod in flore aetatis corpori inest*, et plane comparari potest cum Graecorum ἀκμή, q. d. quem viribus integris, cum primum uxorem duxeram, genui. Ita supra IV, 12. כֹּחַ *vis* telluris dicitur fructus, quem nondum effoeta tellus edere solebat. Contra qui patre jam sene susceptus est filius יֶלֶד זְקֻנִים appellatur supra XLIV, 20. Ad primogeniturae descriptionem pertinet etiam, quod Rubenem porro vocat וְרֵאשִׁית אוֹנִי *principium roboris mei*, quod non tam, cum quibusdam, ad primam quasi columnam familiae est referendum, sed ad primum columen ac primam vim generandi, quae in primogenito exeritur. Aquila vero reddidit κεφάλαιον λύπης μου, item Symmachus, ἀρχὴ ὀδύνης, quod sequutus Hieronymus in versione, ubi *principium doloris* posuit. Sane supra XXXV, 18. aderat אוֹן *dolo-*

ris significatu, ubi Rachela Benjaminen vocasse narratur בֶּן־אוֹנִי *filium doloris mei*, quod ei exitium attulisset. Illi igitur interpretes Rubenem a patre vocatum volunt *principium doloris sui*, quod is primus inter filios ei dolorem acerbum attulerit stuprata concubina Bilha, supra XXXV, 22., quod nefarium facinus illi pater exprobrat Versu sequenti. At si initium doloris et tristitiae ex filiorum facinore spectes, prius occurret Simeonis et Levi crudelitas ac perfidia in Sichemitas, supra Cap. XXXIV. Ideo רֵאשִׁית אוֹנִי hic omnino cum Onkeloso, qui רֵישׁ תּוּקְפִּי posuit, *principium roboris mei*, est vertendum, quod et suadet series orationis, quae declarat, in quo sita sit Rubenis dignitas. Accedit locus huic plane similis Deut. XXI, 17., ubi qui primo membro בְּכוֹר *permogenitus* idem extremo Versu רֵאשִׁית אֹנוֹ *initium roboris ejus*, i. e. patris sui appellatur, unde LXX. utroque loco eam phrasin per ἀρχὴν τέκνων transtulerunt, quod Hieronymus in *Quaestt. Hebrr.* ad h. l. *capitulum in liberis meis* expressit. Idem plane parallelismus est Ps. LXXVIII, 51. CV, 36. Pergit Jacobus in praedicanda Rubenis dignitate, haec addens: יֶתֶר שְׂאֵת וְיֶתֶר עָז *praecellentia dignitatis et praecellentia fortitudinis* s. *potentiae*, subaudi, erat tibi, vel, eras tu, abstractis positis pro concretis, i. e. competebat haud dubie tibi primogenitura nascendi ordine, praestabas dignitate et robore; haec te ferre et tibi tribui aequum erat jure naturae. Sed haec tanta bona, tantam hanc praerogativam tuapte culpa amisisti, tu te his tuo vitio fraudasti et privasti, uti Versu proximo sequitur. Onkelos haec ita exponit: לָךְ הֲוָה חָזֵי לְמִיסַּב תְּלָתָא חוּלָקִין בְּכֵירוּתָא כְּהוּנְתָּא וּמַלְכוּתָא *Tibi conveniebat accipere tres partes, primogenituram, sacerdotium et regnum.* Jonathan paulo fusius: *Ad te pertinebat primogenitura, et dignitas sacerdotis, et regnum; sed propterea quod peccasti, mi fili, data est primogenitura Josepho, et regnum Judae, et sacerdotium Levi.* In eundem modum Hierosolymitanus paraphrastes, et Hieronymus, cujus haec sunt verba in *Quaestt.* ad h. l.: *Debebas juxta ordinem*

nativitatis tuae, et haereditatem, quae primogenitis jure debebatur, sacerdotium scilicet et regnum, accipere; hoc quippe in portando onere, et praevalido robore demonstratur. Non meminit duplicis portionis, quae primogenitis debebatur, et in terrae divisione cessit Josepho ejusque duobus filiis, at dignitas regni data est Judae, quod is inter fratres potentissimus esset, ut expresse dicitur 1 Chron. V, 1. 2., quamquam Ruben alioquin semper in genealogiis pro primogenito recensetur, unde et primus portionem accepit ultra Jordanem in terra Gilead, verum ut unus tantum ceterorum. Voce שְׂאֵת Hebraeonum quidam sacerdotii dignitatem indicari putant, ab *offerendis* scilicet *sacrificiis*, et *elevatione* seu *expansione manuum*, Hebraeis נְשִׂיאַת כַּפַּיִם dicta, qua populo sacerdotes benedicebant. Hinc Lutherus: *der oberste im Opfer und der oberste im Reich.* Verum simplicissimum videtur, ut שְׂאֵת (Infinitivus verbi נָשָׂא *extollere, elatum esse*) *dignitatem*, seu *excellentiam* significet, qua quis supra alios elevatur, nec ex vocis proprietate ad sacerdotium magis, quam ad ullam aliam dignitatem referatur. Bene Saadias: مُفَضَّلٌ فِي ٱلشَّرَفِ *praecellens in nobilitate.* LXX. posterius hoc hemistichium sic reddidere: σκληρὸς φέρεσθαι καὶ σκληρὸς αὐθάδης, *durus ferri et durus pervicax.* Pro יתר in suo codice יחר habuisse, J. E. Grabio in Annotatt. posthumis ad Caput hoc XLIX., quas edidit P. J. Bruns in *dem Repert. für bibl. und morgenl. Literat.* P. IV. p. 4. seqq., ideo est verisimile, quod interpretes illi et supra XLV, 5. verba אַל־יִחַר בְּעֵינֵיכֶם μηδὲ σκληρὸν ὑμῖν φανήτω, et 1 Sam. XX, 7. חָרֹה σκληρῶς reddiderunt. Vulgatus verba יֶתֶר שְׂאֵת וְיֶתֶר עָז sic est interpretatus: *prior in donis, major in imperio.* Convenit R. Levi Ben Gerson, qui verba duo priora יתר משאת *excellens donatione* exposuit, et sensum hunc esse dicit: quia primogenitus es, decebat te aliquid amplius ex haereditate, pro more et consuetudine primogeniti, cui portio addebatur super reliquos fratres.

4. פַּחַז כַּמַּיִם *Lascivia instar aquarum* exundantium, scil. erat tibi. Quum verbi פָּחַז derivata Judic. IX, 4. Jerem. XXXIII, 32. et Zephan. III, 4. cum vocibus *vanitatem* et *mendacium* indicantibus conjungantur, nomini פַּחַז *levitatis* notionem fere tribuunt. Sed aeque bene convenit *temeritatis*, *petulantiae* et *lasciviae* notio. Arabibus فَخَرَ est *superbivit*, et in V. *semet extulit gloria fastuque*, Chaldaeis פְּחַז *exsilire*, *subsilire*, Syris ܦܚܙ *salax lascivus fuit.* Hoc loco non dubium est, libidinis incontinentiam conferri aquis ruptis aggeribus exundantibus, quae praeceps feruntur et contineri nequeunt. Haud male Hieronymus vertit: *effusus es sicut aqua.* *LXX.* ἐξύβρισας ὡς ὕδωρ, *insolentius te gessisti sicut aquae*, fluminis scilicet, alveo suo egressi et vicina exundantis. Saadias verba פַּחַז כַּמַּיִם una cum אַל־תּוֹתַר ita vertit: بِنَهْلَةٍ مِنْ مَاءٍ لَا تُفَضَّلُ *haustu aquae non abundabis*, cujus interpretationis sensum *de Sacy* in Commentat. *de versione Samaritano-Arabica Pentateuchi*, inserta *der allgem. Biblioth. der bibl. Literat.* ab Eichornio edit. P. X. p. 62. hunc esse pronunciat: *haud tantum praecipui habebis, quantum aquae uno haustu sorbere potes*, et Saadiam sequutum esse Samaritano-Arabicum interpretem, qui sic habet: جرعة من الماء لم تفضل *uno haustu aquae praecipui nomine non donaberis.* Pro nomine פַּחַז veteres secundam Verbi personam expresserunt, perspicuitatis et facilioris constructionis causa, non quod פָּחַזְתָּ legerunt, uti praeter alios et Ill. de Sacy l. l. conjicit. Alias interpretationes vid. in *Vitringae Observatt. SS.* L. I. Dissert. III. Cap. 1. p. 168. et in *C. B. Starkii Nott. selectt.* ad h. l. — אַל־תּוֹתַר *Ne excellas*, sc. dignitate et honore; sive, ut exponit *Casaubonus* in *Exercitatt.* I. §. 2., μὴ πλέον ἔχε, *ne plus habeto*, ne excellito posthac eo jure, quod tibi ordo nascendi dederat. Sequitur ratio: כִּי עָלִיתָ מִשְׁכְּבֵי אָבִיךָ

quia ascendisti cubilia patris tui, i. e. ejus torum. Simile illud Virgilianum *Aeneid.* VI, 623.: *hic thalamum invasit natae vetitosque Hymenaeos.* Spectat filii cum pellice patris, Bilha, concubitum, de quo supra XXXV, 22. — אָז חִלַּלְתָּ *Tunc profanasti*, violasti, contaminasti, ea scilicet, patris tua cubilia. Nam cum sequenti יְצוּעִי conjungere vetat accentus distinctivus Tiphcha voci חִלַּלְתָּ appositus. Verba Versus postrema, יְצוּעִי עָלָה, plures sic vertunt: *ascendit*, i. e. abiit in auras, *stratum meum*, evanuit, abiit ejus dignitas, utpote a te violati et inquinati. Verbum עָלָה enim, ubi dicitur de aqua aut de rore, idem est ac in vaporem resolvi, evanescere, ut Exod. XVI, 14.; Psalmo vero CII, 25. interitum hominis significat, et Ezech. XI, 24. de visione, quae evanuerat, usurpatur. Durior tamen ista hujus loci interpretatio videtur. Alii, ut Dathius, Infinitivum עָלֹה *ascendendo* legendum volunt. Alii per ellipsin sic capiunt: cum fuisti is, qui torum meum ascenderet, quod coacte. Nil obstat, quo minus simpliciter vertamus: *stratum, s. thalamum meum ascendit*, incestum illi intulit. Nam, uti apposite observat Knappius, qui ira commoti sunt, saepe ita solent breviter quae ante dixerant repetere, atque ille ipse a persona secunda ad tertiam transitus animo concitato apprime convenit. Quod Alexandrinus interpres οὗ ἀνέβης vertit, minime arguit illum עָלִיתָ in suo codice Hebraeo reperisse; sed voluit orationem membro priori convenientem reddere.

5. Jam transit ad sequentes. Conjungit autem Simeonem et Levi dum dicit: שִׁמְעוֹן וְלֵוִי אַחִים *Simeon et Levi*, vos qui *fratres* estis, quod socii fuerunt in clade et direptione Sichemitarum, vid. supra XXXIV, 25. seqq., et alias juncti fuerint, sicut et hos praecipuos auctores venditionis Josephi fuisse Hebraei volunt; unde et *fratres* eos ambos vocat notanter, quum et alios ac ex eadem matre fratres haberent, quod socii essent et conjunctissimi in obeundis cruentis facinoribus. In altero Versus hemistichio, כְּלֵי חָמָס מְכֵרֹתֵיהֶם, difficultatem creat vox po-

strema, hoc tantum loco obvia, incertae significationis. Sunt, qui non differre putent a מְכוּרָה, Ezech. XVI, 3., et מְכוּרָה ibid. XXI, 35. XXIX, 14., quam ipsam tamen non uno modo exponunt, aliis *commorandi locum, habitationem*, ut מְגוּרָה, aliis *originem, ortum, cognationem* interpretantibus; vid. not. ad Ezech. XVI, 3. Qui prius eligunt, verba ita exponunt: *vasa*, i. e. σκεύη, instrumenta *violentiae habitationes eorum*, vel, subaudito ב, *in habitationibus eorum*, ut hoc dicat: eorum domicilia et consortia nihil aliud sunt, quam organa violentiae; in eorum contubernio nihil aliud agitur quam de injuriae inferendae ratione. His accensendus Onkelos, cujus haec sunt verba: גּוּבְרִין גִּבָּרִין בְּאַרַע תּוֹתָבוּתְהוֹן עֲבָדוּ גְּבוּרָא *viri fortes in terra habitationis eorum fecerunt fortitudinem*, ubi tamen *fortitudo* pro *violentia* est capienda; alias verba, contra Jacobi mentem, laudem potius quam vituperium sonabunt. Sed qui מְכֵרוֹת alterâ earum, quae supra sunt memoratae significationum capiunt, verba interpretantur vel sic: *instrumenta violentiae* sunt *origines*, i. e. indoles *eorum*, quo referendus est Syrus: ܡܐܢܐ ܕܚܡܬܐ ܡܢ ܟܝܢܗܘܢ *instrumenta furoris e natura eorum*, vel hoc modo: *instrumenta violentiae* sunt *cognationes*, consortia *eorum*. Ita Mendelssohn: *Werkzeuge der Gewaltthätigkeit sind ihre Verwandtschaft*. Verum sensus prodibit simplicior, si cum Jarchio מְכֵרָה sumamus idem esse quod Graecum μάχαιρα, quod, ut alia haud pauca, ad Graecos pervenerit ex Oriente, quomodo erit: *gladii eorum sunt violentiae instrumenta*; utuntur illis non ad vim et injuriam repellendam, sed ad violentiam aliis inferendam. Eandem explicationem et Hieronymus a suo Hebraeo magistro accepisse videtur; dicit enim verba illa in Hebraica veritate haec sonare: *vasa iniquitatis arma eorum*. Quam interpretationem *Job. Ludolfus* in *Lexico Aeth.* p. 639. nimis fidenter *falsam* pronunciat. Ipse post Ludovicum de Dieu et Castellum מְכֵרוֹת *consultationes*, aut *machinatio-*

nes notare autumat ex notione *consultandi*, quae Aethiopico מְכַר inest, et collato Arabico مَكَرَ *machinatus fuit, excogitavit quid, dolum struxit, circumvenit, fefellit*, unde مَكْرٌ *machinatio, dolus*. Minus commode tamen consultationes aut fallaciae instrumenta violentiae dici videntur. Ceterum *consilii* significatu nomen מְכֵרוֹת et LXX. ceperunt: ita enim reddunt posterius Versus hemistichium: *συνετέλεσαν ἀδικίαν ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν, perfecerunt iniquitatem ex proposito suo*, pro lubitu suo. Pro כְּלֵי legerunt כלו, quod et textus Samaritanus exhibet. Clericus e Syriaco ܡܟܰܪ *desponsavit* locum sic interpretatur: *eorum sponsiones instrumenta contumeliae*; quia sororis, Dinae, sponsione ficta Sichemitas circumvenerunt Simeon et Levi. Probat hanc interpretationem *J. D. Michaelis* in *Supplemm.* p. 1502., hoc unum addens, quaesitam inesse vocabulo ambiguitatem, fraudisque opprobrium, ex altera *decipiendi* notione, quam verbum Arabicum obtinet. „Latine," inquit, „*fraudulenta sponsalia* diceres, quod nempe in pactis sponsalibus exigerent, ut circumciderentur Sichemitae, circumcisos nec resistere valentes trucidarent."

6. בְּסֹדָם אַל־תָּבֹא נַפְשִׁי בִּקְהָלָם אַל־תֵּחַד כְּבֹדִי *In arcanum*, consilium *eorum ne veniat anima mea, in coetu eorum ne uniatur gloria*, i. e. anima *mea*, nolim ego eorum accedere consilio, nec ullo modo cum illis communicare. סוד, quod proprie *secretum colloquium, familiarem* cum aliquo *consuetudinem* denotat (vid. not. ad Ps. XXV, 14.), hic speciatim occultum Simeonis et Levi conventum et secretum eorum consilium indicat, quo dolos struxerunt Sichemo et improbum illud facinus decreverunt. Phrasi vero, *se non intrare eorum consilia*, testatur Jacobus, eum non approbare ejusmodi consilia, sed ea potius vehementer detestari ipsumque neque nunc neque in posterum hoc, aut simile quid, ab ipsis patrandum, probaturum esse. כְּבוֹדִי ex parallelismo membro-

rum idem hic est quod נַפְשִׁי, *anima mea*, quae in aliis etiam locis V. T. ita vocatur, tanquam praestantior et nobilior pars hominis, vid. Ps. VII, 6. XVI, 9. XXX, 13. et ad ea loca notas. Quod vero nomini huic masculino jungitur verbum femininum תֵּחַד, causa videtur haec esse, quod respicitur significatio, qua convenit cum praecedente feminino נֶפֶשׁ. — בְּאַפָּם הָרְגוּ אִישׁ *In ira sua interfecerunt virum*, i. e. viros, collective sumendum est, ut non solus Hemor, sed omnes mares Sichemae hac appellatione comprehendantur, quos filii Jacobi interfecerunt. וּבִרְצֹנָם עִקְּרוּ־שׁוֹר *Et in voluntate*, i. e. lascivia, petulantia *sua enervarunt taurum*, i. e. tauros, collective ut antea אִישׁ; succiderunt poplites, aut suffragines taurorum, quo maleficio operi rustico prorsus inutiles fiebant. Ita subnervati equi a Josua XI, 9. jussu Dei, ne Israelitae equestres ullas copias haberent. Vid. *Bocharti Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 11. T. I. p. 145. edit. Lips. Qua de re illo libri Josuae loco verbum עִקֵּר in Piel, ut hic, adhibetur. Convenit Arabicum عَقَرَ *vulneravit*, peculiariter *in pedibus* equum, camelum, pedes incidit iis, suffragines succidit, quo significatu occurrit in Amralkeis *Moallaca* Vs. 14., unde عَقِيرَةٌ *praeda cui incisa sunt cum nervis sua crura*. Recte LXX.: ἐν τῇ ἐπιθυμίᾳ αὐτῶν ἐνευροκόπησαν ταῦρον. Neque igitur opus est, ut vel nomine שׁוֹר *bos*, sive *boves*, per metaphoram indicari putemus potentiores urbis Sichem, quam opinionem commendari putant locis Deut. XXXIII, 17. Ps. XXII, 13. LXVIII, 31., aliisque, quibus homines viribus et potentia pollentes comparantur tauris, vel ut cum Onkeloso, Syro, Arabe utroque et Vulgato legamus שׁוּר *murus*, ut haec verba de *murorum* urbis *Sichem destructione* intelligenda sint, quum et Verbum עֲקַר Syris *destruere*, *evertere aedificia* denotet. Quae tamen interpretatio parallelismo membrorum minime convenit. Concinna vero quae ex interpretatione supra primo loco posita prodit senten-

tia, Simeonem et Levin eo progressos esse immanitatis, ut interfectis hominibus ne quidem jumentis pepercerint, sed quae non secum abducere potuerint (vid. supra XXXIV, 28. 29.), mutilarint operique rustico inutilia reddiderint.

7. אָרוּר אַפָּם כִּי עָז וְעֶבְרָתָם כִּי קָשָׁתָה *Maledicta sit eorum ira, quoniam violenta, et furor, quoniam durus est,* i. e. detestabilis est ira eorum immodica, et furor eorum effrenatus. אֲחַלְּקֵם בְּיַעֲקֹב *Dispertiam eos in Jacobo,* h. e. eorum sedes in Cananaea Jacobi posteris occupanda non sint contiguae, nec uno perpetuo tractu sitae. Simeonitis ex progenitoris voluntate sedes in mediis tribus Judae agris obtigere, ut apparet ex Jos. XIX, 1. 9., et quum priscae sedes non sufficerent tantae capiendae multitudini, aliquantum agri tum Idumaeis tum Cananaeis vi ademerunt, licet serius, 1 Paral. IV, 33. seqq. Etsi enim terra Cananaea sortitione facta inter tribus distribuenda dicatur Jos. XIII, 6. XIV, 2., tamen non plane casui fortuito permissum fuisse, quas singulae tribus portiones acciperent, colligere est ex iis, quae Jos. XIII, 8. seqq. XIV, 6. seqq. legimus. Levitica vero tribus urbes ex unaquaque tribu sibi adtributas habuit. Quare cum Simeonitarum tum Levitarum agri sparsi *per Jacobum,* i. e. per Israelitarum reliquorum sedes fuere. Hic enim *Jacobus* et *Israel,* ut saepius, hujus viri, cui utrumque nomen fuit, posteros significat. וַאֲפִיצֵם בְּיִשְׂרָאֵל *Et dispergam eos in Israel.* Hoc hemistichio, quod antecedenti ἰσοδύναμον est, dicitur Jacobus facturus, quod fecerunt ejus posteri; qui sorte Simeonitis sedes adtribuerunt et Levitas per totum Israelem diviserunt. Licet postea Levitica tribus sacerdotium consequuta sit, et praemia sat magna in victimis, decimis, aliisque ad sacerdotium jura pertinentibus habuerit, haec tamen non tanti fuere, ac si continuum aliquem terrarum tractum accepisset, quem perpetuo tenuisset; quia dubium non est, quin decem tribus, in idololatriam delapsae et aliis sacerdotibus usae, sacerdotalia jura Levitis negaverint. Simeoni-

tarum agri non ita quidem fuerunt divisi, sed tamen non continui inter se, dissipati potius inter reliquas tribus.

8. יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ אַחֶיךָ *Juda, te celebrabunt fratres tui*, i. e. tibi reliqui fratres eorumque posteri summum honorem tribuent. Paronomasia est in verbis יְהוּדָה et יוֹדוּךָ, nam a verbo יָדָה derivatum est nomen Judae, supra XXIX, 35. Appellarat eum ita Lea mater, quod Deum laudandi materiam nacta esset quarta jam tum prole aucto marito. Nunc Jacobus alio etymon accommodat, quasi Judas ideo dictus sit, quod esset celebrandus a fratribus. Ut tu, inquit, Judas vocaris a *laude*, sic futurum est, ut te praecipue fratres collaudent, sicut fert nomen tuum. Ceterum verba יְהוּדָה אַתָּה non vertenda sunt *Juda tu es*, ut quidam faciunt, sed simpliciter *Juda!* Solent enim Hebraei eleganter aut pronomen aut sequens affixum redundanter ponere, ut idem sit, ac si dixisset simpliciter יוֹדוּךָ; qui pleonasmus et apud Arabes frequentissime usurpatur, ut ostendit *A. Schultens* ad h. l. *Oper. minor.* p. 129. 130. Vid. et Pf. IX. 7. et ad eum loc. not. יָדְךָ בְּעֹרֶף אֹיְבֶיךָ *Manus tua in cervice hostium tuorum*, scil. erit, eos virtute manus tuae fugabis, ut tibi terga vertant. Praedicatur Judae virtus bellica et animi praestantia ac fortitudo. עֹרֶף *cervix, collum*, hic pro *tergo, dorso* capiendum, et recte LXX. νῶτον reddiderunt, ut in phrasi saepius obvia, *dare alicui* עֹרֶף אֹיְבָיו *tergum hostium*, i. e. eos fugandos permittere, vid. Exod. XXIII, 27. Jos. VII, 8. 12. Ps. XVIII, 41. יִשְׁתַּחֲווּ לְךָ בְּנֵי אָבִיךָ *Procumbent coram te filii patris tui*, i. e. ob virtutem, robur et imperium, quod tibi parabis, sese tibi summittent, venerabundi prosternent, et dominationem tuam agnoscent. Ubique tribus Judae princeps quasi ceterarum tribuum fuit. Primam aciem in exercitu duodecim tribuum habuit Num. X, 14. Jud. XX, 18. Prima veteres colonos ex agris sibi a Josua divisis migrare coegit Jud. I, 2. et seqq.

9. גּוּר אַרְיֵה יְהוּדָה *Catulus leonis est Juda.* Viro-

rum fortium cum leonibus comparatio neque Hebraeis neque aliis insolita. Vid. Deut. XXXIII, 20. Jesaj. XXXI, 4. Est in leone aliquid, quod magni animi speciem habeat, quum nec apertam vim timeat, nec insidias ullas, sed hostem aggrediatur impavidus. Unde nec Homerus Sarpedona cum leone comparare dubitavit *Iliad.* M. 299. seqq. Ceterum in hac Judae cum leone comparatione est gradatio quaedam. Confertur enim primum catulo leonis, deinde adulto leoni, denique leaenae, quae utroque terribilius furit; qua imagine res fortiter gerendae a tribu Judae ejusque incrementa describuntur. מִטֶּרֶף בְּנִי עָלִיתָ *Ex praeda, mi fili, ascendisti,* i. e. ascendes, Praeteritum pro Futuro positum, ut solet in praedictionibus. Comparatio inde desumta, quod leones post praedam e locis montibus subjectis raptam in montes, ubi lustra habent, ascendunt, uti pluribus probavit *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 2. T. II. p. 36. edit. Lips. Sensus itaque hic erit: redibis invictus a praeda, et te in locum tuum relata de hostibus praeda recipies. Alii verbum עָלָה hic *crescendi*, *invalescendi* significatu capiunt, quae sane conjuncta est cum *ascendendi* notione; et usurpatur hoc verbum Arabibus quoque de incremento, e. c. plantarum, uti Hebraeis, ut supra XL, 10. Ezech. XIX, 3. Jes. LIII, 12. Qua adscita significatione sensus hic erit, fore, ut Judae posteri bellis feliciter gestis et victoriis saepius reportatis magis magisque invalescant. כָּרַע רָבַץ כְּאַרְיֵה וּכְלָבִיא *Incurvat se, accumbit instar leonis et leaenae.* De nominibus אַרְיֵה et לָבִיא, quorum illud generale est speciei totius, alterum *leaenam* significat, vid. Bochartum l. c. Cap. 1. p. 5. et 11. כָּרַע, *crura flectit,* LXX. verterunt ἀναπεσών, *requiescens*, Aquila κάμψας, scil. γόνατα, sive σκέλη, Symmachus, propriam verbi significationem exprimens, ὀκλάσας, *genubus flexis*, vertit. Graphice describitur leaena satura in antrum redux, quae primum crura flectit, dein toto corpore in terram procumbit. מִי יְקִימֶנּוּ *Quis eriget*, excitabit *eum?* Quis irritare eum audeat? Quamvis sumta esca Leo mitior sit,

ut auctor est *Aristoteles Hist. Animal.* L. IX. c. 44., attamen, si quis in antro recubantem excitare adgrediatur, collecta ira, totam ferocitatem prodit. Sensus igitur hujus comparationis hic est: quemadmodum leonem saturum, in antro recubantem, excitare sine maximo periculo nemo potest; ita Judae tribum spoliis gravem, et domi depositis armis quiescentem, nec de bello cogitantem, nemo lacessere sine malo suo poterit, propter strenuos viros et rei bellicae peritos, quibus abundabit. Horum aliquot nomine adpellantur 1 Paral. XI. et XII. Ceterum cf. Numer. XXIII. 24. et XXIV. 9., ubi plane similia iis, quae de Juda hic dicit Jacobus, de toto Israële pronunciat Bileamus.

10. לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה *Non recedet a Juda sceptrum*, i. e. regimen, imperium. Nomen שֵׁבֶט, quod proprie quemcunque *baculum* vel *scipionem* notare constat, tum praesertim talem, qualem duces et supremi suorum rectores potestatis insigne gerere solent, sive sceptrum, per metonymiam haud raro ipsum designat *imperium*, *imperatoriam dignitatem*, ut Num. XXIV, 17. Jesaj. XIV, 5. Zach. X, 11., quo quidem loco eadem, quae hic legitur phrasis: וְשֵׁבֶט מִצְרַיִם יָסוּר *et sceptrum Aegypti recedet*, i. e. ejus dominium desinet. Hinc LXX. et Theodotion h. l. verterunt ἄρχων, Symmachus ἐξουσία. Suffragantur paraphrastae Chaldaei, e quibus Onkelos posuit עָבִיד שׁוּלְטָן, *exercens dominium*, reliqui duo מַלְכַיָּא *reges*. Nomini שֵׁבֶט respondet in membro sequenti מְחֹקֵק, quod proprie eum *qui aliquid statuit*, *decernit*, *νομοθέτην*, denotat, quomodo Num. XXI, 18. de Mose dicitur, et in universum de *primoribus*, *praefectis* populi exercitusve usurpatur, ut Judic. V, 14., et Ps. LX, 19. tribus Juda vocatur מְחֹקֵק *princeps*, *antesignanus*. Phrasin quae sequitur, מִבֵּין רַגְלָיו, ante quam repetendum est לֹא־יָסוּר, *non recedet e medio pedum ejus*, interpretum plures haud differre a simplici מִמֶּנּוּ *ab eo* existimant, auctore potissimum *J. A. Ernesti*, qui in Prolus. *de vestigiis linguae Hebraicae in lingua Graeca*, repet. in

Opuscc. philolog. critt. (Lugd. Batav. 1776. in octon.) p. 173. seqq. phrasin illam comparat cum simili, qua Plato utitur in *Theage* T. I. p. 123. A., ἐκ τῶν ποδῶν ἀποχωρήσομεν, et Xenophon in *Sympos.* Cap. 4. §. 51. ἐκ ποδῶν ἀπέρχονται, qua utraque nil aliud, quam quod Latini dicunt *e medio discedere*, sive simpliciter *abire*, designatur. „Etenim," inquit, „Hebraeorum mos est, homines exprimere per partes corporis, quarum qualiscunque sit conjunctio cum re ea, quae iis tribuitur; idque cum faciunt, nihil de istis partibus cogitant, sed totam personam animo contuentur. Ita plurima membrorum nomina in codice Hebraeo ponuntur pro *toto homine*; veluti יָד *manus*, ut 1 Sam. XXII, 17. 2 Regg. XVII, 13. Job. IV, 3. פֶּה *os*, ut Jos. I, 8. Es. XI, 4., שַׁד *mamma, uber*, ut Hos. II, 4., quo maxime illustratur noster locus, quum eadem hic appareat construendi ratio. Dicitur enim: - - - וְנַאֲפוּפֶיהָ מִבֵּין שָׁדֶיהָ *removebit adulteria sua e medio mammarum suarum*, i. e. ab ipsa. Eodem modo et ipsum רֶגֶל usurpatur supra XXX, 30. *Benedixit Deus tibi* לְרַגְלִי *per me*, vid. et Exod. XI, 8. Jud. VIII, 5. 1 Regg. XX, 10., ubi legitur: *omnis populus, qui est* בְּרַגְלָי *post me*, Ps. VIII, 7. aliaque similia. Eundem in modum redundare deprehenditur cum Graecorum πούς, tum Latinorum *pes*, adeo ut dictiones: *sub pedibus, ante* vel *circum pedes alicujus*, non nisi, *sub aliquo, ante* vel *circum aliquem*, simpliciter saepenumero denotent; quemadmodum: *servum abducere a legatorum pedibus*, ut est apud *Ciceronem* in *Orat. pro Rege Dejot.* Cap. I. §. 2., tantummodo exprimit: *a legatis.*" Veruntamen non plane eadem est ratio phraseos Hebraicae מִבֵּין רַגְלַיִם, qua potius, recte observante *Noldio* in Nott. ad *Concordantt. Particular.* No. 1727. p. 917. ed. Tymp. *genitalia* κατ' εὐφημίαν designantur, ut Deut. XXVIII, 57. שִׁלְיָתָהּ הַיּוֹצֵת מִבֵּין רַגְלֶיהָ אֲשֶׁר *secundinae quae exeunt ex eo quod inter pedes ejus.* Simili phrasi soboles alicujus *ex ejus femore exire* dicitur, vid. supra XLVI, 26. Exod. I, 5. Jud. VIII, 30. Quare non sunt vituperandi LXX.,

qui verba וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו reddidere *καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ*, quos sequutus Hieronymus: *et dux de femore ejus.* Onkelos quoque et Hierosolymitanus pro מִבֵּין רַגְלָיו posuere מִבְּנֵי בְנוֹהִי *e filiis filiorum*, et Jonathan מִזַּרְעֵיהּ *e semine ejus.* Sensus igitur horum verborum iis, quae praecesserunt, consonus hic erit, numquam defuturos inter Judae posteros viros principes, dignitate et auctoritate insignes, qui rebus administrandis in bello et pace idonei sint. Qua quidem in sententia quum nihil sit, quod jure desideres, minime opus est, ut adoptemus quod in textu Samaritano exstat, מבין דגליו, *e mediis vexillis ejus*, quod post *Job. Ludolfum* in Commentat. quae inscribitur: מְחֹקֵק יְהוּדָה אֵינֶנּוּ, *hoc est, Dux Judaeorum sublatus*, Jenae, 1674. in quat. refutata a *Joa. Diecmanno* in Dissert. *de legislatore a medio pedum Judae ante adventum Christi non recedente*, Stadae, 1689. (utraque repetita legitur in *Thesauro novo theolog. philol.* T. I. p. 228. seqq.), commendarunt Clericus, Hubigantius et Tellerus. Sed major sententiarum discrepantia est in verborum quae sequuntur, עַד כִּי־יָבֹא, שִׁילֹה, interpretatione, maxime ob nomen שִׁילֹה. Id quidem quum alias urbis sit nomen in sorte tribus Ephraim sitae, quod et defective scribitur, שִׁלֹה, veluti Jos. XVI, 6. XVIII, 1. 8. Jud. XVIII, 31., nec non שִׁילוֹ, ut Jud. XXI, 21. Jerem. VII, 12., atque שִׁלוֹ Jud. XXI, 19. 1 Sam. III, 21. Jerem. VII, 14., quae omnes scripturae varietates hoc ipso loco in codicibus passim reperiuntur (vid. *De Rossi Varr. Lectt.* T. IV. Append. p. 217. seqq. et *Scholia critt.* ad h. l.); simplicissimum fuerit, verba illa sic reddere: *usque dum venerit Schiluntem*, praesertim quum phrasis וַיָּבֹא שִׁלֹה hoc sensu 1 Sam. IV, 12. legatur. Commendavit hanc interpretationem, primum a R. Lipmano in libro *Nizzachon* ab Hackspanio edito p. 27. propositam, argumentis grammaticis, historicis et dogmaticis, *G. A. Teller* in *Nott. critt. et exegett.* in hoc Cap. p. 130. seqq. Existimat vero his verbis illud respici, quod quum in itinere populi Israelitici per

Arabiae deserta tribus Juda in castris semper primum locum occupasset (Num. II, 3—9.), atque in movendo castra reliquis tanquam antesignanus praeivisset (Num. X, 14.), simul atque Siluntem perventum esset, ceterae tribus a Juda discesserunt, ut quaeque terram suam sorte acceptam, ut Rubenitae et Gaditae, aut mox accipiendam, ut reliquae tribus, occuparent; tunc igitur desiisse principatum tribus Judae. In similem cogitationem, ignorata tamen, uti videtur, Telleri interpretatione, incidit *Gregor. Zirkel* in Dissertat. *super benedictione Judae Genes. XLIX, 8—12.*, Wirceburg. 1786. in octon., qui p. 55. Jacobum hisce verbis hoc voluisse existimat: dux sit Judas usque ad plenam Palaestinae possessionem, usque dum devictis hostibus *Siluntem*, i. e. *ad quietem* venire licet. „Pater," inquit, „duce Juda posteros suos reduci ad loca sibi suisque familiaria, Bethel, Sichem, cetera, vehementer desiderat, ut, quibus in locis Palaestinae possidendae promissionem acceperant, in iis quoque ejus possessionem auspicarentur, Silunte quasi termino belli et laborum et symbolo quietis constituta, et gaudium ac tranquillitatem exhibente, quam ipso nomine promittit, est enim שִׁילֹה a verbo שָׁלָה *cessavit, quievit.*" Habebit tamen tale votum, quod Judae principatum et ducis dignitatem ad illud tantum temporis spatium restringit, quod Palaestinae occupationem praecedit, languidi quid et paene frigidi. Plura sententiae illi, esse שִׁילֹה hic nomen Siluntis, urbis, opposuit auctor anonymus Commentationis, quae inscribitur: *Prüfung der Tellerschen Erklär. über 1 Mos. XLIX, 10.* 1768. in octon. Nos quidem non dubitamus, esse שִׁילֹה h. l. nomen appellativum a שָׁלָה *tranquillus, quietus fuit* deductum, formae קִיטוֹר *fumus* (a קָטַר), קִימוֹשׁ *carduus*, צִינֹק *nervus, vinculum*, et quae sunt alia hujus generis. Erit igitur שִׁילֹה seu שִׁלֹה *tranquillitas* (idem quod שַׁלְוָה, Ps. CXXII, 7. Prov. XI, 21. Dan. VIII, 25.), id est, eadem, qua in priori Versus membro שֵׁבֶט *sceptrum* dicitur pro eo qui sceptrum tenet, i. e. principe, metony-

mia, *tranquillitatis* auctor, pacificator, qui turbata omnia et confusa ad pacem et tranquillitatem desideratissimam feliciter revocabit, nec igitur sensu diversum a שַׂר שָׁלוֹם *princeps pacis*, quod est inter Messiae nomina Jesaj. IX, 5. (ad quem loc. cf. not.), et a שְׁלֹמֹה, quod a שָׁלוֹם *εἰρηναῖον* notare expresse dicitur 1 Chron. XXII, 9. Hinc factum, ut Samaritani nomine שִׁילֹה *Salomonem* indicari ajunt. Vid. *Epistol. Samarit. Sichemitar. ad Ludolfum tert.* edit. a *P. J. Bruns* in *dem Repertor. für bibl. und morgenl. Literat.* P. XIII. p. 281. et p. 289. not. f.), atque *Silv. de Sacy Commentat. de versione Samarit. Arab. Pentat.* in Eichhornii *Biblioth. der bibl. Literat.* P. X. p. 54. Ad Messiam, quem orbi conciliaturum tranquillitatem omnemque felicitatem semper sperarunt Hebraei, nomen שִׁילֹה retulerunt veteres interpretes raro consensu, quamvis de propria illius significatione inter se dissenserint. LXX. locum ita reddunt: *ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ*, *donec veniant quae ipsi reposita sunt*, vel, ut alii legunt, *ᾧ ἀπόκειται*, *cui repositum est*, quae tamen potius Aquilae Symmachique est interpretatio. Eos interpretes vix dubium est hoc voluisse: *donec veniat regnum quod repositum est ei*, scil. Messiae. Quem sensum clarius expressit Onkelos: עַד־דְיֵיתֵי מְשִׁיחָא דְדִילֵיהּ הִיא מַלְכוּתָא *donec veniat Messias, cujus est regnum;* et eodem modo, exigua tantum varietate, Targum Hierosolymitanum. Illi etsi pro שִׁילֹה legisse שֶׁלּוֹ videantur, id est, אֲשֶׁר לוֹ *cujus est*, ad quem pertinet scilicet sceptrum illud, de quo loquitur Jacobus, quod et inde verisimile fuerit, quod Syrus ܗܘ ܕܕܝܠܗ ܗܘ *is cujus illud est*, et Saadias الَّذِي هُوَ لَهُ *is cui est*, reddidit; id tamen non sine causa negat *Buxtorfius* in *Anticrit.* p. 714. „Vox enim שילה cum Jod scripta illum legendi modum non admittit; sic autem constanter scribitur in omnibus libris, sic etiam olim legerunt Talmudici, ut ex iis liquet. Sic in libro Zohar

—

scribitur diserte, alibi legi שִׁילוֹ cum Vau, alibi שִׁלֹה sine Jod, hic vero cum י et ה in fine, ad indicandum nomen divinum יָהּ. Masora etiam hanc lectionem confirmat. Deinde versio Onkelosi id non evincit; est enim paraphrastica, et latior unius vocis explicatio, in quibus saepe non tam literalis, quam mysticus aliquis sensus inclusus est. Ego dico, Onkelosum primo reddere voluisse in hac versione vocem שִׁילֹה, deinde adjunxisse ulteriorem declarationem. Vocem שִׁילֹה reddidit מְשִׁיחָא *Messias*, dum ait: *donec veniat Messias.* Veteres Hebraei enim hoc nomen שִׁילֹה inter nomina Messiae retulerunt, ut in Talmud in Perek Chelek, in Bereschith rabba, et in aliis videre est. Itaque מְשִׁיחָא est explicatio nominis שִׁילֹה, quia שִׁילֹה זֶה הַמָּשִׁיחַ *Schilo est Messias.* Quae sequuntur, vel honoris causa erga Messiam sunt addita, sicuti vulgo eum מַלְכָּא מְשִׁיחָא *Messiam regem* vocant, vel aliam et arcanam vocis ejusdem mysticae explicationem continent, desumtam vel ex arte Cabbalistica נוֹטָרִיקוֹן, qua alluditur in שִׁילֹה ad שֶׁלּוֹ, quasi nempe שִׁילֹה ideo dicatur *quia ejus sit* regnum, vel ex רָאשֵׁי תֵיבוֹת ratione scribendi per abbreviaturas, ac si שִׁילֹה diceretur Messias שֶׁיֵּשׁ לוֹ הַמַּלְכוּת *cujus est regnum.*" Nititur vero haec interpretatio illo Ezechielis loco XXI, 32. (al. 27.), ubi Jova minatur, se velle abolere regnum Judaicum, עַד־בֹּא אֲשֶׁר־לוֹ הַמִּשְׁפָּט *donec veniat is, cui judicium,* i. e. summa gubernandi et judicandi potestas; vid. not. ad eum loc. Jonathan hunc locum sic vertit: עַד־זְמַן דִּי יֵיתֵי מַלְכָּא מְשִׁיחָא זְעֵיר בְּנוֹי *usque ad tempus, quo venturus est Messias, parvulus filiorum ejus.* Putavit is שִׁיל idem esse quod שִׁלְיָל, quod serioribus Hebraeis *embryonem* significat; ה vero habuit pro Suffixo tertiae personae, pro ו. Ita et Kimchi in Lexico: שילה פירושו בנו *vocis Schilo explicatio est: filius ejus;* cui respondere ait שִׁלְיָה *secundina*, et שִׁלְיָל *embryo*, adeoque tres radices שִׁיל, שָׁלָה et שָׁלַל synonymas esse, quemadmodum דָּמָה, דּוּם, et דָּמַם significatione conveniunt. Illam nomi-

nis שִׁילֹה interpretationem commendavit *Jo. Jac. Gulcher* in Commentatione, cui titulum fecit: *Explicatio nova et facilis loci Genes. XLIX. 10.*, Lips. 1774. in quat. Atque is quidem mallet שֵׁלָה legere, quod, collato Arabico سَلًى *membrana, qua involutus est foetus, qua hominum, qua pecudum,* per metonymiam continentis pro contento, *foetum recens editum, teneram prolem,* significare putat, et locum sic interpretatur: *dum futura est, s. nascetur proles ipsius, obedient ei populi,* quod vaticinium convenire ait cum promissione illa Davidi facta 2 Sam. VII. de ejus regno perpetuo duraturo. Alii, qui שִׁילֹה *embryonis* significatu capiunt, Messiam *embryonaeum* quasi dici volunt ob exigua et tenuia initia, a quibus ad magna incrementa sit perventurus, ob quam caussam in prophetis צֶמַח *germen* vocatur, vid. Jesaj. IV, 2. Jerem. XXIII, 5. XXXIII, 15. Zach. III, 8. VI, 12. Quod quam sit quaesitum, nemo non sentiet. Hieronymus verba nostra sic vertit: *donec veniat qui mittendus est,* quo non est dubium intelligi Messiam, qui summa cum auctoritate et potestate a patre est missus, *ἀποσταλμένος*, Matth. X, 40. Marc. IX, 37. Luc. X, 16. Joa. III, 17. 34. Apparet, Hieronymum שִׁילֹה cepisse pro שִׁילֹחַ a radice שָׁלַח *misit,* permutatis gutturalibus ה et ח. Taceo alias nominis vexatissimi interpretationes, quarum plurimas recensuit et examinavit *Jac. Alting* in *Schilo, seu de vaticinio patriarchae Jacobi, quod exstat Genes.* XLIX, 10. *libris quinque,* Franequ. 1660. in quat. Plures praeterea Dissertationes super hoc loco leguntur in *Thesauro* utroque, vetere et novo, *theolog. philolog.* T. I. Clerici sententiam, שִׁילֹה significare *finem s. cessationem ejus,* scil. sceptri, et Jacobum Judae nihil aliud polliceri, nisi, postquam semel in ejus tribu dignitas fuerit regia, nullum alium in locum eam translatum iri sed in ea perseveraturam, donec prorsus intercidat, multis argumentis refutavit *Sebast. Edzardus* in libro singulari quem inscripsit: *Jacobi patriarchae de Schiloh vaticinium*

a depravatione Jo. Clerici assertum, Hamb. 1697. in quat., et ipse nomini שִׁילֹה *pacificatoris* significatum vindicavit §. XLI. p. 41. seqq. Promittitur itaque tribui Judae, non recessurum ab eo imperium; donec veniat magnus ille princeps, qui extremo mundi aevo turbata omnia ad pacem et tranquillitatem sit revocaturus, et totius orbis terrarum imperium sit suscepturus, quod his verbis exprimitur: וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים *et ei obedientia populorum* erit, וְלֵיהּ יִשְׁתַּמְעוּן עַמְמַיָּא *et ei obtemperabunt gentes*, ut Onkelos reddidit. יִקְּהַת est a verbo יְקָהָה cum He mappikato, quod convenit cum Arabico وقه *paruit, dicto audiens fuit*, legiturque Prov. XXX, 17. וְתָבוּז לִיקֲּהַת־אֵם *spernit obedientiam matris*; hic vero ק habet Dagesch euphonicum, quale in מִקְּדָּשׁ Exod. XV, 17., et in עִקְּבֵי infra Vs. 17. Jarchi יִקְּהַת עַמִּים exponit אסיפת עמים *congregationem populorum*, ad eum multi populi confluent (ut Jesaj. II, 2. dicitur), comparatis nominibus קְהִיתָא et אַקְּהָתָא in Talmude *congregationis* significatu obviis. Ita Arabs uterque: وَإِلَيْهِ تَجْتَمِعُ الشُّعُوبُ *et ad eum congregabunt se gentes*. LXX. *αὐτὸς προσδοκία τῶν ἐθνῶν* reddidere, quod Hieronymus sequutus *et ipse erit exspectatio gentium* vertit, eodemque modo Syrus: ܘܠܗ ܢܣܟܘܢ ܥܡ̈ܡܐ *et eum exspectabunt populi*. Retulerunt hi interpretes nomen יִקְּהַת ad radicem קָוָה, cui in conjugatione Piel *exspectandi* est notio, aut saltem יְקָהָה ejusdem significatus putarunt.

11. אֹסְרִי לַגֶּפֶן עִירֹה *Alligans ad vitem pullum suum*. Jod ad אֹסְרִי est paragogicum, ut Ps. CXIV, 8. יֹשְׁבִי בַּשָּׁמָיִם *habitans in coelis*, cujusmodi plura vid. in *Gesenii ausführl. Lehrgebäude* p. 547. Eadem paragoge est in nomine secundo eorum quae sequuntur verborum, quibus eadem res aliis verbis repetitur pro more styli poetici: וְלַשֹּׂרֵקָה בְּנִי אֲתֹנוֹ *et viti nobili* alligat pullum *asinae suae*. שֹׂרֵקָה id quod שֹׂרֵק, Jesaj. V, 2. Jer. II, 21., Jar-

chi h. l. זמירה ארוכה *palmitem longum*, qui Gallice *courriere* dicitur, exponit, consentientibus LXX., qui ἕλιξ vertunt, et Syro, qui ܣܒܣܬܐ *ramus*, *malleolus vitis* reddidit. Sed R. Salomon Ben-Melech in Commentario *Michlal-Jophi* ad h. l. scribit, שׂרֵקָה esse המשובח ממיני הגפן *laudatissimam vitium speciem*, et R. Isaacum Ben Geath (גיאת) dicere, שהוא מין הטוב מן הגפנים שהענבים לא ימצא בהם חרצן *esse optimam vitium speciem, in cujus uvis nulla grana reperiuntur.* De talibus uvis, quae vinaceis carent, admodum dulcibus et Arabibus Persisque كشمش dictis, vid. *Niebuhrii Beschreib. von Arab.* p. 147. et *Reisebeschreib.* P. II. p. 169. Conveniet igitur שׂרֵקָה cum Arabico شريق, quod, teste *Golio in Lex. Arab.* p. 1275. *vitem generosam* denotat. Chaldaeus quoque Jesajae et Jeremiae locis supra memoratis שׂרֵק interpretatur גֶּפֶן בְּחִירָא *vitem electam.* Sunt qui haec ad felicissima Messiae tempora referant, quibus futurum sit, ut asinis etiam liceat vitibus vesci, ut vitium et vini ubertas ostendatur, sicut et in Joele II, 22. seqq. de Messiae temporibus dicitur, colles musto et lacte stillaturos. Sed magis placet, describi fertilitatem sortis tribus Judae et terrae; sicut in aliis deinceps. Tanta vitium vilitas describitur, ut nihil curent homines asinos ad vites alligare, quum alias ad sepes alligari soleant. כִּבֵּס בַּיַּיִן לְבֻשׁוֹ וּבְדַם-עֲנָבִים סוּתֹה *Lavabit in vino vestem suam, et in sanguine uvarum amictum suum.* Insignis vini copia significatur, ut paene ita vile sit ut aqua, ut eo ad lavandas vestes et alia abluenda non secus uti possint si velint homines ac aqua. *Sanguis uvarum* vinum vocatur et Deut. XXXII, 14., plane ut apud Achillem Tatium L. II., ubi narratur, Bacchum a pastore quodam Tyrio laute acceptum illi propinasse vinum, quo hausto pastorem rogasse: πόθεν οὕτως εὗρες αἷμα γλυκυ, *unde tam dulcem sanguinem reperisti?* cui respondisse Bacchum, τοῦτό ἐστιν αἷμα βοτρύων, *hic*

est uvarum sanguis. Similiter *Plinius Hist. Nat.* Lib. XIV. Cap. 5. vinum *sanguinem terrae*, et *Cassiodorus Epistolar* XII. 4. *uvarum frigidum sanguinem* appellat. *Rubor* praeterea vini ea similitudine spectatur; rubrum enim vinum veteres, uti hodienum Orientales, pluris aestimant quam album; vid. *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 171. p. 235. „Pro סותה textus Samaritanus exhibet בסותו *vestimentum ejus.* Eos ille sequitur interpretes, qui in textu Masorethico כ per aphaeresin ademtum statuunt. Ita Aben-Esra, qui scribit: סותה כמו כסותו וחסר כ"ף et Salomo Ben-Melech, quibus accedere equidem non dubito, etsi aphaereseos literae Caph schvatae alia exempla desiderem. Certe analoga sunt תֵּן pro נְתֵן, קַח pro לְקַח, בּוֹל pro יְבוּל, quidquid dicat *J. D. Michaelis* in *Supplemm.* p. 1733. Eandem explicationem sequuti sunt Syrus, qui ܠܟܣܘܬܗ, et Arabes, qui كسوته posuerunt." *Gesenius* de *Pentat. Samarit.* p. 33.

12. חַכְלִילִי עֵינַיִם מִיָּיִן *Rubor oculorum ex vino*, quod quidem vitium est, unde Prov. XVIII, 29. חַכְלִלוּת עֵינָיִם *rubor oculorum* ebrietati tribuitur; sed ut contrahatur, vini copiam esse oportet, quae sola hic spectatur. Radicem حكل חכל Arabum Lexicographi convenire dicunt cum شكل, unde شكلة *rubor in oculi parte alba.* Cf. A. Schultensium ad laudat. Proverbiorum loc. LXX. *χαροποιοὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὑπὲρ οἶνον*, quod sequutus Hieronymus: *pulchriores sunt oculi ejus vino.* Legerunt Graeci הכלילו, uti est in textu Samaritano, Hiphil verbi כָּלַל *perfecit*, quod in specie de *perfecta pulchritudine* usurpatur, cf. Ezech. XXVII, 4. 11., ejusque derivata, כְּלִיל יֹפִי Ezech. XXVIII, 12. et מִכְלַל יֹפִי Ps. L, 2. Vid. Gesenii Commentat. laudat. p. 39. Verbis, quae subjiciuntur, וּלְבֶן־שִׁנַּיִם מֵחָלָב *et albus dentibus e lacte*, ejus abundantiam, adeoque magnam pecoris copiam indicari patet.

13. זְבוּלֻן לְחוֹף יַמִּים יִשְׁכֹּן *Sebulon ad littus maris habitabit.* חוֹף non est *portus*, ubi plures recentiorum, Hebraeos secuti, vertunt; sed *littus maris*, ut *J. D. Michaelis* ostendit in *Supplemm.* p. 687. seqq. *Portus* notio non solum nullo nititur argumento, aut veterum auctoritate, sed et quibusdam locis plane est inepta, ut Deut. I, 7. Jos. IX, 1. Conferendum est Arabico حافة, *ora, margo, ripa.* Ita etiam verterunt veteres omnes. LXX. *παράλιος κατοικήσει*, Syrus ܣܦܪ̈ܝ ܡܥܡܪܗ, Chaldaeus, סְפַר, uterque Pentateuchi interpres Arabicus, ساحل et سواحل, *littus*, Vulgatus, *maritima.* Porrigebantur tribus Sebulonis agri a lacu Tiberiadis usque ad mare mediterraneum, vid. Jos. XIX, 10. et seqq. וְהוּא לְחוֹף אֳנִיּוֹת *Et erit ipse ad littus navium*, i. e. habitabit ad littus semper navibus frequens. LXX. *καὶ αὐτὸς παρ᾽ ὅρμον πλοιῶν.* וְיַרְכָתוֹ עַל־צִידֹן *Et latus ejus ad Sidonem*, Sidonem usque urbem inclytam pertinget. Tyri non meminit, quae ei vicina fuit, forsan quod nondum esset condita. *Latera* regionum dicuntur earum *fines*, confer Jud. XIX, 19. Jerem. VI, 22. Situm terrae hujus tribus tantum describit, quod commodissimus sit futurus maris vicinia ad importandum et exportandum merces, unde et negotiationi maxime addictam fuisse hanc tribum tradunt Hebraei. Post Judam, usque ad quem juxta nativitatis ordinem tribus commemorarat, transit ad duos reliquos filios Leae, omissis intermediis ancillarum filiis, quem ordinem et supra XLVI, 9. seqq. tenuit (vid. ibi not. ad Vs. 8.); ut simul omnes filios Leae poneret. Sed inter duos reliquos quum Issachar praecedat, tamen hic eum postponit Sebuloni. Aben-Esra censet situs terrae illius rationem habitam, quia tribus Issachar medium locum tenuit inter Sebulonem, et Danem. Cf. quae ex Hieronymo afferemus ad Vs. sequ.

14. יִשָּׂשכָר חֲמֹר גָּרֶם *Issachar est asinus ossis*, i. e. robustus, ad onera portanda idoneus. גֶּרֶם convenit cum

Arabico جِرْمٌ *corpus*, unde جُرْدُمٌ *corpore validus et robustus*, et جُرْمٌ, quod in laude jumenti dicere solent, observante A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l., ut فرس جرم, פרש גרם, *equum eximium*, حمار جرم, חמאר גרם, *asinum eximium*, sive *validum* vocant. LXX. verterunt καλὸν ἐπεθύμησεν, *bonum concupivit*, legerunt fortasse חמוד, *desiderabile*, et גרם intellexerunt ex significatione verbi Arabici غَرِمَ, quod in Conjug. IV. *addictum esse rei, concupiscere aliquid.* Haec hominis cum asino comparatio minus habet offensionis in Orientis regionibus, in quibus quum pulcriores et praestantiores asini nascantur, non tam vilia animalia habentur quam apud nos. Hinc Ajacem Homerus Iliad. Λ. 557. seqq. asino comparat. Arabes in adagio dicunt: فُلَانٌ أَصْبَرُ مِنْ حِمَارٍ فِي ٱلْحَرْبِ *ille est tolerantior asino in proelio.* Et: حمار الحرب لا يهرب *asinus proelii non aufugit.* Unde Marvan II., Chalifa, nactus est nomen حمار *asini*, quod cum rebellibus bellare non cessavit. Vid. *G. W. Freytagii* Annotatt. ad *Selecta ex historia Halebi* a se edita Lutet. Paris. 1819. p. 59. et cf. *Herbelotii Biblioth. Orient.* s. v. *Marvan.* Cum vero asino Jacobus Issascharem comparat, eum non tantum laboriosum et in opere constantem, sed rustico in primis labori fore intentum videtur significare, simul vero innuit servile ejus ingenium a periculosis negotiis, in bellis et navigationibus, alienum, et glebae suae addictum, quod verba indicant, quae adduntur: רֹבֵץ בֵּין הַמִּשְׁפְּתָיִם *Recubans inter terminos* scil. terrae suae. Aptum est huic comparationi cum jumento verbum רָבַץ, quod proprie de animali complicatis pedibus cubante et requiescente dici constat. מִשְׁפְּתַיִם neque *tripodes* sive *chytro-*

podes significat, ut vulgo vertunt, neque *aquarum canales*, ad quos oves adaquantur, a سَقَى *bibit*, uti voluit *J. D. Michaelis* in *Epimetro ad Lowthii Praelect. XXVII.* p. 562—564. edit. Goetting. (p. 600. ed. Lips.), quum Arabicum illud verbum de *cibo* et *potu insalubri* dicatur; sed *terminos*, a שָׁפַת *posuit*, unde nomen duale *binos terminos* designat, quibus una agri portio a confinibus utrinque disterminatur. Vertit et Onkelos hic תְּחוּמַיָּא *termini*. Plura vid. in nota ad Ps. LXVIII, 14. *Hieronymus* in *Quaestt.* ad h. l.: „Quia supra de Zabulon dixerat, quod maris magni littora esset possessurus, Sidonem quoque et reliquas Phoenicis urbes contingeret; nunc ad mediterraneam provinciam redit, et Issachar, quia juxta Nephtalim pulcherrimam in Galilaea regionem possessurus est, benedictione sua habitatorem facit. *Asinum* autem *osseum* vocat, et *humerum ad portandum deditum* (Vs. sequ.), quia in labore terrae et vehendis ad mare oneribus quae in suis finibus nascebantur, plurimum laboraret."

15. וַיַּרְא מְנֻחָה כִּי טוֹב וְאֶת־הָאָרֶץ כִּי נָעֵמָה *Et vidit requiem quod bonum* quid, s. res bona esset, *et terram* scilicet sibi assignatam, *quod jucunda* esset, q. d. quum videret bonam esse requiem et amoenam terrae portionem sibi concessam, וַיֵּט שִׁכְמוֹ לִסְבֹּל *inclinavit humerum suum ad ferendum* onus, asini more, nam persistit in metaphora ab asino sumta. וַיְהִי לְמַס־עֹבֵד *Fuitque* s. *factus est tributo serviens.* Maluit tributum pendere, quam ad bellum aut alio egredi.

16. דָּן יָדִין עַמּוֹ *Dan judicabit*, i. e. reget, moderabitur *populum suum.* Paranomasia est in דָּן et יָדִין, quod verbum hic *imperium exercere* denotat, ut Ps. LXXII, 2., ubi de regia potestate dicitur, plane ut alias שָׁפַט. כְּאַחַד שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל *Sicut una tribuum Israel*, i. e. aeque ac ceterae tribus, nec erit aliis tribubus Israeliticis inferior. Hebraei haec referunt ad Simsonem, qui

fuit de tribu Dan, et totum populum Israeliticum judicavit, sive moderatus est per viginti annos (vid. Judic. XIII.), unde עַמּוֹ non ad Danis posteros, verum ad totum populum Israeliticum referunt, et כְּאַחַד exponunt *tanquam unam*, i. e. simul tribus omnes Israeliticas judicabit. Sed Simsonis mentio hic alienissima videtur. Capimus verba, uti sonant, simpliciter hoc sensu: Danis posteritas rerum suarum moderatores non aliunde arcesset, sed suis tribulibus ipsa dabit, in reliquis tribubus numquam inferior reperietur. Ceterum post filios Leae debuerat statim filios Zilpae, ancillae ejus, Gadum et Ascherem, ut supra XLVI, 16. 17., subjungere; at praeponit unum ex filiis Bilhae, ancillae Rachelae, Danem, cui quum mox Naphtali alter esset subjungendus, interponit Gadum et Ascherem, cujus ordinis ratio certa vix reddi poterit, nisi forsan ita inter se vicinae et dispositae fuerint hae tribus.

17. יְהִי דָן נָחָשׁ עֲלֵי־דֶרֶךְ שְׁפִיפֹן עֲלֵי־אֹרַח *Erit Dan serpens juxta viam, cerastes propter semitam.* שְׁפִיפוֹן Hieronymus *cerasten* vertit, recte, ut ostendit **Bochartus** *Hieroz.* P. II. L. III. Cap. 12. T. III. p. 205. edit. Lips. LXX. ἐγκαθήμενον *insidiantem* reddiderunt; nominis significationem exprimere voluerunt, illud ad שָׁפַף referentes, quod significatu cum שׁוּף convenire putarunt, cui verbo et recentiorum plures *insidiandi* notionem tribuerunt. Est autem κεράστης e genere viperarum, in arena rotarumque orbitis latens, ejusque coloris, ut aegre possit ab arena distingui; tentaculis est instructus (vid. *Plinii Hist. Nat.* L. XI. Cap. 37.), quibus sentit si quid propius accedit, venenatoque ictu pedes calcantium laedit. Ex quo postrema Versus pars, הַנֹּשֵׁךְ עִקְּבֵי־סוּס וַיִּפֹּל רֹכְבוֹ אָחוֹר *qui mordet calcaneos equi, et decidit, qui eo vehitur, retrorsum,* illustrari optime potest. Ubi accedente equo tentacula cerastis terra aut lapidibus dispersis pulsantur, prosilit ille, morsuque adhaeret pedi; equus, repentino dolore perterritus, ita calcitrat, ut eques excutiatur, et vulnerari ipse a ceraste possit. Hoc quoque Hebraei referunt ad Simsonem, qui astutia, ser-

pentis more, usus est ad ultionem de Philisthaeis sumendam, solus in illos progrediens astu, quum alii ante illum judices instructo exercitu et aperto bello eos invasissent. Quod de equite retrorsum lapso dicitur, referunt ad columnas domus, quibus innitens eas dejecit in circumstantes, eos secum una opprimens. Nos ad totam tribum pertinere arbitramur, ut ejus astutia in bello et hostibus superandis notetur. Nec dicitur, an hoc laudi vertatur, an vitio. Ingenium tantum hujus tribus futurum describitur.

18. לִישׁוּעָתְךָ קִוִּיתִי יְהוָֹה *Tuum auxilium exspecto, Jova!* Quod quorsum hoc loco pertineat, dissentiunt. Plures interpretum existimant, recordari Jacobum grato in Deum animo, ex quot quantisque periculis ipse liberatus sit, et sperare, eum Danitas, de quorum periculis tum cogitatio subiit, similiter ex hostium insidiis esse liberaturum. Nos potius votum generale putamus, quo velut anhelans Dei auxilium posteris implorat, uti solent moribundi testamentum condentes, aut de rebus suis loquentes.

19. גָּד גְּדוּד יְגוּדֶנּוּ וְהוּא יָגֻד עָקֵב *Gadum* quod attinet *turma adorietur eum, sed ipse adorietur in calce*, i. e. in fine; tandem eos impetet, a quibus impetitus est. In Hebraeis multiplicata est paronomasia, in qua radices גּוּד et גָּדַד eodem significatu capiuntur, ut passim fit. Est vero גְּדוּד יְגוּדֶנּוּ talis dictio qualem Latini frequentant, ubi *pugnam pugnare* dicunt. Praedicit autem Jacobus, ut interpretatur Aben-Esra, fore, ut turma, sive exercitus in Gadum irruat, ipse autem tandem victoriam consequatur. Hunc sensum expressit Arabs Erpenii: جد جيش يغلبه وهو يغلبه عقبا *Gadum* quod attinet, *exercitus praevalebit ei, sed ipse tandem illi praevalebit*. Saadias: وَغَادٌ أَيُّ كُرْدُوسٍ تَكَرْدَسَ عَلَيْهِ فَهُوَ يَجْتَثُّ أَعْقَابَهُ *Et Gadhus, cujuscunque exercitus,*

qui congregabitur contra eum, confringet calcanea ejus. Videtur עָקֵב *novissimum* exercitus *agmen* intellexisse, quasi sensus sit: fugientes persequetur hostes. Sed malumus cum Aben-Esra בְּאַחֲרוֹנָה *in fine, ad extremum, tandem,* exponere. Onkelos hunc Versum ita exponit: *De domo Gad castra armata erunt, quando transibunt Jordanem ante fratres suos ad proelium; et cum multis opibus revertentur in terram suam.* Quam interpretationem sequutus Jarchi, עָקֵב pro *vestigio*, hinc de *via* accepit; verba ejus sunt: בְּדרכן ומסלותם שהלכו ישובו *in via et semitis suis, quibus ibant, revertentur.* In eundem sensum Jonathan et paraphrastes Hierosolymitanus interpretantur. Vulgatus interpres videtur eodem modo, quo Chaldaei paraphrastae et Jarchi intellexisse, quippe qui reddit: *Gad accinctus praeliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum.* Tradunt videlicet Hebraei, cum primum Israelitae in terram Gilead venissent, eam sibi Gaditas ob commoditatem pascuorum elegisse, ac impetrasse, sed ea lege, ut accincti et expediti cum fratribus in acie procederent in terra Canaan ad eam subigendam; id quod quum fecissent, per eandem postea viam reversos esse in sortem suam, qua venerant. Sic יְגוּדֶנּוּ intelligetur יָגוּד מִמֶּנּוּ *sese accinget ex eo.* Similiter Hieronymus in *Quaestt.* ad h. l.: „Totum autem illud est, quod ante Ruben et dimidiam tribum Manasse ad filios, quos trans Jordanem in possessionem dimiserat, post quatuordecim annos revertens, proelium adversus eos gentium vicinarum repererit, et victis hostibus fortiter dimicarit.“ LXX. sic reddunt: Γὰδ πειρατήριον πειρατεύσει αὐτὸν, αὐτὸς δὲ πειρατεύσει αὐτὸν κατὰ πόδας, quae Latinus interpres sic vertit: *Gad, tentatio tentabit eum, et ipse tentabit secus pedes.* Verum recte jam Flaminius Nobilius monuit, πειρατήριον esse hic *coetum* et *cohortem piratarum*, et πειρατεύειν *piraticam exercere.* Sane גְּדוּד videtur *agmen militum* non justum, aut exercitum non plenum et ordine incedentem significare, sed tantum excursionibus utentem. Unde et Hieronymus in *Quaestt.* ait, juxta Hebraeum ita esse ver-

tenda: *Gad latrunculus latrocinabitur eum, et ipse latrocinabitur plantam.* Addit, גְּדוּד significantius *εὔζωνος, accinctus, expeditus* reddi posse. Atque ita Aquilam vertisse testantur Scholia Graeca, Symmachum autem λόχος, i. e. *agmen, cohors.*

20. מֵאָשֵׁר שְׁמֵנָה לַחְמוֹ *Ex Aschere pinguis panis ejus*, i. e. ex tribu Ascher erit panis optimus; erit ejus terra pinguis et opima, copiosius fruges proferet. Nota, nomen לֶחֶם hic feminine capi, quod alias est masculinum, ut et alia nomina, veluti מָקוֹם, אֵשׁ, רוּחַ sunt utriusque generis. Alludit Jacobus ad nomen אֶשֶׁר *beatitudo, felicitas*, quod beatam terram sit acceptura haec tribus. Subjungit: וְהוּא יִתֵּן מַעֲדַנֵּי־מֶלֶךְ *et ipse dabit delicias regis*, ita eximium panem proferet ejus sors, ut etiam in deliciis regum esse queat. Moses quoque Deut. XXXIII, 24. Ascherem *pedes oleo intincturum* promittit.

21. נַפְתָּלִי אַיָּלָה שְׁלֻחָה *Naphtali cerva emissa*, dimissa, laxata, הַנֹּתֵן אִמְרֵי־שָׁפֶר *qui*, scil. Naphtali *dat*, profert *verba pulchritudinis.* Sensus perquam obscurus, de quo jam veteres vehementer inter se dissenserunt. Onkelos Versum ita exponit: נַפְתָּלִי בְּאַרְעָא טָבָא יִתְרְמֵי עַדְבֵיהּ וְאַחְסַנְתֵּיהּ תְּהֵי מַעֲבְדָא פֵּירִין יְהוֹן מוֹדִין וּמְבָרְכִין עֲלֵיהוֹן *Naphtali, in terra bona cadet sors ejus, et possessio ejus erit fructifera; gratias agent et benedicent super eos*, scil. fructus. Eum secutus Jarchi per *cervam emissam* indicari ait vallem Genesareth, quae celeriter proferat fructus suos maturos, similitudine desumta a cervae celeritate. Eadem a magistro suo Hebraeo edoctus fuit Hieronymus, qui in *Quaestt.* ad h. l. scribit, pro *agro irriguo*, uti ipse אַיָּלָה שְׁלֻחָה vertit, posse et *cervus emissus* transferri, „propter temporaneas fruges, velocitatem terrae uberioris ostendens." *Verba pulchra* vero intelligunt illi de laude, qua Nephtalitae suae sortis praestantiam sint praedicaturi. Quae quam sint coacta, quisque sentiet ipse. Alii Hebraeorum hoc referunt ad historiam Baraci, Abinoami filii, qui coactis ex hac tribu decem hominum mil-

libus mira celeritate Sisaram, ducem regis Midianitarum, fudit et profligavit (Jud. IV.), unde materia oblata est pulcherrimi cantici edendi ipsi cum Debora, qui tum judicabunt, sive regebant Israelitas. Legitur id carmen Jud. V., et hoc esse volunt, quod hic de verbis elegantibus subjungitur. Sed carmen illud non composuit Baracus, sed Debora, e tribu Ephraim oriunda. Rectius alii simpliciter ad totam tribum hoc enunciatum pertinere statuunt, notarique putant incredibilem ejus celeritatem simulque gratiam in rebus agendis et negotiis conficiendis. Capreis seu cervis ob velocitatem comparantur heroes 2 Sam. II, 18. 1 Paral. XII, 8., ob gratiam vero mulier venusta cervae, אַיָּלָה, confertur Prov. V, 19. Posteriorem vero hujus Versus partem referunt ad facundiam et leporem tribus illius. Interpretationem loci hujus non plane rejiciendam dedit Clericus: *Naphtali erit cerva dimissa, et quae sibi placebit dicta dabit*, quorum sensum in Paraphrasi ita expressit: Naphtalis nepotes summa libertate utentur, eamque factis et dictis usurpabunt. *Cervam emissam*, i. e. vagam, libere currentem quaqua versum libeat, signare *libertatem* putat, nam de libertate verbum שָׁלַח usurpari et Jesaj. LVIII, 6. Zachar. IX, 11. Job. XXXIX, 5. Verba הַנֹּתֵן אִמְרֵי שָׁפֶר vertit: *dans dicta placiti*, id dicens quod sibi videtur, vocem שֶׁפֶר enim posse de *arbitrio* et *voluntate* accipi, quum apud Chaldaeos haud raro *placendi* notione occurrat, veluti Dan. III, 32. שְׁפַר קֳדָמַי לְהַחֲוָיָה *placet mihi indicare*, nec non Cap. IV, 24. VI, 1., ubi de regis arbitrio sermo est. *Bochartus* in *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 18. T. II. p. 258. edit. Lips. punctis vocalibus vocabulorum, quae hic habentur, hic illic immutatis, et ה in fine nominis אילה in ח converso, ut sic legatur: נַפְתָּלִי אֵילָח שְׁלֻחָה, הַנֹּתֵן אִמְרֵי שָׁפֶר locum ita exponit: „*Naphtali est ut arbor surculosa, edens ramos pulchritudinis*, id est, egregios et speciosos. *Arbor* dicitur אֵלָה, vel אֵילָה *Jod* inserto (ut in Plurali אֵילִים Jesaj. I, 29., et אֵילֵי Jesaj. LXI, 3.), et in regimine אֵילַת. Et שְׁלֻחוֹת Jesaj. XVI, 8. sunt

surculi, vel *propagines*, a Singulari שְׁלֻחָה. Ergo אֵילַת שְׁלֻחָה reddi queat *arbor surculi*, i. e. surculosa. Et אִמְרֵי שָׁפֶר erunt *rami pulchritudinis*, si אִמְרֵי sit pro אֲמִירֵי, suppresso Jod quicscente, ut in נְזִרֶיהָ, pro נְזִירֶיהָ *separationes ejus*, Levit. XXV, 11., וּשְׁלִשִׁים pro וּשְׁלִישִׁים *et tertios*, Genes. VI, 16., וְסָרִסִים pro וְסָרִיסִים *et eunuchos*, Jerem. XLI, 16. Naphtali vero ramosae et surculosae arbori similis fuit propter foecunditatem; cujus ratione licet cesserit fratrum nonnullis, tamen prodigiosum id fuit, quod quum nonnisi quatuor liberos in Aegyptum deduxisset, Gen. XLVI, 24., in exitu, post annos duntaxat CCXV., censita sunt in illa tribu virorum, qui viginti annos excesserant, plus quinquaginta millia Num. I, 41. 42. — — Neque nova videri debet interpretatio, quam affero, quum etiam e veteribus nonnulli Nephtalin animadverterint cum arbore conferri ratione foecunditatis. In his Graeci LXX. interpretes: Νεφθαλὶ στέλεχος ἀνειμένον ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος, id est, juxta Hieronymum, *Nephtali virgultum resolutum* [potius: *propagines emittens*, vid. Grabii *Animadverss. Critt.* in *Repertor.* P. IV. p. 30.], et Arabum unus MSS. in Suecia: نفتالي شجرة منعمة تعطي ثمرة حسنة *Naphtali, arbor egregia, quae bonum fructum affert.*" Haec Bochartus, cujus conjectura, sane speciosa, recentiorum interpretum pluribus sese probavit, ut *Lowtho de S. Hebraeor. poesi*, p. 551. edit. Goetting. (p. 317. ed. Lips.), J. D. Michaeli, Knappio, et Herdero, qui in libro *Geist der hebr. Poesie* P. II. p. 205. priorem hujus Versus partem sic vertit: *Naphtali ist eine schiessende Terebinthe, die schöne Wipfel wirft.* Attamen vocis אילה pronunciationem eam, quam puncta vocalia indicant, esse antiquissimam, inde colligere est, quod et Samaritani eam sequuntur, quod patet e Commentario Samaritano-Arabico in hoc Caput edito a *C. F. Schnurrero* in *Repertor. bibl. et orient.* P. XVI., ubi interpres p. 185., postquam observasset, Ascheri patriarcham subjungere Naphtalin, ut

compleat numerum filiorum ex ancillis natorum, scribit, هي الايايل אַיָּלָה *esse capreas*, „et quemadmodum," pergit, „haec animalia pulchre incedunt, et placent omnibus, qui ea vident, ita et ille securus incedet in terra sua." Quae quidem interpretatio haud spernenda fuerit. Minus placuerit hemistichii posterioris explicatio, verbis הנתן אמרי שופר indicari cantica, celebrationes et laudationes, quales adhibiturus sit Naphtali in reditu peregrinatorum sacrorum cum modulationibus suavibus, voce conveniente et sono tenero in celebrando et jubilando. Pro שֶׁפֶר videtur שׁוֹפָר *buccina* legisse. *Jac. Robertson* in *Clavi Pentat.* p. 273. Not. (*d*) tribum Naphtaliticam, quae *in excelsis agri versari* dicitur Jud. V, 18., cum cerva non una de causa comparari existimat. „*Cerva* enim *missa*, i. e. adulta libere in pascua se immittit, novos mox datura catulos. Simile cervae huic tribui convenire optime videtur, quod animal sit gratiosum, foecundum, imbelle quidem, attamen agilitate et firmitate pedum prae ceteris praeditum, et in praeruptis maxime locis se tenens. Naphtalitae in proprias sedes immissi mirum in modum multiplicati fuere. Hinc Naphtali *plenus benedictionis Jehovae* dicitur Deut. XXXIII, 23., et Galilaea, cujus partem haec tribus tenuit, semper fuit populosissima. Uti cervae montes collesque insident; sic Naphtalitae loca montana, Libanum, Amanum incoluere, et excelsa agri instar cervarum percurrentes, tutas sibi sedes ibidem tenuere. הַנֹּתֵן אִמְרֵי שָׁפֶר *dans dicta pulchritudinis*, i. e. materiam laetorum dictorum et carminum. Cf. Job. XXXV, 10. *Dans cantica in nocte*, i. e. materiam laetitiae et consolationis; et Ps. LXVIII, 12. *Dominus dabit dictum*, materiam laetorum dictorum et carminum. Sensus hujus Versus videtur hic esse: Naphtali instar cervae emissae sese hostium manibus, multum licet luctando, extricabit, super celsis firma figet, sicut cerva, vestigia, et laetorum carminum materiam in laudes suas uberrimam, tum sibi, tum reliquis contribulibus, praebebit." Lepidas fabulas de Naphtali, fratribus velociore, quo propte-

rea nuncio sint usi, narrant Hebraei, quarum summam dedit Bochartus loco supra laudato. Illis tamen nititur, quod Jonathan verba נַפְתָּלִי אַיָּלָה שְׁלֻחָה ita exponit: נַפְתָּלִי עִזְגַּד קָלִיל דָּמֵי לְאַיְלָא *Naphtali est ἀσγάνδης*, i. e. nuncius *levis, similis cervo, qui currit per scopulos montium, nuncians bona nuncia*, et quae ibi porro sequuntur. Quod ipsum sequutus Syrus interpres: ܢܰܦܬܳܠܝ ܐܺܝܙܰܓܕܳܐ ܩܰܠܺܝܠܳܐ *Naphtali* est *nuntius velox.*

22. Restant duo ultimi filii Rachelae, quos simul ordine exsequitur, Josephus et Benjamin. Immoratur autem diutius in votis pro Josepho ejusque posteris, quod eum carissimum haberet. בֵּן פֹּרָת יוֹסֵף בֵּן פֹּרָת עֲלֵי־עָיִן *Filius fructifer Josephus, filius fructifer ad fontem.* בֵּן hic *ramum* denotat, ideo cum femineo adjectivo פֹּרָת jungitur, quod habetur ratio nominis synonymi פֹּארָה sive פֻּארָה *ramus;* nam quo minus בן in regimine positum censeamus, ut dicatur *filius fructiferae*, illud impedit, quod in omnibus codicibus בֵּן (cum *Zere*), non cum *Segol*, בֶּן, scribitur, quod esset status regiminis. Est igitur constructio sensu congrua, non voce, ut Jud. XVIII, 7. masculino הָעָם subjungitur femininum יוֹשֶׁבֶת, quia illud notionem חֶבְרָה *societatis* habet. פֹּרָת pro פֹּרִיָּה *fructificans*, seu *fructifera* (cf. *Buxtorfii Thesaur. Grammat.* p. 256. edit. sext.), utrobique hic per Camez sub ר, ne putetur esse in regimine, ut solet fieri in dictionibus, in quibus ת femineum absolutum est, et pro ה ponitur; vid. *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 467. Comparat Jacobus Josephum ramo assidue ad fontem accrescenti, ad nomen ejus alludens, quod *augmentum* et *accessionem* sonat, cum Rachela eo edito dixisset: *adjiciet mihi Deus filium alterum*, supra XXX, 24. Alterum Versus hemistichium in coepta a plantis desumta metaphora persistat: בָּנוֹת צָעֲדָה עֲלֵי־שׁוּר *filiae*, i. e. propagines, *ascendunt super murum.* Plurale בָּנוֹת jungitur singulari צָעֲדָה, ut illud distributive sit capiendum: *una-*

quaeque filiarum ascendit. Quemadmodum in priori hemistichio ab arbore in loco irriguo plantata (cf. Ps. I, 3.), ita nunc similitudo sumitur a vite, cujus palmites et malleoli murum transcendunt. Solent enim vites juxta muros plantari. Eadem imago Ps. CXXVIII. 3. אֶשְׁתְּךָ כְּגֶפֶן פֹּרִיָּה בְּיַרְכְּתֵי בֵיתֶךָ *uxor tua instar vitis foecundae in domus tuae lateribus.* Judicent jam lectores, quo jure Ill. *de Sacy* in Commentat. *de versione Samarit. Arab. Pentat.*, in Eichhornii *allgem. Biblioth. der bibl. Literat.* P. X. p. 83. dicat, verba hujus Versus, prout nunc in Hebraeo exstant, interpretari velle esse desipere. Et ipse quidem adscito pro בָּנוֹת צָעֲדָה עֲלֵי־שׁוּר, illo quod in textu Samaritano legitur, בני צעירי עלי שור, locum (p. 85.) ita arbitratur interpretandum: *filius fertilitatis et abundantiae est Josephus; fuit mihi* quasi *fons filius meus*, in locis aridis incultisque repertus; *natu minimus meus* fuit *mihi* quasi *murus*, et arx qua me et mea tutatus sum. Ex qua quidem interpretatione diversissimae eaedemque parum concinnae imagines paucis verbis junguntur; quum contra e verbis Hebraicis, prouti ea in nostris codicibus legimus, sententia prodeat simplex et elegans.

23. וַיְמָרְרֻהוּ וָרֹבּוּ וַיִּשְׂטְמֻהוּ בַּעֲלֵי חִצִּים *At exacerbarunt eum*, sive, *exacerbarunt quidem eum et jaculati sunt* scil. in eum, *eique adversati sunt domini sagittarum*, sagittarii. Sunt, qui de tota tribu in posterum intelligant, quod multos adversarios sit habitura, vicinos scilicet sibi populos Syros et alios, quibus tamen superior futura sit virtute sua bellica. Verum de praeterito potius haec capienda videntur, ut sint in laudem ipsius personae Josephi, quod invicto robore tot adversarios superarit, fratres, heram, herum, totque ac tantas calamitates tamdiu sit expertus, quas omnes forti animo tolerarit, tandem eluctans et ad summum honoris fastigium evectus. Bene interpres Samaritano-Arabicus (in *Repertor.* P. XVI, p. 188.): „Dictio וימררהו alludit ad id quod fecerant illi fratres." Verba autem quae sequuntur describunt eorum

in animis suis erga illum odium, et constantem malevolentiam atque indignationem; simul vero etiam ipsius constantiam, cum peterent eum sagittae noxiae." רֹבּוּ veterum plures retulerunt ad רוּב, unde רִיב *lis, jurgium,* quasi רָבוּ scriptum esset, aut existimarunt, רָבַב habere h. l. *litigandi* significatum, quum verba secundam radicalem geminantia, et verba secunda radicali quiescentia, quae duas reliquas radicales communes habent, significatione quoque haud raro conveniant. Hinc in textu Samaritano ויריבהו scribitur. Ita Jonathan: וְנַצוּ לֵיהּ *et contendebant cum eo,* quem sequitur Persa. Ita et Hieronymus: *et jurgati sunt.* LXX. ἐλοιδόρουν. Similiter Jarchi hanc dictionem exponit: נעשו לו אחיו אנשי ריב *facti sunt ei fratres sui viri jurgii,* cum eo jurgati sunt. Addit, רֹבּוּ esse Passivum, seu Pyhal (nam Activum, sive Cal, punctari debuisset רָבוּ, ut Num. XX, 13.), quemadmodum שֹׁמּוּ Jerem. II, 12. idem sit quod הִשַּׁמּוּ *stupore corripiamini,* רֹמּוּ Job. XXIV, 24. idem quod הוּרְמוּ *attolluntur,* דֹּמּוּ Jesaj. XXIII, 2. pro נִדְמוּ *in silentium adigimini.* Hinc Onkelosum hic vertisse וְנַקְמוּהִי *et ulti sunt eum.* Sed Aben-Esra, quem Kimchi et plures ex Christianis sequuti sunt, רֹבּוּ ad רָבַב, idem quod רָבָה, *jaculari,* refert, unde רֹבִים *jaculatores,* Jerem. L, 29. Job. XVI, 13. Quod et nos haud dubitamus praeferendum ob mentionem sagittariorum, בַּעֲלֵי חִצִּים, quae subjicitur. בַּעַל nomini alii in statu regiminis praemissum indicare eum, qui rem, cujus nomen subjicitur, tractat versatve, ut Arabum ذو et صَاحِب, notum. Vid. supra XIV, 13. et *Gesenii ausführl. Lehrgeb.* p. 647.

24. וַתֵּשֶׁב בְּאֵיתָן קַשְׁתּוֹ *Sed sedit,* i. e. permansit *in forti,* in robore, *arcus ejus,* valide se illis et robuste arcu suo opposuit, arcum suum fortiter in illos instruxit et disposuit. וַיָּפֹזּוּ זְרֹעֵי יָדָיו *Et levia,* agilia, expedita *fuerunt brachia manuum ejus.* Verbum פָּזַז ex Arabico فَزَّ pluribus illustravit et veterum varias interpretationes di-

judicavit *A. Schultens* in *Animadverss. philologg.* ad h. l., in *Operr. minorr.* p. 132. seqq. זְרֹעֵי יָדָיו pro simplici זְרֹעָיו *brachia ejus*, יַד plane redundante, ut in iis quae statim subjiciuntur: מִידֵי אֲבִיר יַעֲקֹב *a manibus fortis Jacobi*, Deum suum intelligit, quem Jacobus pro forti et potente habet, cujus robore et virtute ita robustum fuisse Josephum filium agnoscit. מִשָּׁם רֹעֶה אֶבֶן יִשְׂרָאֵל *Inde pascens* erat et *lapis Israelis*, i. e. ab illo inde tempore (vid. de מִשָּׁם not. ad Hos. II, 14.), quo rebus tam duris est eluctatus, sustinuit fulsitque Israelem, i. e. me cum tota familia. רֹעֶה אֶבֶן *ἀσυνδέτως* poni nemo facile miretur in carmine, in ea maxime oratione, quae, quia a moriente est habita, hiatibus non modo verborum, sed etiam sententiarum abundat. *Pastorem Israelis* Jacobus vocat Josephum, quod ipsum una cum tota familia in summa annonae caritate in Aegyptum vocavit, omniumque rerum affluentia *pavit*. Nam qui beneficia in aliquem confert, is eum Hebraeis, qui pascuis inprimis delectati sunt, *pascere* dicitur, vid. Ps. XXIII, 1. Nec minus apte Josephum vocat *lapidem Israelis*, quod erat ipsi et suis fulcimento et sustentaculo. Alii אֶבֶן in Accusativo capiunt hoc modo: *pavit lapidem Israelis*, i. e. me, ducem et caput Israelitarum. Sed parum profecto commode Jacobus, qui ipse erat יִשְׂרָאֵל, se ejusdem *lapidem* dixerit. Alii, qui אֶבֶן יִשְׂרָאֵל itidem in Accusativo poni volunt, ea dictione totam Israelis familiam significari putant, quae אֶבֶן dicatur quod lapis unum sit corpus. Sunt, qui מִשָּׁם ad Deum referant, et utramque dictionem in Nominativo vertant, ut sit: inde, a Deo inquam, est pastor, lapis Israelis; Dei gratiae debentur, quod Josephus me et meos aluit sustinuitque. LXX: *ἐκεῖθεν ὁ κατισχύσας σε Ἰακώβ, παρὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ πατρός σου*, *inde qui confortavit te, Jacob, a Deo patris tui*. Sed verba *παρὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ πατρός σου*, quae in libris editis huic Versui accensentur, exprimunt prima Versus sequentis verba, מֵאֵל אָבִיךָ, ita ut duo nomina רֹעֶה אֶבֶן, tanquam *ἰσοδύναμα*, unico *κατισχύσας σε* expressa sint. Hieronymus: *inde pascetur lapis*

Israel. Cui versioni tamen non quadrat explicatio, quam in *Quaestt. Hebrr.* dedit: *ut ex tuo semine tribus nascatur Ephraim, fortis et stabilis, et instar lapidis durioris invicta, imperans quoque decem tribubus Israel.* Onkelos: דִּי בְּמֵימְרֵיהּ זָן אֲבָהָן וּבְנִין זַרְעָא דְיִשְׂרָאֵל *cujus* (scil. Dei) *verbo pavit patres et filios seminis Israel.* Saadias: ثُمَّ رَعَا ذَاتَ إِسْرَائِيل *tum pavit substantiam Israelis.* Syrus: ܘܡܢ ܫܡܐ ܪܥܝܐ ܕܟܐܦܐ ܕܐܝܣܪܝܠ *et a nomine pastoris lapidis Israel,* omne illud proficiscitur. Apparet, pro מִשָּׁם interpretem legisse מִשֵּׁם, probante Tellero, qui in Nott. critt. p. 47. locum sic vertit: *propter nomen pastoris lapidis Israelis,* i. e. propter majestatem, honorem ejus, qui custodivit illum lapidem, in quo Jacobus cubuit, supra XXVIII, 12. 13. „Deus Jacobo super lapide cubanti amplissimas dedit promissiones, tempore, quo divino auxilio quam maxime indigebat. Idem igitur ille Deus, inquit, qui mihi tempore periculosissimo adfuit, te quoque in illis tuis calamitatibus defendit.“ Sed duriuscula est haec dicendi ratio: *Deus pastor,* i. e. defensor *lapidis est.* Quis translationem, quae est in voce רֹעֶה, cum אֶבֶן facile conciliet? Illam sententiam si Jacobus exprimere voluisset, credibile est eum dixisse: רֹעֶה יִשְׂרָאֵל עַל הָאֶבֶן *pastor* s. *defensor Israelis, quum is cubaret super lapide.*

25. Haec beneficia, de quibus dixerat, proficisci ostendit ab illo Deo, qui et Josepho sit opitulaturus. מֵאֵל אָבִיךָ *A Deo patris tui,* non patre tuo, haec, inquam, omnia tibi sunt et fuerunt, nam et eum *fortem Jacobi* nominarat, וְיַעְזְרֶךָּ, pro אֲשֶׁר יַעַזְרֶךָּ *qui tibi auxilio erit,* וְאֵת שַׁדַּי *et ab Omnipotente;* מֵ ante אֵל est quoque ante אֵת subaudiendum; וִיבָרְכֶךָּ *et* qui *benedicet* deinceps, ut coepit, *tibi,* te fortunabit et augebit, idque omnis generis prosperitate, uti subjungit, בִּרְכֹת שָׁמַיִם מֵעָל *benedictionibus coeli desuper,* i. e. pluviis suo tempore demissis et copiosis roribus, quibus foecundatur humus,

ut uberes segetes emittat. Illud מֵעָל posset salvo sensu abesse, sed antiquissimae simplicitatis est, talia pleonastice adjungere, quemadmodum in his, quae sequuntur, בִּרְכֹת תְּהוֹם רֹבֶצֶת תָּחַת *benedictionibus abyssi*, i. e. voraginis subterraneae *cubantis infra*, quibus significatur terra fontibus, lacubus et rivis irrigua, et hinc fertilis et amoena. Extremis Versus verbis, בִּרְכֹת שָׁדַיִם וָרָחַם *benedictionibus uberum et uteri*, promittit numerosam et laete florentem sobolem, nam *benedictione uberum*, inquit Salomo Dubnensis, significatur, haud fore ubera arida, nec futurum esse, ut infantes defectu lactis moriantur, *benedictione uteri* vero, non perituros foetus in matrum utero. Contrarium esse in malorum imprecatione, quae habetur Hos. IX, 14. תֵּן־לָהֶם רֶחֶם מַשְׁכִּיל וְשָׁדַיִם צֹמְקִים *da iis uterum abortientem*, i. e. ne pariant, *et ubera arida*, ne, si partum ediderint, alere eum possint. Neque tamen repudianda plane Venemae sententia, significari hoc loco verbis בִּרְכֹת שָׁדַיִם וָרָחַם *lactis copiam et pecudum multitudinem*, quae utraque apte subjungatur terrae fertilitati modo promissae, *ubera* enim, observante A. Schultens ad Job. XXI, 24., in stilo Orientis haud raro significare pecudes lacte distentas. Onkelosum verba ista Jarchi ita reddidisse dicit: בִּרְכָתָא דְאַבָּא וּדְאִמָּא *benedictionibus patris et matris*, quibus indicetur, benedictos fore e Josephi posteris tam qui gignant, quam quae pariant, observatque, interpretem שָׁדַיִם deduxisse a שְׁדָא, quod Chaldaice idem valet quod Hebraeis יָרָה *projicere, jaculari*, et ad masculos retulisse, qui semen instar sagittae ejaculantur, ut igitur sensus sit, semen emissum conceptui aptum fore, nec mulieres abortum esse passuras. At in Bibliis Venetis in octonis atque Basiliensibus in forma max. et recentioribus omnibus Onkelosi verba ita exhibentur: בִּרְכָתָא דְאָבוּךְ וּדְאִמָּךְ *benedictione patris tui et matris tuae*, minus bene.

26. בִּרְכֹת אָבִיךָ גָּבְרוּ עַל־בִּרְכֹת הוֹרַי *Benedictiones patris tui*, quibus tibi benedicit pater tuus, *roboratae sunt*, invaluerunt, *super benedictiones genitorum meorum*

passive, quibus videlicet sunt benedicti a suis patribus, q. d. longe eas superant. Exigui quippiam nacti sunt progenitores mei prae te, in quem recumbunt omnes patrum benedictiones. הָרָה quamvis proprie *concipere, gravidam esse* denotet, tamen, ut יָלַד, et promiscue de patre et matre est usurpatum pro *gignere*, ut הוֹרֶה proprie sit, *qui conceptum dat*, genitor. עַד־תַּאֲוַת גִּבְעֹת עוֹלָם *Usque ad terminum collium seculi*, i. e. collium antiquissimorum, qui ab orbis initio sunt conditi, hoc sensu: praevalebunt in te et tribu tua hae omnes benedictiones, quamdiu duraturi sunt colles a multis seculis conditi, i. e. in perpetuum, donec haec solidissima corpora sunt duratura. תַּאֲוָה quod alias *desiderium*, a verbo אָוָה, denotat, quod tamen hic tolerabilem sensum vix efficiat, Jarchi recte monuit esse a תָּאָה, i. q. תָּוָה *definire, determinare* (vid. Num. XXXIV, 10. coll. Vs. 7. 8.) גְּבוּל *terminum*. Qua ipsa significatione nomen תַּאֲוָה et Kimchi hic capit, qui locum ita exponit: כל זמן שיהיה קיים גבול גבעות עולם תהיינה הברכות לראש יוסף *quamdiu steterit terminus collium aeternorum erunt hae benedictiones in caput Josephi.* Sed terminum temporis quam loci malim accipi. עוֹלָם de remotissima antiquitate dicitur, vid. not. ad Ps. CXXXIX, 24. Ezech. XXVI, 20. Jesaj XLIV, 7. Sed LXX., qui reddidere ὑπερίσχυσεν ἐπ᾽ εὐλογίαις ὀρέων μονίμων, pro הוֹרַי patet הָרֵי *montes* legisse, atque, aliter quam in textu Masorethico, ubi הוֹרַי accentu distinctivo *Sakeph-katon* notatur, vocibus distinctis, הָרֵי עַד *montes aeternitatis* intellexisse. Quod probavit *J. D. Michaelis*, et tam in *Biblioth. Orient.* T. IX. p. 233., quam in *Supplemm.* p. 572., hunc locum ita vertit: *benedictiones patris super benedictiones! montes tibi* adprecor *ab antiquo jam tempore celebres.* Pro עַל־בִּרְכֹת legit עַל־בִּרְכַּת. Neque ita tamen concinna satis erit sententia: *benedictiones patris tui praevalent super benedictiones.* Quod quam animadvertisset Ilgenius, junctis verbis עַל־בִּרְכַּת הָרֵי עַד locum ita interpretatus est: *benedictiones pa-*

tris tui praevalent, majores sunt, *benedictionibus montium aeternorum, delectatione collium vetustissimorum* (*Der Segen deines Vaters übersteigt den Segen ew'ger Berge, und der bejahrten Hügel Reiz.*). Idem sequuti sunt Vaterus et Gesenius (in Commentat. *de Pentat. Samarit.* p. 33., et *Gesch. der hebr. Sprache*, p. 219.), nisi quod ii הוֹרֵי עַד legi volunt, ab הוֹר obsoleto pro הַר *mons*. Favere huic suae interpretationi observant et parallelismum dictionum הוֹרֵי עַד et גִּבְעֹת עוֹלָם, et loca parallela Deut. XXXIII, 15., ubi in ipsa Josephi benedictione הַרְרֵי־קֶדֶם et גִּבְעוֹת עוֹלָם, atque Habac. III, 6., ubi הַרְרֵי־עַד et גִּבְעוֹת עוֹלָם sibi respondent. Quae utut speciosa sint, est tamen in hac sententia, *vota patris praestantiora esse fertilitate montium aeternorum et jucunditate collium antiquissimorum*, inconcinni aliquid, meo quidem sensu, et alieni, nec facile est intellectu, quo spectet, adscita illa sententia, repetita *aeternitatis* mentio in montibus et collibus. In textu Samaritano pro הורי scribitur sine Vau הרי, quod Samaritanos הָרִי *mons meus* pronunciasse patet e Commentario Samaritano-Arabico in *Repertor.* P. XVI. p. 192., qui הרי per جبلي explicat, et ad montem Garizim refert. Sed pergamus ad alterum Versus hemistichium: תִּהְיֶיןָ לְרֹאשׁ יוֹסֵף וּלְקָדְקֹד נְזִיר אֶחָיו *erunt*, inquam, hae omnes benedictiones, *ad caput*, redundabunt in caput *Josephi et in verticem eximii fratrum suorum*, segregati quasi (a נָזַר *separavit*) a fratribus suis virtute e praestantia. Aliis נָזִיר denominativum est a נֵזֶר *corona, diadema*, ut sit *diademate insignitus*, dignitate praestans inter fratres. Sane Deut. XXXIII, 16., ubi eadem phrasis LXX. ponunt δοξασθεὶς ἐν ἀδελφοῖς. Eundem sensum hic expressit Jonathan: *et in verticem viri*, דַּהֲוָה רַב וְשַׁלִּיט בְּמִצְרַיִם וְזָהִיר בִּיקָרָא דַאֲחוֹי *qui fuit princeps et dominator in Aegypto, et splendens honore fratrum ejus*, i. e. honore, quo eum fratres sui sunt prosequuti. Singularis est R. Juda Ben-Karisch, qui in libro inedito Arabice conscripto de studii Targumici

utilitate, cujus specimen dedit *C. F. Schnurrer* in *der allgem. Biblioth. der bibl. Literat.* P. III. p. 954. seqq., nomen נָזִיר *caesariem* putat significare, coll. Jerem. VII, 29. Levit. XXV, 5., atque hinc dictum fuisse Naziraeum, quod promissam caesariem haberet, Num. VI, 7. Vocari autem hic Josephum נְזִיר אֶחָיו, quod fratrum nobilissimus esset, כמא שרפת אלגמה עלי אלנבאת *sicut nobilior est caesaries plantis, quae ex humo pullulant.*

27. בִּנְיָמִין זְאֵב יִטְרָף *Benjamin lupus* est, qui *rapit*, quo ingenium ejus proclive ad bellum et rapacitatem in hostes significatur. Hinc Latinis etiam Graecisque *lupus* esse in tutela Martis fingitur, atque Horatius *Od.* I. 17. 9. eum *Martialem*, et Virgilius *Aen.* IX, 566. *Martium* appellavit. Plura vid. in *Bocharti Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 10. T. II. p. 161. seq. edit. Lips. — בַּבֹּקֶר יֹאכַל עַד וְלָעֶרֶב יְחַלֵּק שָׁלָל *Mane comedet praedam, et ad vesperam dividit spolium*, i. e. tantam praedae copiam coacervatam habebit, ut sibi non tantum mane, sed et per totum diem, et ad vesperam usque, aliis quoque, quibus lubens impertiet, sufficiat. Alii sensum hunc faciunt: praedam habebit usque ad matutinum tempus comedendam, *postquam* vesperi eam divisit. Referunt id ad morem luporum, qui, ut veteres docuerunt, gregatim, quamvis non semper, praedatum eunt, et vero etiam cum reliquis praedam communicant, atque inter se quasi dispertiunt. Solent autem praedae sub vesperam in primis inhiare, unde Jeremiae V, 6. *lupi vespertini* commemorantur; vid. et Virgilii *Georg.* IV, 434. Sed quod *matutini* et *vespertini* temporis meminit, significat, eum assidue praedatum exiturum. עַד hic rariori *praedae* significatu usurpatur, quo praeter hunc locum, et Jesaj. XXXIII, 23. Zephan. III, 8., legitur, ex usu verbi Chaldaeis et Arabibus recepto. Ceterum quae de Benjamine hic dicuntur plures referunt ad raptam a Benjaminitis Levitae concubinam, unde multa bella exorta, quibus initio Benjaminitae multa Israelitarum ceterorum millia occiderunt, Judic. XX. Alii quod ad finem ejus belli decretum est,

ut liceret Benjaminitis rapere sibi uxores ex puellis, quae ad choreas exirent, quod ea tribus bello isto paene deleta esset, Jud. XXI, 16—23. Sunt, ut Onkelos, qui ad templum referant, quod fuit in sorte tribus Benjamin, ubi sacerdotes mane victimas obtulerunt, et vesperi oblata a populo inter se diviserunt. Sed id verius de tribu Levi, quam Benjamin diceretur. Alia vid. apud Bochartum l. c. Verum generatim haec ad naturam et ingenium totius tribus pertinent, et sicut supra Juda leoni est comparatus, quod fortiter et animose sit pugnaturus, Benjamin nunc lupo, quod proclivis ea tribus esset futura ad rapacitatem in hostes.

28. כָּל־אֵלֶּה שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל שְׁנֵים עָשָׂר *Omnes hae sunt tribus Israel*, Israeliticae, *duodecim*. Hoc subjungit, ut ostendat, vota illa non tam in ipsas personas, quam tribus singulis oriundas competere. אִישׁ אֲשֶׁר כְּבִרְכָתוֹ בֵּרַךְ אֹתָם *unicuique, quod secundum benedictionem suam benedixit illis*, i. e. cuique propria et privata ac conveniente benedictione benedixit, juxta id quod cuique eventurum esset.

29. וַיְצַו אֹתָם *Ac*, i. e. postea *praecepit iis*, mandavit illis quae sequuntur de sepultura sua. אֲנִי נֶאֱסָף אֶל־עַמִּי *Ego congregor ad populum meum*, futurum est, ut brevi hinc excedam, et ad majores migrem, qui ante me decesserunt. Vid. de hac phrasi not. supra ad XV, 15. — קִבְרוּ אֹתִי אֶל־אֲבֹתָי *Sepelite me ad*, apud patres meos. Idem supra XLVII, 29. Josepho jusserat, nunc idem ceteris filiis mandat, ut fratri hac in re adsint. Sed Josephum solum jurejurando obstrinxerat, quod hoc in ejus potestate esset, qui gratia apud Pharaonem valeret, non fratrum, quibus id haud facile concessum fuisset. אֶל־הַמְּעָרָה אֲשֶׁר בִּשְׂדֵה עֶפְרוֹן הַחִתִּי *Ad speluncam*, in spelunca (אֶל pro בְּ, ut saepe, veluti supra VIII, 9. VI, 6.), *quae est in agro Ephronis Chittaei*, vid. supra XXIII, 9. Hanc vero speluncam Versibus tribus qui sequuntur copiose designat ac describit, quia quum jam per XVII.

annos a terra Canaan abfuissent, et Josephus longe amplius, poterant esse illius obliti; praeterea, ne quicquid dubitarent aut timerent, quasi quis esset illis quicquam negotii aut molestiae exhibiturus.

32. מִקְנֵה הַשָּׂדֶה וְהַמְּעָרָה אֲשֶׁר־בּוֹ מֵאֵת בְּנֵי־חֵת *Acquisitio*, emtio *agri et speluncae quae in eo est*, est *a filiis Chath*, tam ager, quam spelunca, emta sunt a Chitthaeis; pleno jure nostra sunt, et possessio jam nobis acquisita est, tot nostrorum illic sepultis.

33. וַיְכַל יַעֲקֹב לְצַוֹּת אֶת־בָּנָיו וַיֶּאֱסֹף רַגְלָיו אֶל־הַמִּטָּה *Quumque absolvisset Jacobus mandare filiis suis*, quae post mortem suam fieri vellet, *collegit pedes suos ad s. in lectum.* Dum superiora loqueretur erexerat sese in lecto et sederat; nunc, appropinquante jam morte, prae imbecillitate sese in lectum demisit, ac interius in lectum pedes, uti moris est animam agentibus, contraxit. Alii per *pedum collectionem in lectum* significari putant, quod non indecenter, huc illuc commoto corpore, et agitatis pedibus tumultuans, ut multis in mortis agone moris est, animam coactus efflavit, et invitus, sed sponte mortem velut admiserit venientem. Hanc εὐθανασίαν volunt et indicari per id quod subditur, וַיִּגְוַע *et exspiravit*, quo indicetur mors facilis et suavis. Sed cf. not. supra ad XXV, 7.

14. *Jacobus a filiis sepelitur. Josephus fratres suos timidos solatur. Ejus posteri et mors. Cap. L.*

Cap. L, 2. וַיְצַו יוֹסֵף אֶת־עֲבָדָיו אֶת־הָרֹפְאִים לַחֲנֹט אֶת־אָבִיו *Deinde jussit Josephus servos suos medicos patrem suum condire.* רֹפְאִים *medici* hic vocantur, qui curandis et medicandis funeribus praeerant, neque erat haec provincia medicis incongrua, ut qui aromatum nossent vires et naturam, et corpus secandi et condiendi modum cognitum haberent. Herodoti aevo οἱ ἐπ᾿ αὐτῷ τούτῳ κατέαται, καὶ τέχνην εἶχον ταύτην, *ad hoc ipsum constituti, et*

qui artem hanc haberent (Lib. II. Cap. 86.) LXX. h. l. reddiderunt ἐνταφιαστὰς, et mox verbum לַחֲנֹט ἐνταφιάσαι, ad quam interpretationem *Augustinus* in *Quaestt.* ad h. l. recte haec notat: *Non invenit lingua Latina quemadmodum appellaret ἐνταφιαστὰς, non enim ipsi sepeliunt, id est, terrae mandant corpora mortuorum, quod Graece non ἐνταφίασαν, sed ἔθαψαν. Illi ergo ἐνταφιασταὶ id agunt quod exhibetur corporibus humandis, vel condiendo, vel secando, vel involvendo, vel alligando, in quo opere maxime Aegyptiorum cura praecellit.* Non incommode tamen ἐνταφιαστὰς Latine *pollinctores* reddideris, horum enim erat mortuos curare, et ungere. Quod vero medicos illos Moses hic appellat עֲבָדָיו *servos ejus*, Josephi, significat, fuisse illos inter suos domesticos, quemadmodum et Romanos inter servos suos habuisse medicos constat. Josephum vero, Aegypti proregem, uti aulam omni pompa instructam habebat, ita inter alios suos aulicos et medicis stipatum fuisse, quorum ministerio libere et pro arbitrio uteretur, mirum esse non potest. Cf. *O. N. Nicolai Meletema de servis Josephi medicis*, Magdeburg. 1752. in quat. Verbum חָנַט quod attinet, *Nic. Fullerus* in *Miscellann. SS.* L. VI. Cap. 18. observat, eam radicem sensu suo nativo et primigenio apud utrumque interpretem, Syrum et Arabem, usurpatam reperiri Joh. XIX, 39., ubi quod Graece μίγμα dicitur, Syriace ܚܢܘܛܐ, Arabice حنوط redditur [Golius in *Lex.* p. 660. exponit: i. q. ذريرة, *aromatica res inspergi solita, praesertim mortuis, ut fragmenta calami aromatici, foliorum myrti* rel., unde حنّط in Conjugatione II. *bonis odoribus* condivit *mortuum* denotat]. „Sonat autem μίγμα *misturam*, et accommodatur proprie ad medicamentorum misturas, ut est apud Galenum; item ad colorum compositiones, quae a pictoribus confiunt, nec non ad unguentorum, quae a myropolis. Illud ex Suida constat, hoc ex

Evangelista. Et quidem persimilis est inter se ratio. Apparet igitur ex hoc Versu (laudato Joannis Capite), ܢܣܘܚܐ et ܚܢܘܛܐ esse *μίγμα ἀρωμάτων*, et, ut explicat R. Salomon (Jarchi) Comment. in Genes. L. 2. מרקחת בשמים *condituram aromatum*, h. e. unctionis quoddam genus, ex variorum aromatum speciebus confectum, quo delibuta fuerunt olim, apud Aegyptios maxime, defunctorum, praesertim illustrium virorum cadavera, ut quam diutissime integra atque incorrupta servari possent." Erant apud Aegyptios tres cadavera condiendi modi, quos descripsit Herodotus L. II. Cap. 86., et docte de iis egit ad hunc locum illustrandum *Conr. Dietericus* in *Antiqq. biblicis* p. 145. seqq. Cf. *das alte und neue Morgenl.* P. I. No. 178. p. 243. seqq. Observavit Josephus Aegyptium morem non tantum patris honorandi causa, verum et corporis diutius servandi ergo, quod procul deportandum esset.

3. וַיִּמְלְאוּ־לוֹ אַרְבָּעִים יוֹם *Impleti autem sunt ei*, scil. Jacobo, sive, ei negotio, *quadraginta dies*, dies quadraginta sunt insumpti ea in re, tot dies condiendo corpori vacarunt, abluendo primum, postea variis aromatibus condiendo. כִּי כֵּן יִמְלְאוּ יְמֵי הַחֲנֻטִים *Sic enim implentur*, implere solent, tanto scilicet tempore, *dies conditurarum*, i. e. conditurae mortuorum. Aliis חֲנֻטִים est Participium Pahul, ut sit: eorum qui condiuntur. Sed illud praeferimus. A numero quadraginta dierum, qui insumti hic dicuntur Aegyptiis condiendis cadaveribus, non admodum discrepat Diodorus Siculus, qui L. I. p. 58. edit. Steph. *ταρίχευσιν*, *salituram* corporum ait durasse diebus amplius triginta, *ἐφ' ἡμέρας πλείους τῶν τριάκοντα*. Codices nonnulli habent *τεσσαράκοντα*. וַיִּבְכּוּ אֹתוֹ מִצְרַיִם שִׁבְעִים יוֹם *Fleveruntque eum Aegyptii septuaginta diebus*, nempe, ut Hebraei volunt, conditurae et luctus diebus simul computatis, XL conditurae, et XXX luctus. Nam et alias XXX dies luctui destinatos legimus, ut in

morte Aaronis Num. XX, 19., et in obitu Mosis Deut. XXXIV, 8. Huc forsan pertinet, quod Herodotus l. c. saliturae cadaverum LXX. dies insumtos fuisse ait. Labebantur duodecim hebdomadae, dum conditura, lugubria et alia τοῦ ἐνταφιασμοῦ fiebant. Quo temporis spatio non continuo ejulatu, sed habitu et ritibus certis luctum testati sunt. Quod vero hic *Aegyptii* Jacobum luxisse narrantur, id in gratiam Josephi illos fecisse, credibile est.

4. Expleto planctus tempore alloquutus domesticos, aulicos Pharaonis (בֵּית פַּרְעֹה, LXX. τοὺς δυνάστας Φαραώ), ut pro se impetrarent discedendi et commeandi veniam a rege. Aegyptiis utitur intercessoribus, quod ipse cum suis in luctu versabatur; non enim solebant pullati apparere coram rege, vid. Esth. IV, 2.

5. בְּקִבְרִי אֲשֶׁר כָּרִיתִי לִי בְּאֶרֶץ כְּנַעַן שָׁמָּה תִּקְבְּרֵנִי *In sepulchro meo, quod mihi fodi in terra Canaan, illic sepelias me.* כָּרִיתִי Hebraeorum nonnulli exponunt קָנִיתִי *acquisivi*, coëmi. Et sane verbum כָּרָה *emendi* significatu legitur Deut. II, 6. Hos. III, 2., ad quem loc. vid. not. Quo minus tamen hoc loco ita sumamus, hoc obstat, quod non Jacobus, sed Abrahamus sepulchrum illud in agro Machpelae sibi comparavit. Cf. infra Vs. 43. Erit igitur אֲשֶׁר כָּרִיתִי לִי vertendum: *quod fodi mihi*, i. e. quam fodi mihi curavi. Ita et LXX. ὤρυξα, et Onkelos: דִּי אַתְקֵנִית לִי *quod disposui mihi*. Jurejurando Josephum obstrinxisse Jacobum, ut ipsum apud patres in terra Canaan sepeliat, narratum est supra XLVII, 29. 30.

7. כָּל־עַבְדֵי פַרְעֹה זִקְנֵי בֵיתוֹ *Omnes ministri Pharaonis, senes domus ejus*, praecipui aulicorum. Est enim זָקֵן hic non aetatis, sed dignitatis nomen, ut Arabum شَيْخ *Scheikh*, quod ipsum proprie *senem* denotat, et pro titulo honoris frequentatur, ut Hispanis *Señor*, et Italis *Signore*. וְכֹל זִקְנֵי אֶרֶץ מִצְרָיִם *Et omnes seniores terrae Aegypti*, i. e. magistratus civitatum Aegypti.

9. וַיַּעַל עִמּוֹ גַּם־רֶכֶב גַּם־פָּרָשִׁים *Ascenditque cum eo etiam currus, etiam equites*, i. e. una cum eo ascenderunt tam currus, seu quadrigae (nam רֶכֶב est collective capiendum), quam equites. Superior comitatus honoris magis causa fuit, hic vero etiam ut tutiores essent. Nam equi et currus ad bellum comparabantur, si forte in itinere occurrerent praedones, aut hostes, qui illos turbare vellent.

10. וַיָּבֹאוּ עַד־גֹּרֶן הָאָטָד *Et venerunt usque ad aream Atad*, quod nomen, uti Arabicum أَطَد, *rhamni* speciem significat. Videtur locus ille rhamnis abundasse. אֲשֶׁר בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן *Quae est in trajectu Jordanis.* Interpretes fere vertunt: *trans Jordanem*, atque ita Hieronymus in *Locis Hebraicis* notat, esse *locum trans Jordanem, tertio ab Hiericho lapide, duobus millibus ab Jordane, qui nunc vocatur Bethagla* (בֵּית עֶגְלָה), *quod interpretatur locus gyri, eo quod ibi more plangentium circumierint.* Si, quod scribit Hieronymus, *trans* Jordanem locus ille situs fuerit, referendum erit ad Moabitidem, aut Ammonitidem, aut vicinam Arabiam, in qua versatus fuisse Moses videtur, cum haec scriberet. Nam Jericho, a qua urbe, eodem notante Hieronymo, haud procul distabat, fuit ad occidentalem fluvii ripam. Verum quum *trans* potius per מֵעֵבֶר exprimi soleat (vid. Num. XXI, 13. XXII, 1.); malim בְּעֵבֶר *in trajectu* reddere. Verum sic quoque oportebit Josephum per viam deserti, longissimo circuitu, in Cananaeam ivisse, nec procul a Jerichuntino agro Jordanem trajecisse, ut Chebronem, Aegypto propiorem, perveniret. „Timuit forsan, ne vicini Philisthaeorum reges sibi, per breviorem viam, transitum negarent; aut ne Idumaei etiam, per quorum agros transire poterat, negotium sibi facesserent. Forte Aegyptiorum hostes erant." *Cleric.* וַיַּעַשׂ לְאָבִיו אֵבֶל שִׁבְעַת יָמִים *Fecitque* Josephus *patri suo luctum septem diebus*, ultra septuaginta illos ante ab Aegyptiis

acto in Aegypto, supra Vs. 3. Nunc hi septem in terra Canaan specialiter a Josepho luctui agendo sunt destinati ante sepulturam, uti videtur, quum luctus post sepulturam fere certo dierum numero agatur. Non desunt tamen, qui post sepulturam septem hos dies intelligant, ut sit hoc loco *ὕστερον πρότερον*, quia mox de corporis delatione loquuturus est. Nam volunt, in iis, quae sequuntur, ostendere Mosen tantum, eos mandatum patris implevisse. Parvi refert, sive ante, sive post sepulturam hos septem dies luctus esse dixeris. Cf. Sirac. XXII, 13. *Πένθος νεκροῦ ἕπτα ἡμέρας, μωροῦ δὲ καὶ ἀσεβοῦς πᾶσαι αἱ ἡμέραι τῆς ζωῆς αὐτοῦ. Luctus mortui septem dierum est, stulti autem et impii omnium vitae dierum.*

11. אָבֵל מִצְרַיִם LXX. *πένθος Αἰγύπτου* reddidere; legerunt אֵבֶל, quod praecessit. Sed אָבֵל, quod proprie *planitiem*, seu *locum pascuum* denotare videtur (collato Arabico أَبَلَ *longum evasit gramen, ut potuerit depasci a camelis*, et Syriaco ܐܒܠܐ *gramen, alga*), passim locorum nominibus praepositum reperitur, ut אָבֵל בֵּית־מַעֲכָה 2 Sam. XX, 14. 15., אָבֵל מְחוֹלָה Jud. VII, 22., אָבֵל הַשִּׁטִּים Num. XXXIII, 49. Neque אָבֵל ab Onkeloso hic est mutatum, quum אֵבֶל, *luctus* nomen in אֶבְלָא mutarit. Erit igitur אָבֵל מִצְרַיִם proprie *planities Aegyptiorum.*

13. Repetitionem, quae hic legitur, eorum quae supra XLIX, 30. leguntur, Clericus *non necessariam* pronunciat. Neque tamen sine causa haec repetit Moses, verum ut ostenderet, plane ita factum esse a Jacobi filiis, uti pater injunxerat.

14. אַחֲרֵי קָבְרוֹ אֶת־אָבִיו *Postquam sepelisset patrem suum.* Non dicit: *postquam ipse cum fratribus patrem sepelisset*, quia, etsi omnibus idem communiter mandasset, tamen Josepho praecipua provincia ejus sepeliendi demandata esset. Vid. supra XLVII, 29. et cf. not. ad XLIX, 29.

15. לוּ יִשְׂטְמֵנוּ יוֹסֵף *Forsan odio nos habuerit Josephus.* Particulam לוּ, quae alias *o si! utinam* vale Hebraei hic exponunt אוּלַי, שֶׁמָּא *fortassis, ne fort* Verebantur fratres Josephi, ne in gratiam patris, quam diu superstes is erat, injuriam ille ab ipsis acceptam dissimulans, ultionem differret, dum moreretur, sicut Esavi supra XXVII, 41. comminabatur Jacobo: *venient dies luctus patris, tumque occidam fratrem.* LXX. יִשְׂטְמֵנוּ bene reddidere *μή ποτε μνησικακήσῃ ἡμῖν, ne forte injuriae acceptae memor fuerit*, vindictae occasionem captarit animo odium gerens. וְהָשֵׁב יָשִׁיב לָנוּ אֵת־כָּל־הָרָעָה אֲשֶׁר גָּמַלְנוּ אֹתוֹ *Et plane rependerit nobis malum quo eum affecimus*, seu provocavimus. Nam verbum גָּמַל non solum *retribuere*, sed et *priorem conferre* et *provocare* significat, seu inferre in bonum vel in malum, et cum duplici Accusativo construitur; vid. 1 Sam. XXIV, 18 Prov. III, 30.

16. וַיְצַוּוּ אֶל־יוֹסֵף *Mandaverunt ergo*, mandata dederunt *ad Josephum*, cuidam, vel quibusdam internuncii ad eum missis, qui haec illi verba ipsorum nomine referrent. לֵאמֹר *Dicendo*, i. e. in hunc modum: אָבִיךָ צִוָּה לִפְנֵי מוֹתוֹ *Pater tuus mandavit ante mortem suam.* Hebraei putant, eos haec confinxisse, atque ita omnino videtur et R. Mosi Ben-Nachman, qui existimat, id nunquam ad patris notitiam pervenisse, quod fratres Josephum vendidissent; venditum quidem intellexisse, sed ita forte fortuna factum, ut in itinere pergens ad fratres captus ab exteris fuerit, et pro servo venditus in Aegyptum. Sane verisimile non est, Josephum id patri detexisse, multo minus ipsos, quos sceleris conscientia numquam non torqueret, et semper exagitaret. Atque vix dubium Jacobum ipsum niet id quod sequitur, filio jussurum fuisse, non jussurum, ut ei diceretur. Sed haec comminiscuntur, quo facilius a Josepho veniam impetrent, qui auctoritate patris facile movendus esset et adducendus, ut faceret, quod illi postulabant.

17. שָׂא נָא לְפֶשַׁע עַבְדֵי אֱלֹהֵי אָבִיךָ *Condona, quaeso, delictum servorum Dei patris tui,* qui eundem cum patre tuo Deum et tecum colunt. Similis mos Graecorum et Romanorum, obtestandi alterum *per communes Deos* aut *communia sacra*; quia major quum sit conjunctio inter eorundem sacrorum participes, major inter se iis veniae spes est, quam alienis.

18. וַיֵּלְכוּ גַּם־אֶחָיו *Iverunt autem etiam fratres ejus.* Postquam viderunt, Josephi animum injuriae memorem esse, non dubitarunt, ipsos eum adire, ut prorsus flecterent, si quid forte irae in eo reliquum esset.

19. אַל־תִּירָאוּ כִּי הֲתַחַת אֱלֹהִים אָנִי *Ne timeatis; nam numquid pro Deo sum ego?* Quae verba varie accipiuntur. Quidam eo referunt, quod Versu superiore dicitur fratres sese Josepho submisisse, et coram eo procidisse in faciem, quasi Josephus non sibi, sed Deo hoc praestandum dicat, quum tamen istam reverentiam passim antea ab iis admiserit; vid. supra XLII, 6. XLIII, 26. 28. Nec se pro Deo adorari ab illis agnoscebat, ut amoliri a se deberet. Alii ad vindictam referunt, Dei esse, non suum, culpam ab illis in se commissam ulcisci. Sed Josephum fratribus culpam omnino remisisse, nec Deo vindictam reliquisse, patet ex iis, quae supra XLV, 5. seqq. iis dixit, et quae hic deinceps sequuntur. Quidam Hebraeorum הֲ interrogativum ante תַחַת capiunt pro הֲלֹא, ut asseverantis, ut 1 Sam. II, 27. Job. XX, 4. Jerem. XXXI, 20., hoc sensu, *annon sub Deo sum ego?* q. d. Deo sane me subjici oportet, qui id ita voluerit, ei non possum resistere. Ita LXX. τοῦ γὰρ Θεοῦ εἰμὶ ἐγώ. Nec aliter videtur Onkelos verba cepisse, qui ea sic reddidit: אֲרֵי דַחֲלָא דַייָ אֲנָא *nam timens Dei sum ego.* Sed videtur phrasis illa adagialis fuisse, nec aliter hic capienda ac supra XXX, 2., ubi Jacobus ad Rachelam postulantem prolem dixisse narratur: *num pro Deo sum ego, ut tibi dem prolem?* Sic hoc loco Josephus hoc volet:

quum ita Deus statuerit, et malum hoc, uti sequitur, sua providentia admiranda in bonum converterit, sumne Dei loco, ut impediam ejus providentiam, et in perniciem vestram convertam, quod ille aperte convertit in bonum vestrum et multorum? Deus vos servatos hac ratione voluit, sicut et me, num ego nitar adversus ejus providentiam, et vos perdam? absit! Conveniet ita hoc ei quod supra XLV, 8. dixerat: *Jam vero non vos me huc misistis, sed Deus.* Eundem sensum videtur spectasse Hieronymus, qui hunc locum sic est interpretatus: *num Dei possumus resistere voluntati?* Similiter Clericus: „Sumne is, qui Deo aequalem me putem, ut voluntati ejus adversari adgrediar? Qui est *Dei loco*, seu, ut Homerica voce utar, *ἀντίθεος*, is se Deo aequat, et posse se divinae voluntati obsistere censet.“ Jarchi in hunc modum exponit: „*Num forte Dei loco sum?* ut cum admiratione quadam sit dictum, q. d. Si vellem vobis quicquam nocere, num id facere valeo? Nonne vos omnes in me malum cogitastis, et Deus id in bonum direxit? quomodo igitur ego solus vos laedere potero?“ Scholiasta Graecus Vaticanus ad h. l. notat, in Samaritico fuisse: *καὶ γὰρ φοβούμενος Θεὸν εἰμι ἐγώ*, unde Clericus collegit, extitisse in illo חחח sive חותח (pro חחחח), i. e. *timens*, Participium verbi חָתַת *fractus, consternatus fuit.* Sed in hodiernis codicibus Samaritanis longe plerisque haud aliter legitur ac in Judaicis, imo vero ipsa Samaritana versio ostendit, interpretem eodem, quo nos, modo legisse, quum החליפה *num loco?* reddiderit. In unico codice Samaritano, et eo quidem, quem Petrus de la Valle ex Oriente secum attulit, et qui postea in bibliotheca Oratorii Parisiis est asservatus, habetur חחחח, quod cupide arripuit Hubigantius, et non solum in Prolegomenis p. XXX. ei, quod in codice Judaico legitur, anteponendum esse contendit, verum et in versione latina, quam textui, a mendis, si Diis placet, repurgato, addidit, sequutus est; vertit enim: *nam ego Deum timeo.* Sed recte mo-

nuit *Job. Ravius* in *Exercitatt.* p. 47., si id, quod vult Hubigantius, Josephus dicere voluisset, in promtu ipsi fuisse, verbum יָרֵא, et dixisse: כִּי אֶת הָאֱלֹהִים אֲנִי יָרֵא, qua formula usus erat supra XLII, 18. Minus tamen feliciter Ravius ipse tractavit hunc locum, ita eum interpretatus (nomini אֱלֹהִים pro *principibus, magistratibus* Aegyptiis accepto): *nolite timere; num enim sub diis sum?* i. e. num post traditam et demandatam mihi a Pharaone tantam potestatem, ullius e praefectis regiis imperio mihi parendum est, quo minus *sustentem vos et parvulos vestros?* quod facturum se spondet Vs. 21.

21. וַיְדַבֵּר עַל־לִבָּם *Et loquutus est ad cor eorum,* i. e. quae eorum animo demulcerent verba ad illos fecit, amica et placida, quibus omnem illis anxietatem et metum adimeret, ut supra XXXIV, 3. Sichem ad Dinam dicitur *loquutus esse ad cor ejus,* i. e. illecebris verborum eam delinisse. Cf. not. ad Jesaj. XL, 2.

22. Jam ad finem hujus historiae properans Moses, pauca de Josephi habitatione, vitae tempore, morte et sepultura ac testamento perstringit.

23. וַיַּרְא יוֹסֵף לְאֶפְרַיִם בְּנֵי שִׁלֵּשִׁים *Vidit autem Josephus Ephraimo,* ex Ephraimo, quem ei primogenitum Jacobus supra XLVIII, 13. seqq. voluerat, *filios tertiorum*, i. e. tertiae generationis, filios, nepotes et pronepotes. LXX. ἕως τρίτης γενεᾶς, et Hieronymus, *usque ad tertiam generationem.* Alii *filios tertiorum*, quarto loco prognatos, i. e. quartam generationem, intelligunt. Sed illud malumus, cui et Onkelos favet, qui בְּנִין תְּלִיתָאִין *filios tertios* vertit. גַּם בְּנֵי מָכִיר בֶּן־מְנַשֶּׁה יֻלְּדוּ עַל־בִּרְכֵּי יוֹסֵף *Etiam,* quin et *filii Machiris*, qui fuit pater Gileadis, Num. XXVI, 29., a quo regio Gilead ultra Jordanem est nominata (cf. Num. XXXII, 39.), *filii Manassis, nati sunt super genua Josephi.* Quod non ita intelligendum, quasi mariti genibus suis exceperint nascentes ex uxoribus parientibus filios, sed quod recens natos in ge-

nibus suis et gremio susceperint, et deliciarum causa in sinu et gremio gestarint. Cf. supra XXX, 3. Onkelos hoc loco: אִתְיְלִידוּ וְרַבִּי יוֹסֵף *nati sunt et educavit* eos *Josephus*. Phrasis videtur παροιμιώδης, inde ducta, quod obstetrices infantes excipere genibus solebant, vid. Job III, 12. Apud antiquissimos Graecos deponebantur nepotes in avi genibus, si adesset, uti liquet ex *Odyss.* T. 401., ubi cum Autolycus Laërten invisisset paullo postquam natus esset Ulysses,

Τὸν ῥά οἱ Εὐρύκλεια φίλοις ἐπὶ γούνασι θῆκε
Παυομένῳ δόρποιο.

Eum ei Euryclea genibus imposuit, finienti coenam. E Manasse igitur Josephus nepotes tantum vidit, at ex Ephraimo unam amplius generationem, pronepotes.

24. וֵאלֹהִים פָּקֹד יִפְקֹד אֶתְכֶם *Et Deus visitando visitabit vos*, vestri rationem habebit, et vestri curam aget ut supra XXI, 1. ea phrasis occurit.

25. וַיַּשְׁבַּע יוֹסֵף אֶת־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Adjuravitque Josephus filios Israelis*, i. e. fratres suos, ut Vs. superior dicuntur; tali eos jurejurando obstrinxit, ad exemplum patris, supra XLVII, 31. Dubium est, an omnes ei fratres supervixerint; certe aliquos superstites saltem reliquisse videtur, etsi *fratrum* nomine cognati, et consanguinei Hebraice censentur; vid. supra XIII, 8. XIV, 14 XXVII, 29. Quod vero hic ait *filios Israelis*, non: *fratres suos*, Hebraei volunt factum, quod id jusjurandum non ad fratres ejus tantum pertineret, sed in universum ad omnes posteros ex Israelis genere, unde Moses et ali ejus tempore intellexerint, ad se jusjurandum hoc pertinere, quia secum vexerunt ossa Josephi exeuntes ex Aegypto, *ut Josephus adegerat filios Israelis sacramento* quomodo dicitur Exod. XIII, 19., ubi ea ipsa, quae hi leguntur, verba afferuntur.

26. וַיַּחַנְטוּ אֹתוֹ *Et condiverunt eum*, conditus est ut pater supra Vs. 1., ad quem locum et de Verbo חנט

diximus. וַיִּישֶׂם בָּאָרוֹן בְּמִצְרָיִם *Et posuit*, scil. ponens, i. e. positus est, impersonali loquendi formula, qualis supra XLVIII, 1. aderat, *in loculo in Aegypto*, ut illic asservaretur, donec ex Aegypto exirent Israelitae. Noluit statim post mortem, ut pater, in terram Canaan deferri, forsan quod eos diffideret id ab Aegyptiis impetraturos. Ad וַיִּישֶׂם notat Masora: ל' וכתיב וקרי *non reperitur amplius, atque uti scribitur ita et legendum est.* Vocem anomalam esse docet, non tamen corrigendam. Kimchi voluit esse pro וַיּוּשַׂם positum, a verbo שׂוּם, ad formam τοῦ יִיסַךְ pro יוּסַךְ Exod. XXX, 32. Sed recte Aben-Esra notavit, esse ad radicem יָשַׂם, ejusdem cum שׂוּם, significationis, referendum, ut 1 Reg. XXII, 35. וַיִּצַק a יָצַק, et subaudiendum ejusdem Verbi Participium, ut antea diximus. אָרוֹן est *arca*, *loculus*, in quibus condita corpora recondebantur. *Herodotus*, Lib. II. c. 86. de Aegyptiis: Ποιεῦνται ξύλινον τύπον ἀνθρωποειδέα· ποιησάμενοι δὲ ἐσεργνῦσι τὸν νεκρόν· καὶ κατακληΐσαντες οὕτω, θησαυρίζουσι ἐν οἰκήματι θηκαίῳ ἱστάντες ὀρθὸν πρὸς τοῖχον. *Faciunt ligneam hominis effigiem, et postquam fecerunt, includunt mortuum; inclusumque in conclavi thecarum rectum statuunt ad parietem* Ejusmodi arcae etiamnum in subterraneis Aegypti cryptis inveniuntur, ut testatur *Thevenot Voyages*, P. II. Lib. II. Cap. 4. Hic enim quum descendisset in puteum, per quem dabatur ingressus εἰς οἴκημα θηκαῖον, *invenit cadaver valde longum et latum, quod continebatur crassissima arca lignea, accurate undique clausa. Id lignum nullo modo putrefactum erat; comperimusque*, inquit, *esse veram Sycomorum, quae non facile putrefit. Extabat extra arcam sculptus vultus hominis illic depositi.* Videntur vero hujusmodi arcae non apud omnes Aegyptios usitatae fuisse, sed apud nobiliores tantummodo. Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. I. No. 184. p. 251. Ceterum de hac arca ipsum sibi Josephum ante mortem prospexisse, Aben-Esra per ה articuli in voce בָּאָרוֹן praefixo ב Vocali Camez notato, innui

putat, quasi δεικτικῶς Moses dixerit: positus est in arcem illam, quam videlicet sibi ipse praeparari curavit. Josephus igitur ex more Aegyptiorum, qui mortuos saepe plures annos interiore domus parte asservabant, non sepultus, sed in loculo asservatus est usque ad exitum Israelitarum ex Aegypto. Postquam hi exiissent, sepelierunt eum haud procul a Sichemo Jos. XXIV, 32. Pluribus de hoc loco disseruit *Jo. Ben. Carpzovius* in Dissertat. *de sepultura Josephi patriarchae ex Hebraeorum maxime Commentariis* Lips. 1697. in quatern.

Pag. 355 lin. 7 pro *guida* lege *guita*
— 361 l. 23 post: differre insere: dicunt
— ead. l. 27 post: habent dele Comma
— ead. l. 31 pro Praepositiones lege Praepositionis
— 362 l. 13 post peritus dele Semicolon
— ead. l. 20 pro Imaeli lege Ismaeli
— 367 l. 6 p. *syntagm*, l. *syntagm*.
— 386 l. 8 p. meus l. mens
— 410 l. 6 post Versus insere: vocabulum
— 413 l. 2 pro *Jacobi* lege *Isaaci*
— 433 l. 9 p. 23. l. 2. 3.
— 434 l. 7 ab ima pro omnes lege omnis
— 444 l. 16 pro Bathsema lege Basemath
— 447 l. 14 p. ad aut l. aut ad
— 483 l. 23 p. deesse l. esse
— 510 l. 16 p. pone l. poni
— 527 l. 15 post *Rebeccae* pone Comma.
— 528 l. 19 pro dignam lege dignum
— 547 l. 25 p. Mose l. Mosi
— 552 l. 9 p. hanc l. hunc
— 556 l. 3 p. quod l. quas
— 567 l. 10 ab ima pro كساُ lege كسآ.
— 588 l. 23 pro *Satyr*, lege *Satyr*.
— 636 l. 18 p. negat l. refert
— ead. l. 22 p. roposcat l. reposcat
— 671 l. 4 ab ima dele Punctum post: consentientibus
— 687. post lin. 17. haec adde: *Jo. Christoph. Friedrich der Seegen Jacobs, eine Weissagung des Propheten Nathan* cet. Vratislav. 1811. in oct. Eleganter vernacule haec Jacobi ultima vota transtulit, praemissa introductione additaque docta interpretatione, *C. Guil. Justi* in *den Nationalgesängen der Hebräer*, P. II. p. 1. seqq.
— 688 lin. 14. pro *permogenitus* lege *primogenitus*
— 701 l. 9 ab ima adde: et *J. A. M. Nagel* in *Dissertat. de Schilo, Messia, non urbe*, Altorf. 1767. in quat.
— 706 l. 11 pro dicutis lege dictis

Addenda et Emendanda.

Pag. 39 Not. 70 lin. ult. pro *Wirkung* lege *Würdigung*

— 64 lin. 6 pro Quae lege Quare

— 71 l. 24 p. עָל l. עַל

— 97 l. 10 p. عَمَر l. عُمَر

— 100 l. 7 post seqq. haec adde: J. G. Hassii et Ph. Buttmanni conjecturas, quorum ille Paradisum in Borussia, hic in meridionali Indiae orientalis parte quaesivit, examinavit, refutavitque *A. Th. Hartmann* in *den Aufklärungen über Asien* P. I. p. 149. Ipse Caschmiram, amoenissimum Asiae interioris terrae tractum, humani generis parentibus sedem assignat (p. 378. seqq.).

— 109 l. 12 post seqq. adde: et quae de Zoroastricae et Mosaicae de lapsu protoplastorum doctrinae consensu observat *J. G. Rhode* in libro: *die heilige Sage und das gesammte Religionssystem des Zendvolks*, p. 392. seqq.

— 113 l. 2 pro *Gamgorg* lege *Gamborg*

— 115 l. 23. p. *mulieres* l. *mulieris*

— 136 l. 26 p. וּבַרְ זֶל l. וּבַרְזֶל

— 191 l. 8. ab ima dele: Hebraeorum

— 264 l. 17 pro Ea l. Eae

— 275 l. 2 post reddidit pone punctum.

— 276 l. 14 pro Hillero lege Hillerus

— 289 l. 7 p. אֶל l. אֱל

— 291 l. 5 ab ima pro مَنْ l. مَنْ

— 292 l. 13 pro أَنْنْ l. إِبْنْ

— 293 l. 7 ab ima pro Danasci l. Damasci

— 302 l. 12 pro infra lege intra

— 306 l. 3 p. phrassis l. phrasis

— 307 l. 6 ab ima pro Tartariae lege Tatariae

— 312 l. 10 ab ima pro ׳ = pone ־

— 313 l. 7 pro *lecriture* lege *l'ecriture*

— 321 l. 6 ab ima dele *aquae*

— 323 l. 9 pro Ἐκρυφίας lege Ἐγκρυφίας

— 324 l. 11 ab ima pro וָיּאכְלוּ lege וַיּאכְלוּ

— 353 l. 18 pro operimentumo culorum l. operimentum oculorum



